JOANNIS DIRCKINCK, S. J.

EXHORTATIONES DOMESTICAE

ETIAM

ALIIS RELIGIOSIS PERUTILES

ACCEDIT AUCTARIUM

DE SOLEMNIORIBUS FESTIS

NOVA EDITIO

CURA

AUGUSTINI LEHMKUHL ejusd. S. J.

TOMUS III

COMPLECTENS AUCTARIUM EXHORTATIONUM DE FESTIS SOLEMNIORIBUSQUE DIEBUS.

ALMA COLLE
060.23
LIBRARY
D429
Alma, Calif

LONDON
APUD BURNS ET OATES
ORCHARD STREET
MCMXIII

6344

IMPRIMI POTEST.

Julius Vanvolxem, S. J.
Vice Provincialis.

NIHIL OBSTAT.

Brugis, 2 Octobris, 1913.

H. Lahousse, Can. lib. cens.

IMPRIMI POTEST.

Brugis, 2 Octobris, 1913.

† **G. J. Episc. Brugen.**

Brugis, typis Houdmont fratrum.

PRAENOTANDA.

Quae praefationis causa hic dicenda essent, jam praeoccupata sunt iis, quae de ipso hoc *Auctario* benignus lector habet in I tomo ab ipso auctore notata. Ceterum eadem valent, quae ibidem ex sua parte editor monuit.

EDITOR.

SYNOPSIS

SEU SERIES EXHORTATIONUM

De variis solemnioribusque Festis.

PARS I.

DE FESTIS CHRISTI DOMINI.

1) In Adventu.

Pag.

1. De praeparatione ad adventum Domini 1
2. Item de praeparatione ad adventum et diem natalem Domini 9

2) In festo Nativitatis Domini.

1. Causa, cur Christus infans parvulus natus sit, est major Dei gloria 16
2. Altera causa, cur Christus infans natus sit, est ut ab ipso disceremus simplicitatem puerorum 22

3) In festo Circumcisionis Domini.

1. Jesus, omnibus omnia: Admirabilis, consiliarius, Deus, etc. 30
2. Considerationes de aeternitate incomprehensibili. . . 37
3. De cura accurata temporis pretiosissimi 46

4) De Passione Domini in Parasceve.

1. De tribus Christi Domini sociis, paupertate, contemptu et dolore 53
2. De fructibus arboris S. Crucis 63

5) In festo Paschatis.

1. Fides et gaudium Religiosorum de resurrectione Christi. 79
2. Jonas figura Christi resurgentis 85

6) In festo Pentecostes.

1. De praeparatione ad Spiritum S. qui lux est 93
2. De apparitione Spiritus S. sub figura linguarum dispartitarum 100

7) In festo Corporis Christo.

1. Domus Sapientiae Eucharisticae innititur 4 columnis, veritate Divina, potentia, sapientia et benignitate. . 107
2. Tres proprietates summi amoris Christi in Eucharistia. 115

PARS II.

DE FESTIS B. V. MARIAE.

1) In festo Immaculatae Conceptionis B. V.

1. Liber generationis Christi continet vae peccatoribus, lamentationes poenitentibus, carmen justis 122
2. B. Virgo est templum Salomonis 128

2) In festo Nativitatis B. V.

1. B. Virgo est aurora consurgens in nativitate, in conceptione Christi pulchra ut luna, in assumptione electa ut sol 136
2. B. Virgo Mater Societatis, aut Ordinis alterius . . . 142

3) In festo Annuntiationis B. V.

1. B. Virgo ut mare gratiarum 151
2. *Dominus tecum*, seu: quomodo Deus cum B. Virgine fuerit. 158

4) In festo Assumptionis B. V.

1. B. Virgo in omnibus optimam partem elegit 165
2. Sicut B. Virgo, ita et anima Religiosa vocatur primo ad perfectionem, postea ad coronam 173

PARS III.

EXHORTATIONES DE SANCTIS.

1) De sancto Angelo custode.

1. S. Angeli custodis beneficia erga nos 181
2. Nostra erga S. Angelum custodem obsequia 190

2) In festo S. Joannis Baptistae.

1. S. Joannes fuit Angelus: 1) missione, 2) resignatione, 3) castitate, 4) contemplatione 197
2. S. Joannes fuit magnus: 1) gratia, 2) vitae innocentia, 3) poenitentia, 4) officio, 5) favoribus extraordinariis. 205

3) In festo S. Josephi.

1. Duodecim honores et gloriae tituli S. Josephi 212
2. S. Josephus peculiaris Societatis (vel Religiosorum) Patronus 221

4) In festo S. Augustini Magni Doctoris Ecclesiae.

1. Anima Religiosa, exempla S. Augustini, deplorat serum suum erga Deum amorem 227
2. Proponitur cor Augustini vulneratum sagitta timoris et amoris 236

5) In festis diversorum fundatorum Ordinum.

1. De uno ac multiplici SS. Fundatorum, Ordinumque Religiosorum spiritu 244
2. De spiritu et virtute S. Eliae Prophetae, Sancti Ordinis Carmelitani Patroni 252
3. De spiritu et virtute S. Eliae ut typi Christi Domini. 260
4. De spiritu et virtute S. Basilii Cappadociae Episcopi, S. Ordinis Basiliani fundatoris, cum Moyse collati . 268
5. De spiritu et virtute sancti Patriarchae Benedicti, sancti Ordinis Benedictini fundatoris, cum lilio comparati 276
6. De spiritu et virtute sancti Brunonis, S. Carthusiani Ordinis auctoris ac fundatoris, in palma adumbrati. 284

7. De spiritu et virtute sancti Bernardi Doctoris melliflui, S. Ordinis Cisterciensis propagatoris celeberrimi, cum ape collati 293
8. De spiritu et virtute S. Norberti archi-episcopi Magdeburgensis, et S. Ordinis Praemonstratensis fundatoris, cum oliva fructifera comparati 303
9. De spiritu et virtute S. Dominici, S. Ordinis Praedicatorum fundatoris, sub symbolo facis et ardentis et lucentis proposita 313
10. De spiritu et virtute S. Francisci, seraphici Ordinis Minorum fundatoris, sub schemate Seraphini . . . 322
11. De spiritu et virtute seraphicae virginis Sanctae Teresiae, Carmelitarum discalc. fundatricis, magnae spiritus magistrae 331

6) In festo S. Ignatii.

1. Spiritus S. Ignatii potissimum in propaganda gloria divina proponitur 339
2. Proponitur sapientia S. Ignatii. 349

7) In festo S. Francisci Xaverii.

1. S. Xaverius ut stella matutina in medio nebulae . . . 356
2. S. Xaverius ut vas electionis, S. Paulo non absimilis. 364

8) In festo S. Francisci Borgiae.

1. Mors Isabellae imperatricis, mors mystica Borgiae . . 372
2. Mors Isabellae, vita Borgiae. 380

9) In festo S. Aloysii Gonzagae (vel confessoris alterius).

1. Vita S. Aloysii abscondita in saeculo 388
2. Vita S. Aloysii abscondita in Societate, sub figura thesauri absconditi. 396

10) In festo S. Stanislai Kostkae (vel alterius confessoris).

1. Fons sanctitatis est gratia vocationis cum cooperatione hominis. 406
2. S. Stanislai ut exemplar amoris Dei, Eucharistiae, B. Virginis. 415

11) In festo SS. Pauli, Joannis et Jacobi martyrum Japonensium (servit etiam pro festo alterius martyris).

1. De praestantia martyrii cruenti 423
2. De martyrio incruento 431

APPENDIX INSTRUCTIONUM.

1) In renovatione votorum.

1. Christus natus magister et exemplar paupertatis, castitatis et obedientiae 440
2. Soli Deo offerendum cor totum per vota religiosa . . 465

2) In obitu fratrum religiosorum.

1. Religiosi beati ante mortem, in morte, post mortem . 449
2. Mors Religiosorum pretiosa 457

PARS I.

DE FESTIS CHRISTI DOMINI

PRO TEMPORE ADVENTUS.

EXHORTATIO I

De praeparatione ad adventum Domini.

THEMA: *Dirigite viam Domini* (Joan. 1, 23).

Legimus 1, Reg. 6, 12 de duabns vaccis portantibus arcam Domini, quae *ibant in directum per viam quae ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram.* S. Gregorius hom. 37, in Evang. (ML. 76, 1276) et Moral. l. 7, c. 30 (ib. 75, 791) praedicta hac ratione exponit: *Quid vaccae nisi fideles quosque designant, qui dum sacri eloquii praecepta considerant, quasi sibi superimpositam arcam portant,... non declinant a recto itinere, qui arcam Dei portant in mente.* Mugiunt quidem et gemunt, carne resistente; sed colla posterius non reflectunt. Pari ratione videmur posse dicere: Quid vaccae sunt nisi religiosi, qui regulas et Institutum suum velut arcam sibi superimpositam gestant; mugiunt quidem nonnunquam, id est, caro obmurmurat, mortificationes et poenitentias sentit; sed pergunt nihilominus recta in Bethsames, in domum solis, in domum perfectionis ac tandem caelestis patriae, nec declinant ad dexteram neque ad sinistram, nec retro respiciunt.

Via recta ad perfectionem seu domum solis et caelum, ad natum salvatorem in Bethlehem, in stabulo tanquam

solem in domo sua requiescentem, est via virtutum : virtutes enim sunt rectitudines, quoniam earum essentia in rectitudine et aequitate consistit. Quintuplex autem rectitudo quamcumque virtutem comitatur, si perfecta, sit : judicii, intentionis, affectionis, locutionis, operationis ; et has oportet nos acquirere, ut viam dirigamus, qua Christus Dominus in nos veniat, in nobis nascatur, habitet et regnet tanquam in domo solis.

I. Directio rationis.

I. Prima rectitudo nos disponens ad Christi Salvatoris nostri adventum, est *rectitudo judicii :* quae sita est in veritate ipsius, seu in conformitate illius, ad id quod verum est, absque deviatione in aliquod falsum vel erroneum vel temere praesumptum, juxta illud Davidis (Ps. 57, 2) : *Recta judicate, filii hominum.* Quod clarius expressit Redemptor noster (Joan. 7, 24) : *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Tunc vero recte judico et juste, si magna judicem esse magna, parva autem parva ; si vilia judicem esse vilia, pretiosa vero pretiosa ; si vitrum vitrum, si gemmam gemmam, si muscam muscam, et elephantem elephantem esse judicem. Quod si vero magnum judicem esse parvum, vile pretiosum, vitrum gemmam, muscam elephantem, orichalcum aurum, stannum argentum, non recte judico.

Homines mundani et nos, dum inter illos viximus, non recte judicavimus ; putavimus enim divitias, honores, voluptates mundi, dignitates, canonicatus, libertatem, recreationes, compotationes, lusus esse quid magnum et pretiosum. Hoc judicium pravum, distortum et curvum corrigere debemus in tirocinio, et omnia ista, tanquam vilia, inania, brevia et exigua reputare ; e contra, Deum et Divina, caelum et caelestia, spiritum et spiritualia, virtutes et sacramenta, gratiam aliaque Dei dona tanquam magna, alta, pretiosa, et diuturna aestimare, quia aeterna sunt.

Si consideremus, quam exiguus sit totus mundus, facile

colligemus, quam singulae res mundi sint exiguae: *tanquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram* (Sap. 11, 23). Si totus mundus respectu Dei est tanquam momentum staterae et guttae, quid erit una provincia, una civitas, una domus, unus ager, una crumena auri? Deinde si brevitatem vitae nostrae consideremus, facile quoque omnium rerum mundanarum brevitatem perspiciemus. Tota vita nostra quid est? S. Apost. Jacobus respondet (Jac. 4, 15): *Vapor ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.* Quam cito vapor et fumus evanescit in auras? *Memento,* ait Job 7, 7, *quia ventus est vita mea:* quam cito ventus praetervolat? *Breves sunt dies hominis, numerus mensium ejus apud te est* (Job 14, 5). Jam si comparemus dies nostros cum aeternitate, longe videntur breviores; nam omne tempus mundi usque huc, quod est 5651 annorum, cum aeternitate comparatum est sicut dies hesterna quae praeteriit: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quae praeteriit, et custodia in nocte, quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt* (Ps. 89, 4 sq.). Vita et anni nostri, non sicut dies hodierna, sed sicut hesterna, cujus nulla pars superest, et sicut vigilia noctis, tribus solum horis durans; imo ipsi nihilo aetates hominum similes esse dicuntur. Quid igitur et quam brevis est honor, gaudium, voluptas, lusus, recreatio? omnia sunt quasi momentum, quasi punctum puncti: Omnis gloria ejus *velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna* (Job 20, 8).

Tale igitur judicium formemus, et si ante aliter judicavimus, corrigamus: omnia mundana vilia, exilia, brevia; omnia spiritualia caelestia, divina, magna ac diuturna reputemus. *Hoc scio,* apud Job 20, 5, *quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti.* E contra hoc scio, quod *magnus Dominus, et*

magnitudinis ejus non sit finis ; et quod omnia caelestia magna sint aeterna. Si ita dirigamus judicium, optime disponimus nos ad adventum Domini, ut ipse veniat ad nos et habitet in nobis.

II. Directio intentionis.

II. Altera directio est intentionis : *Dirigite viam Domini.* Omnis intentio nostra ad Deum, ad Christum, ad ultimum finem nostrum dirigenda est ; non vero curvanda et detorquenda est ad fines vanos, ad propria commoda, ad honorem et vanam gloriam. Sap. 10, 10, dicitur : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* Via nostra et vita nostra gressus in hac via, sunt opera nostra, actiones, cogitationes, locutiones, occupationes, officia : per quae nos Dominus deducit ad regnum Dei, ad caelum, et aeternam beatitudinem. Per hanc viam recta incedimus ad caelum si intentio sit recta, deviamus si intentio sit curva : curva autem est intentio vana quaerens honorem, curva est intentio sensualis quaerens voluptatem, curva est intentio mercenaria, spectans mercedem et commodum temporale, ad quae mundani respiciunt. Quid enim illi quaerunt, quid intendunt, quid concupiscunt ? Sanctus Joannes respondet (1 Joan. 2, 16) : *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum et superbia vitae.* Alia concupiscere et quaerere nesciunt.

Quid vero nos in statu religioso ? Mox a tirocinio docemur Deum quaerere, in omnibus operibus Dei gloriam spectare, omnia desideria, verba, opera, etiam adiaphora, ad Deum referre, ut ipsi placeamus eumque diligamus. Haec intentio facit nos rectos et justos : *Recti diligunt te,* ait sponsa Cant. 1, 3. Dilectio enim vera Dei et intentio recta in Deum tendens facit hominem rectum. Atque hoc est discrimen solum inter rectos et non rectos, non quod illi orent, isti non orent, illi jejunent, isti non jejunent, aut alia opera bona non praestent; sed quod illi in omnibus Deo placere satagant, isti vero

omnia prava intentione inficiant. Si avarum eam artem quis doceret, qua lapides et stercus posset in aurum convertere, qua aviditate illam addisceret? Ecce artem meliorem, qua opera quaeque vilissima in aurum et lapides pretiosos convertentur : Deum intende, Deo placere stude, et opera aurea perages, Deum gloriamque aeternam promereberis. Atque ita te ad adventum Domini rite praeparabis.

III. Directio affectionis.

III. Tertia *rectitudo est affectus* ad verum bonum, honestum et Deo gratum, non incurvando illum ad bonum terrenum utile et delectabile, quod virtuti adversetur ; et haec est, quam David vocat *cordis rectitudinem :* unde saepius *rectos corde* commendat (Ps. 7, 11 ; 31, 11). Quia rectum erga Deum affectum habent, et recta ad Deum sursum tendunt.

Haec recta affectio oritur ex recto judicio : si enim cognoscamus terrena omnia esse exigua, vilia, brevia, facile ab iis affectionem nostram abstrahimus ; si vero e contra divina et caelestia magna et pretiosa esse cognoscamus, nullo negotio illis affectum adjungimus. S. Bernardus in Cant. serm. 24, n. 5 et 6 (ML. 183, 896 sq.) ait : *Rectus Deus rectum fecit hominem similem sibi, id est sine iniquitate... Et corporis staturam dedit homini Deus rectam ; forsitan ut illa corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suae servandae rectitudinis admoneret... Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est et foeda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, coelos libere suspicere, coelorumque luminaribus oblectari aspectus; spiritualem vero caelestemque creaturam suos e contrario oculos, id est internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum ; et quae nutriri debuit in croceis, haerere luto, tanquam unam de suibus, amplexarique stercora.*

Si quis ex vobis, charissimi, curvum ac pravum adeo ad terrena affectum notet et cum muliere a Christo Domino erecta ad terram inclinatus incedat, dirigat viam Domini, corrigat affectum : *filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* (Psal. 4, 3). Erubescat anima religiosa, si divinam in pecorinam commutarit imaginem, et mutata specie, correcto affectu, et via directa ad Christum se disponat ac praeparat.

IV. Directio locutionis.

IV. Hinc quarta manat *rectitudo locutionis*, quae consistit in veritate, seu conformitate ad id, quod vere est in mente, omne excludens mendacium aut falsum, aut dolosum, aut cavillatorium, eo animo prolatum, ut alter decipiatur. Haec rectitudo indicium est perfectae virtutis, et Deo valde grata accidit. *Qui recta loquitur, diligetur* (Prov. 16, 13). Et diriget viam suam ad Christum ejusque adventum.

Quare observet religiosus consilium Eccli 28, 29 sq.: *Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos; et attende, ne forte labaris in lingua. Fugum etiam,* ait S. Gregorius in Psal. 4, poenit. n. 19 (ML. 79, 594), *in verbis nostris esse et statera praecipitur, ut omne, quod loquimur, et humilitate condiatur, et mensura ponderetur.* Frenos ori rectos facimus, cum illud ad loquendum laxamus, vel ad tacendum frenamus, cum recta ratio loquendum vel tacendum dictat. Mutus in Evangelio a Christo curatus (Marci 7, 35) *loquebatur recte.* Hunc imitemur, loquendo recte, vere, sincere, debito tempore, et debita cautione, consideratione et circumspectione, tenendo consilium *S. Augustini: Omne verbum prius ad limam, quam ad linguam veniat.* Amplius *S. Bernardus* [scil. opusc. *Arnulfi de Boeriis*] in Speculo monachorum (ML. 184, 1176): *Antequam,* ait, *verba proferat, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam.* Exemplo sit sponsa,

de qua dicitur Cant. 4, 3: *Sicut vitta coccinea, labia tua*, q. d.: Labia tua silentio et discretione ac veritate, quasi vitta speciosa, constricta et decorata sunt. Hac ratione Christo incarnato placebimus, atque ad ejus in nos adventum praeclare nos praeparabimus.

V. Directio operis.

V. Tandem ultima est *rectitudo operis :* non declinando ad dexteram vel sinistram, nec in vitiorum extrema per excessum vel defectum, nec ambulando cum impiis in circuitu scelerum. Atque haec est, quae in Scripturis vocatur via aut semita recta ; unde Christi prodromus et Baptista clamat : *Parate viam Domini ; rectas facite semitas ejus.* Cuncta haec complectitur spiritus ille, quem sibi exoptabat David Psal. 50, dicens : *Spiritum rectum innova in visceribus meis ;* declinavi in curva et abrupta peccatorum, nunc autem, o Domine, renova in me spiritum et ad terrenas voluptates inclinatum erige. Hanc rectitudinem Deus primis nostris parentibus in statu innocentiae indidit, de quo Ecclesiastes c. 7, ỳ. 30 inquit : *quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus,* id est innumeris repugnantiis et contradictionibus, quae proveniunt ex rebellione carnis contra spiritum et appetitus contra rationem, et quinque praedictas rectitudines virtutum obruunt, distorquent, et dilacerant, ut vix inter homines locum inveniant ; juxta illud Ps. 13, 2 : *Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum : omnes declinaverunt* (scilicet a rectitudine veritatis et virtutis) *simul inutiles facti sunt ; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Idem lamentatur Proph. Micheas c. 7, 2-4 : *Periit Sanctus de terra, et rectus in hominibus non est... Qui optimus in eis est, quasi paliurus ; et qui rectus, quasi spina de sepe.* Paliurus autem et spina, teste S. Hieronymo, appropinquantem sibi adunco ungue comprehendunt, pungunt, et vulnerant.

Quapropter, charissimi, si vultis Christum in animas vestras venire, spiritualiter in vobis nasci et charismata gratiarum elargiri : *dirigite viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Rectum est quod cum regula convenit : regula nostra est recta ratio, lex divina et voluntas Dei et ipse Christus Dominus ; cujus si vestigia legamus, recte incedemus. *Dirigite* ergo *viam Domini, rectas facite semitas ejus :* 1) Semitam judicii, ut recte judicemus et aestimemus parva parva, magna magna, aeterna aeterna, divina divina. 2) Semitam intentionis, ut semper recta ad Deum, ejusque gloriam ac beneplacitum tendamus. 3) Semitam affectus, ut non curventur ad terram et terrena, sed recta in caelum ascendant. 4) Semitam locutionis, ut loquamur recte, vere, considerate, circumspecte, discrete. 5) Semitam operum, non ad extrema vitiorum declinando, virtus enim consistit in medio ; vade via media, medio tutissimus ibis, scilicet via recta. Haec quinque si conjungamus, coram Deo recti sumus, si vel unum desit, non sumus recti: *Si recte offeras, et non recte dividas, peccasti,* ait Dominus Caino Gen. 4, 7 (1), quod explicans *Aug.* L. 5, de civ. c. 7, inquit: *Si proponas recte offerre, tamen in executione non recte observes omnes debitas circumstantias finis, loci temporis; sed male eas dividas; peccasti.* Quamvis enim recta sentias per fidem ; sed non rectam habeas intentionem vel affectum obliquum habeat, aut distortum opus, non es rectus, nec Deo places. *Rectum revera te dixerim* (ait S. Bernardus in Cant. Serm. 24 n. 7 ML. 183, 897), *si recte in omnibus sentias, et factis non dissentias..... Noli esse rectus oblator, et pravus divisor.* Quid dividis actum a fide? addam ego: quid dividis intentionem a judicio, loquelam ab opere? junge haec omnia, et viam Domini

(1) Ita non secundum textum hebraeum vel Vulg., sed secundum textum graecum LXX interpretum.

diriges, semitas rectas facies, atque ad Domini adventum rite te dispones.

PRO TEMPORE ADVENTUS

EXHORTATIO II

De praeparatione ad Natalem Domini.

THEMA: *Omnis mons et collis humiliabitur* (Is. 40, 4); vel: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (Luc. 3, 4).

Dum monarchae et reges terrarum ad metropoles ac civitates primarias inaugurandi discedunt aliave itinera instituunt, viae et compita praeparantur, sordes removentur, humilia elevantur, extantia demittuntur, inaequalia, aspera et saxosa complanantur; quo magnates hujusmodi commoditate majori itinera perficiant. Ita Xerxes rex potentissimus (teste Justino) dum Graeciam invadere tentaret, aliquod hominum millia, malleis et securibus instructa praemittebat, ut viam sibi et exercitui profecturo sternerent. Alii montes evertebant, alii valles complebant, alii rupes secabant, alii silvas exscindebant, alii fluvios et rivos opplebant aut alio derivabant. Charissimi, ad nos venit non Xerxes aliusve rex barbarus, sed Christus Rex mansuetus, Rex regum, et Dominus dominantium. *Ecce, venit* (clamat Malachias) *Dominator, Angelus Testamenti. Ecce, Rex tuus venit tibi mansuetus* (Matth. 21, 5). Quare par est, ut tanto Regi viam praeparemus, ut praedicat sanctus praecursor Domini. *Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.* At quomodo id praestabimus? S. Joannes in allegoria ingeniosa quatuor praescribit puncta. *Omnis vallis implebitur; et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas* (Luc. 3, 5).

Quibus verbis quatuor proponit impedimenta adventum Christi in nos retardantia : quae in praesenti explanabimus, ut, si quid horum in nobis repererimus, removeamus, Dominumque laeti suscipiamus.

I. Vallis Pusillanimitatis implenda.

I. Impedimentum primum est profunda vallis, quae (ut exponit Cornelius a Lapide et Ludovicus de Ponte p. 2, med. 15) est pusillanimitas ; vel (secundum alios) diffidentia, timor, acedia, quae tamen fere cum pusillanimitate sunt conjuncta. Haec vallis ante omnia implenda est. *Omnis vallis implebitur,* seu (ut interpretatur Cornelius a Lapide) *impleatur. Implenda sunt pusillanimitatis profunda,* ait Ludovicus de Ponte. Inter religiosos, ac praecipue tirones, non pauci in valle pusillanimitatis jacent. Nam hic viam ad caelum nimis arduam aut arctam esse sibi imaginatur, seque vix aut ne vix quidem eo perventurum ominatur, ideoque languore, tristitia et acedia opprimitur ; ille viam perfectionis nimis difficilem et quodammodo sibi impossibilem arbitratur, tum ob crebros tentationum insultus, tum ob praeceptorum et regularum multitudinem, tum ob operum humilium, mortificationum et castigationum corporis asperitatem, tum denique ob perseverantiae in bono et statu religioso incertitudinem. Iste ingenii et doctrinae suae exiguitatem causatur, seque Societatis muniis, viros doctos requirentibus, haud aptum existimat ; alius in conversatione cum saecularibus, in excipiendis utriusque sexus exhomologesibus puritatem se conservare non posse sibi persuadet, et, cum oratio gratiam ad omnia impetrare possit, ex pusillanimitate nihil se a Deo obtenturum arbitratur. Haec pusillanimitatis tentatio pulsabat sub conversionis initia Augustinum ; sed ipse reponebat : *Tu non poteris quod isti et istae ? An isti in se potuerunt, et non in Domino Deo suo ?* Haec igitur omnia, tanquam montium altissimorum praerupta, e valle pusillanimitatis et dejectionis suae intuentur, et cacumina alpesque insuperabiles

censent, atque ita animum despondent, ut nonnunquam retro respiciant et reditum in Aegyptum meditentur.

Verum animum erigite, pusillanimes, pusillanimitatem abjicite, in Deo omnipotente confidite, et videbitis, hos montes non solum non superatu impossibiles, sed faciles esse. Figuram pusillanimitatis hujus praebent nobis Israelitae, *Num.* 13. Qui cum ab exploratoribus a Moyse missis audirent, in terra promissa civitates reperiri perquam munitas et populos feroces, animum abjecerunt ulteriusque progredi detrectarunt. *Terra,* ajebant exploratores, *quam lustravimus, devorat habitatores suos; populus quem aspeximus, procerae staturae est. Ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustae videbamur* (Num. 13, 33 sq.). Quibus auditis, Israelitae ita animis cecidere, ut vociferarentur et murmurarent contra Moysen, dicentes: *Constituamus nobis ducem, et revertamur in Aegyptum.* Verum strenue sese opposuere viri cordati Josue et Caleb, qui terram quoque explorarunt, populumque animarunt: *Nolite* (inquiunt) *timere, Dominus nobiscum est* (Num. 14, 9): *Terra, quam lustravimus, valde bona est; si propitius fuerit Dominus, introducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem...: neque timeatis populum terrae hujus, quia sicut panem ita possumus eos devorare* (Ib. v. 7-9).

Pari ratione fiducia nobis habenda est in Deo: habet Religio montes difficultatum, habet sublimitates scientiarum, aspera mortificationum, praelia castitatis et virtutum aliarum; at Deus infinitae est potentiae, montes et valles sciens planare, ejusque omnipotentia novit omnia impedimenta amoliri, alta deprimere, depressa elevare, nobisque ac imbecillitati nostrae succurrere, modo omnem spem et fiduciam in ipso collocemus. In hanc quoque pusillanimitatis foveam dejectae erant piae feminae, in die resurrectionis Domini, pergentes ad

sepulchrum, dicentesque : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?* Cum autem sepulchro appropinquarunt, jam lapidem revolutum inveniebant. Sic igitur et in nobis pusillanimitatis profunda implenda sunt.

Speremus in Deum, confidamus in Omnipotentem. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur* (Ps. 90, 1). Puer qui natus est, Deus est, fortis est, admirabilis est, Princeps pacis est, Pater est futuri saeculi, qui vult et potest succurrere, seque succursurum toties sancte appromisit : quid igitur dubitamus modicae fidei ? Insurgant tentationes, impugnent hostes, infestent mortificationes, offerant se difficultates, in Deo confidens vinces omnia. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis ; ad te autem non appropinquabit* (Ib. v. 7); tantum animose perge : *In Deo meo transgrediar murum* (Ps. 17, 30).

II. Alterum impedimentum Christi in nos adventus est mons peccatorum, mons et collis superbiae, vanae gloriae et cupiditatis. In vita saeculari tot accumulavimus peccata, ut ingens inde mons excreverit : quemadmodum olim Romani ex fustis et fragmentis ollarum fictilium ac testarum montem coacervaverunt, quem vocavere montem testaceum, qui hodiedum Romae cernitur. At hunc montem cum gratia Dei per ascesin sacram et exhomologesin de tota vita jam complanavimus ; et si diabolus nos scrupulis et anxietatibus inanibus exagitare velit, repellendus est, et conscientia in tranquilla pace conservanda. Restat tamen, ut peccatorum radices, vitia, ac praesertim montem superbiae et collem vanae gloriae dejiciamus et complanemus per humilitatem et sinceram intentionem. *Omnis mons et collis humiliabitur.*

Hannibal, ille Romanorum terror, excelso animo dux per altissima alpium juga et caelo minantia saxa ac rupes cum exercitu maximo in Italiam velut in alterum orbem sibi viam stravit, rupes secando securibus et aceto mace-

rando ac comminuendo, ut non immerito fulmini assimiletur, quod saxa et rupes rumpit, unde Juvenalis in satyra 10 canit :

Expende Hannibalem.... Pyrenaeum
Transilit ; opposuit natura alpemque nivemque ;
Diduxit scopulos, et montes rupit aceto.

Forte hoc debuit fuisse acetum, quod montes rumpere valuerit, et longe fortius moderno nostro. At nos longe certius montem superbiae et collem vanae gloriae findemus et aquabimus aceto mortificationis serraque humiliationis, exemplo ducis nostri Jesu Christi nos deprimendo (Phil. 2, 7) : *Qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Cum esset plenus Divinitate et Majestate, *exinanivit se ;* plenus sapientia et fortitudine *exinanivit se ;* cum esset Rex Angelorum, homini similis apparere dignatus est, *et habitu,* veste, victo, domo, supellectili *inventus ut homo* pauper, egenus et mendicus. Hunc Ducem nostrum imitemur, et in nobis *omnis mons et collis humiliabitur.*

III. Viae pravitatis dirigenda seu corrigenda.

III. Tertium impedimentum est viae pravitas et curvitas. Nam *in circuitu impii ambulant* (Ps. 11, 9) amantque vias pravas et curvas ac tortuosas ; at justi amant vias rectas ; unde Sapiens ait Sapientiae 10, 10 ; *Justum deduxit Dominus per vias rectas.* At quaenam est via prava et curva ? est via vitiorum, quae per circuitus ducit ad perditionem. Via recta est virtutum, quae recta per vestigia Christi ducit ad caelum. Utramque describit sanctus Ambrosius explanans Psalmum, ubi ita exponit : *Una via est justorum, altera peccatorum : una aequitatis, iniquitatis altera. Hic libertas est cupiditatum, illic servitutis incuria : hic convivium, illic jejunium : hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantiae lacrymarum : hic saltatio, illic oratio : hic cantus dulces, illic gemitus graves.*

Quando ad trivia pervenimus, ordinarie media via est recta ; duae extremae declinant, una ad dexteram, altera ad sinistram, et sunt curvae. Ita in virtutibus, quae sitae sunt in medio, offerunt viam rectam ; duae extremae adjunctae sunt viae curvae vitiorum, vel per excessum vel per defectum. V. G. Spes consistit in medio et rectam offert viam, extrema desperatio et praesumptio vias tortuosas. Religio suggerit viam rectam, extrema vero irreligiositas et superstitio curvas. Liberalitas est via recta, extrema avaritia et prodigalitas curvae. Simplicitas est via recta, astutia et stoliditas curvae. Fortitudo est via recta, ignavia et audacia curvae. Humilitas est via recta, superbia et nimia abjectio curvae. Atque ita de aliis.

Lipsius de magnitudine Romae L. 3, c. 10, inter alia stupenda opera meminit quoque viae Appiae, ab Appio Romanorum Censore tum ante mille nongentos annos ex duris silicibus nigris et incisione in quadrum aptatis structae, quae hodiedum cernitur et ex Germania Romam proficiscentibus aliquot diebus teritur, longitudine quinque dierum, Roma Capuam usque, ea latitudine, ut duo currus sibi occurrentes libere queant commeare. Admirabilis via, de qua Lipsius fatetur: *Stupor me habet, cum vel unam viam Appiam considero,* de qua Poeta canit:

Appia longarum teritur regina viarum.

Verum haec via non est via recta, sed curva, per quam boni et mali, justi et injusti decurrunt. Via per quam nos ad Christum tendere debemus, est via recta, via virtutis et perfectionis.

Si igitur ad Christum pervenire, Christumque ad nos devertere, et in cordibus nostris nasci desideramus, *erunt prava in directa.* Omnes ambages et circuitus vitiorum declinare oportet. Sic implebimus illud, quod *S. Gregorius* Hom. 20, in Evang. n. 6 (ML. 76, 1162)

scribit: *Prava directa fiunt, cum malorum corda per injustitiam detorta ad justitiae regulam diriguntur.*

IV. Asperitas viae mitiganda.

IV. Impedimentum quartum adventus Christi ad nos ejusque spiritualis nativitatis in nobis est *asperitas viarum*. Id est, asperitas morum, iracundia, durities cordis et oris, mordacitas, dicacitas, critizatio et taxatio. Hoc impedimentum ultimum est, quod removendum clamat sanctus Christi prodromus: *Et aspera in vias planas.* Ut scilicet morum asperitatem leniamus et mites nos ad omnes praebeamus, nemini dantes ullam offensionem. *Aspera in vias planas immutantur,* inquit S. Greg. hom. 20. in Ev. (ib. 1163), *cum immites atque iracundae mentes per infusionem supernae gratiae ad lenitatem mansuetudinis redeunt.* Christus mitis et lenis nonnisi mites et lenes diligit atque invisit. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Vis ut ad te veniat? ad lenitatem mansuetudinis redi.

Quae cum ita sint, dilectissimi, juxta monitum S. Joannis Baptistae haec impedimenta quatuor removeamus: 1) Vallis pusillanimitatis impleatur, mens in Deum summa cum fiducia erigatur, a Dei infinita liberalitate, charitate, sapientia et potentia omne auxilium exspectemus, nemo animo cadat, desperet nemo: Ille paratior est dare, quam nos accipere. 2) Mons superbiae humilietur. Humilis est Rex noster et Salvator, humiles amat, ad humiles divertit. *Humilia* benigne *respicit, et alta* ac superbe tumida *a longe cognoscit* (Ps. 137, 6). 3) Pravas vias vitiorum declinemus, et rectas virtutum semitas teneamus. 4) Aspera dicta vel facta, asperos mores et modos agendi iracundiamque proscribamus; via aequa, plana, facili et mansueta incedamus. Atque ita remotis hisce adventus Christi impedimentis, *videbit omnis caro salutare Dei,* et Salvatorem nostrum cum gaudio et solatio animi intimo suscipiet.

PRO FESTO NATIVITATIS DOMINI

EXHORTATIO I.

Proponit causam, cur Christus infans fieri voluerit, scilicet ob majorem Dei gloriam.

THEMA : *Parvulus natus est nobis* (Is. 9, 6).

Haeresis olim extitit, ab auctore suo Apelle Apelliatum nomen sortita : quae quidem Christum Dominum crucifixum mortuumque pro nobis, minime vero parvulum natum, puerilibus miseriis subjectum fuisse credebat, quasi illum minus deceret nasci, quam mori. Contra hanc insurgit *Tertullianus*, auctor antiquissimus, de carne Christi cap. 5, ita scribens : *Quid magis erubescendum, nasci an mori ? Carnem gestare, an crucem ? Circumcidi, an suffigi ? Educari, an sepeliri ? In praesepe deponi, an in monumento recondi ?* Clare loquitur Propheta evangelicus Isaias, mysteria aureo gratiae saeculo eventura praevidens, dum ait cap. 7, 14 : *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Hoc est (ut mellifluus Doctor exponit) : *Infans erit, et infantilibus vescetur alimentis.* Nemo prudens negaverit Deum potuisse sibi formare corpus humanum, omnino perfectum, quale esse consuevit in aetate virili, quemadmodum Adamo primo parenti nostro efformavit in paradiso. At hoc noluit ; sed potius infans parvulus de Virgine nasci elegit.

Causam hujus rei majorem Dei gloriam esse praesenti exhortatione demonstrabimus.

I. Causa in fantiae Christi est major Dei gloria.

I. Si causam parvitatis Emmanuelis nostri rescire aveamus, ipsummet interrogemus Infantem. O Divine Infans, quae (obsecro) causa est, quod non in virili statura, sed infantili mundum ingredi volueris ? Si penitus

infantulum hunc intueamur, tacet quidem, sed ocellos in caelum ad Patrem caelestem elevare videtur, indicans causam esse gloriam Patris, confirmantque idipsum Angeli, ipso tacente, concinentes : *Gloria in excelsis Deo.* Verum quomodo ex eo Dei gloria oriatur, non illico apparet. Quare sciendum est, extrinsecam Dei gloriam in eo consistere, ut Dei potentia, sapientia, bonitas, aliaque attributa Divina hominibus innotescant ; gloria enim est clara cum laude notitia. Sed hinc rursum oritur dubium : luceatne major Dei gloria et innotescat magis Dei potentia, sapientia et bonitas, quod Christus sit infans parvulus, infirmus, contemptus ? An vere non longe magis divina haec attributa elucescerent, si Salvator mundi et Messias in Lege promissus, mundum ingrederetur in aetate virili, statura perfecta, velut Adam, speciosus ut Absalom, fortis ut David, corpore magnus et supereminens omnes ut Saul.

Respondemus, charissimi, nequaquam id ad Dei gloriam conduxisset. Verum enim, cum sit infinita Sapientia, utique elegit, quod fuit ad majorem Dei gloriam, nec aliud potuit eligere ; elegit autem corpus infantile : at cur hoc ipsum ? Deus in eo ponit gloriam suam eamque demonstrat, non quod simpliciter patret miracula et moliatur magna ; sed quod ea patret per vilia instrumenta. Quemadmodum scriptori majori gloriae est, pulchros efformare characteres calamo inepto, quam apto, et pictori pingere eleganter penicillo rudi, quam subtili : ita Deo Domino nostro majori honori est magisque ostendit potentiam suam, si per minima operetur maxima, quam si per majora eadem efficeret.

Unde cum pientissima et fortissima heroina et simul humillima Judith caelestem a Deo opem postulaset adversus bellicosum Holofernem, ejus formidabilem exercitum, ajebat ad Deum, c. 9, 15 : *Erit hoc memoriale nominis tui, cum manus feminae dejecerit eum.* Quasi

dicat: Majori erit tibi gloriae, per imbellem feminam prosternere hunc ducem, quam per alium generosum pugilem vel exercitum.

Quemadmodum majus robur et potentia, majorque inde exorta est gloria Samsoni, quod mandibula asini, vili instrumento, occiderit mille viros, quam si adhibuisset acinacem aut romphaeam bis acutam: ita majus Dei robur et potentia ac gloria est per infantem hostes potentes vincere. Et sicut major Dei gloria fuit sternere Goliathum per Davidem juvenem, et quidem funda, quam per heroem aliquem gladio et hasta instructum; ita pariter Dei major elucet potentia et gloria per infantem hostes suos debellare, quam per virum robustissimum.

Quid enim gloriosius, quam mundum longe lateque dominantem vincere? Vicit infans. Quid gloriosius, quam daemonem omnibus imperantem subjugare? Subjugavit infans. Valde in eo Dei omnipotentia et fortitudo elucescit. Deinde quanta potentia in tot, quae circa infantem hunc accidunt, mirabilibus refulget? Puellus hic in stabulo tenebroso nascitur; et claritas Dei circumfulget pastores: quanta potentia, quanta gloria! Hic puellus jacet in praesepio, absque famulitio; et Cherubini ac Seraphini famulaturi advolant e caelo: quanta gloria! Hic puellus ab Herode rege negligitur; sed a tribus Magis ab Oriente, stella duce, venientibus adoratur: quanta gloria! Hic puellus jacet inter bruta animantia, et Angeli annuntiant ejus gloriam apud mortales; dormit quiete in praesepio, et omnis Hierosolyma turbatur et angitur; prae frigore tremit, et Herodem facit contremiscere; teneras ex ocellis fundit lacrimas, et omnes pueri infra bimatum, in tota regione effundunt sanguinem. O quanta hic elucet in hoc infante Dei potentia, sapientia, bonitas et gloria! Praeclare S. Chrysostomus: *Tanto tempore in caelis tonuit, et non salvavit: in cunis vagiit et salvavit. Toties tonuit in Oriente, et nullus rex*

se ideo movit loco suo : gemit et more infantili lacrimatur in cunis, et efficit, ut e sua patria egrediantur tres reges. Fecit multa olim prodigia in Aegypto sub Pharaone rege, in aere, in aqua, in agris, in domibus, in aula et extra ; neminemque convertit ; suam ibidem transigit infantiam, et ad veri Numinis agnitionem totum illud regnum transtulit.

An non igitur, charissimi, ex his omnibus clare liquet, majorem Deo gloriam accrevisse ex infantia Christi, quam si absque ea in virili aetate salutem nostram in terris operatus fuisset? Major enim inde, ut vidimus, Dei potentia, sapientia, bonitas aliaque attributa resplendent. Laudemus ergo Dei potentiam, quae tanta per hunc infantem operatus est prodigia! Glorificemus ejus sapientiam, quae per parva novit debellare magna et per infirma confundere fortia ! Depraedicemus ejus bonitatem, quae per hunc infantem toti mundo succurrere salutemque adferre dignatus est.

II. Per parvos et humiles Deus magna operatur ad gloriam suam.

II. Nunc protasi addamus apodosin, atque ex dictis colligamus ac discamus hodiedum a Deo eandem observari methodum, gloriam suam mundo manifestandi, dum infinita ejus potentia, sapientia et bonitas per parva operatur magna et maxima per minima, id est, opera magna et gloriosa efficit non per superbos, sed per humiles. *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. 4, 6).

R. P. Cornelius Vishavaeus insignis tironum in Societate nostra magister, hoc dare solebat tironibus suis documentum, ad sanctae humilitatis commendationem: *Deus gaudet res ex nihilo condere, quod is modus infinitae ejus virtuti proprius sit, et clarius eam prodat. Ut igitur hanc rerum universitatem et pulcherrimam speciem ex nihilo procreavit; ita et in animis hominum, mundum ornatumque virtutum ex nihilo, id est, ex humilitate, qua suum quisque nihilum profiteatur, solet*

efficere; superbos vero infinitis tentationibus subjicere, quod Deus permittit, ut diffidere sibi discant. Tannerus in vita pag. 74. Haec ergo est praxis Dei, gaudet res ex nihilo condere, solet humiles, nihilum suum agnoscentes, ad magna efficienda velut aptissima instrumenta adhibere.

Asserebat olim Deus regi Pharaoni (Exod. 9, 16): *Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.* In quonam vero Deus contra Pharaonem maxime potentiam suam demonstravit? In hoc videlicet, quod bellum grave et intolerabile ei indixerit per cyniphes, minutissima animalcula. Aegyptii enim, qui ad alias sibi inflictas plagas excoecati et indurati fuerant, aspicientes et sentientes has volatiles turmas, protinus exclamarunt: *Digitus Dei est hic* (Ex. 8, 19). Ita hodiedum Deus, ut magis ejus elucescat potentia, per minima, seu per humiles, operatur maxima. Innumeris res haec comprobari posset exemplis.

1. Quam admiranda Deus in mundo universo operatus est per humiles et idiotas Apostolos? Nonne in omnem terram exivit sonus eorum, et reges ac principes cum regnis et regionibus jugo Christi subdiderunt? Ut vere dixerit Doctor Gentium: *Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (1 Cor. 1, 27).

2. Quam admiranda patravit idem Deus per Antonios, Paulos, Simeones, Franciscos, homines indoctos, sed omnino humiles? *Humilibus autem dat gratiam.* Non multi nobiles, non multi potentes mundi; sed debiles magna efficiunt pro gloria Dei et stupenda operatur.

3. Quam admiranda egit idem benignissimus Deus per Theresiam Virginem humilem, quae et 32 monasteria aedificare, libros conscribere, alios instruere, Ordinem reformare potuit; similiter de S. Clara aliisque Ordinum fundatricibus legere est. Quae sicut Juditha de Holoferne,

ita de mundo, carne, et daemone triumpharunt. *Infirma mundi Deus elegit, ut confundat fortia.*

4. Quam admiranda operari dignatus est Deus per S. Ignatium? per unum militem saecularem talem Ordinem religiosum per totum mundum excitavit. Quam admiranda per S. Franciscum Xaverium in India fecit? quot animarum millia in Ecclesiae ovile introduxit, idolatriae abstulit? Quam admiranda per aliquos primos Societatis nostrae Patres, qui erant viri humillimi, eleemosynis viventes, hospitalia frequentantes, omnem fastum declinantes, rudibus et pueris catechesin explicantes. Et quid non egere in Concilio Tridentino, in Gallia, Germania, Hispania, Italia, India et Japonia? Idem in illorum sequacibus et posteris deprehendere licet, quo majori fuere humilitate, eo copiosiores in proximo fructus fecere et gloriosiora pro Dei gloria machinati sunt. Admiranda fecit P. Franciscus de Villanova, vir humilitate excellens. Erat is parentibus agrestibus natus, doctrina modica instructus, grammaticae rudimenta pueris tradens et assidue domi in culinae ministeriis aliisque vilibus officiis se exercens; et tamen, quanta sunt, quae pro Dei gloria et salute animarum egit? Tanto fervore concionatus est, ut in stuporem dederit auditores, etiam doctissimos, et 144 selectissima capita ad Societatem adduxerit; collegium Complutense aedificavit et fundavit, ad alia plurima multum contulit Cordubae, Montillae, Conchae, Placentiae: ut Tannerus in vita ejus refert. Ex quibus omnibus cernimus, Deum eligere infirma mundi, ut fortia quaeque confundat.

Quae cum ita sint, concludamus, charissimi, majorem Dei gloriam provenisse ex Christi infantia et humilitate, quam ex ejus statura virili assumpta profluxisset. Discamus quoque, si vere cupiamus, Deum per nos tanquam instrumenta operari magna, per nostras catecheses, conciones, scientias, conversationes efficere

multa, oportere nos esse humiles in oculis nostris ; ita ostendet in nobis gloriam suam, et per humilia confundet fortia. Et sicut per cyniphes prosternet per nos Pharaonem stygium, et tanquam per alteros Davides dejiciet Goliathum, et tanquam per mandibulam asini sternet mille viros, quod vel a peccatis ad gratiam, vel ab haeresi ad fidem orthodoxam perductos Christi jugo subjiciemus. Simus humiles, et cum S. Francisco, Sancta Theresia, Sancto Ignatio et primis patriarchis nostris magna pro Dei gloria operabimur. E contra vero si superbia inflati viribusque propriis nixi fuerimus, incassum laboraturi sumus ; *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Deposuit potentes de sede : et exaltavit humiles.*

PRO FESTO NATIVITATIS DOMINI

EXHORTATIO II

Proponit aliam causam, cur Christus fieri voluerit infans ; ut scilicet disceremus ab ipso simplicitatem puerorum.

THEMA : *Invenities infantem* (Luc. 2, 12).

Admirandum penitus est, quod ad Christum infantem in stabulo, in praesepio jacentem, per Angelos accersantur pastores, et per stellam magi. De pastoribus ait Evangelista : *Venerunt festinantes ;* de tribus vero regibus scribit : *Ecce, Magi ab Oriente venerunt.* O divine Infans ! Quo fine ad te veniunt hi pastores et reges ? An non praestaret eos exspectare tempus praedicationis tuae, quando eis Evangelium et Legem novam posses proponere ? Non. Ad quid ergo veniunt ? Num eis loqueris, aut instructiones dabis ? Non. Num in eorum praesentia miracula et signa patribus ? Non. Quid igitur

apud te facient? Volo, ut me in hoc statu, in quo sum, videant; volo, ut hanc meam innocentem humilemque simplicitatem oculis suis intueantur, atque ita primam et initio conversionis maxime necessariam virtutem addiscant. Ecce me hic o pastores! o magi! aspicite me et probe perspicite, quomodo ego caeli terraeque monarcha, dominus potentiae, sapientiae et magnitudinis infinitae, pro amore et exemplo vestro factus sim innocens, humilis, et simplex infans; et haec sit doctrina, quam a me discatis, haec sit prima lectio, primum dogma, quod alte vobis imprimatis. Illud ipsum revera praeclare didicerunt pastores, qui revertebantur laudantes et glorificantes Deum; idem quoque dogma tres reges recte percepisse, satis ostendit effectus ipse, et quam efficax fuerit hic aspectus in eorum cordibus: nam per aliam viam reversi sunt in regiones suas, et non solum in Christum crediderunt atque conversi sunt, verum etiam ipsum aliis praedicarunt.

Quomodo et nos idem praestare, et a Christo infante simplicitatem infantilem discere debeamus, jam exponemus.

A Christo infante discenda Tironibus; I. Simplicitas.

I. Prima igitur virtus, quam tiro religionis a Christo infante haurire debet, est simplex innocentia, innocens humilisque simplicitas. *Illud attendite*, ait Doctor mellifluus in Epiph. Dom. serm. 3, n. 8 (ML. 183, 152), *quod primo omnium Christus apparuit puer cum Virgine matre, ut simplicitatem et verecundiam ante omnia quaerendum nobis doceat esse.* Et quidem, teste eodem Doctore, in conversionis nostrae initio nulla nobis magis necessaria virtus est simplicitate; oportet enim redire ad pueritiam. Licet enim, e saeculo ad Religionis scholam veniens, esses philosophia, theologia, jurisprudentia et omni politica ac mundana sapientia instructissimus, oportet in hac schola redire ad infantiam, ad prima religiosae vitae et perfectionis rudimenta. *Noli oggerere,*

ait dictus S. Bernardus, *Orationem habeo, jejunium, recollectionem, et modestiam; habesne simplicitatem? Non integre: exi ergo ex Clara Valle; non es habilis ad acquirendam perfectionem; quia cares ejus principio; sine quo vana spes ejus assequendae. Omnibus ergo nobis in conversionis nostrae initio nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis et gravitas verecunda* (l. c.). Haec ergo simplicitas innocens et humilis ante omnia nobis a Christo Infante est addiscenda tanquam necessaria, non solum ad perfectionem, sed etiam ad aeternam salutem, teste Veritate ipsa: *Nisi... efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* (Matth. 18, 3).

In quo autem consistit quosque actus habet haec simplicitas puerorum? Varii sancti Patres varios allegant; at prae reliquis clare *S. Hilarius* ait in Comment. in Matth. c. 18 (ML. 9, 1018): *Hi patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt; non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, et quod audiunt verum habent.* In his omnibus praeluxit nobis Christus infans, et nos ad ipsius servitium vocatos ad imitandum provocat: *Revertendum est,* pergit S. Hilarius, *ad simplicitatem infantium: quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominicae circumferemus.*

Si igitur ad hanc puerorum simplicitatem aspiremus, intueamur, quo pacto Christus Dominus infans omnia praedicta puncta tam egregie observarit: et qui eum imitari tirones debeant.

II. Patrem sequi.

II. Primus igitur actus simplicitatis puerilis est: *Patrem sequuntur, matrem amant, dictis credunt, et quod audiunt, verum habent,* eique ad verbum vel nutum obediunt: praeluxit nobis Christus infans, obediens Patri aeterno in omnibus, in nativitate, in vita, in praedicatione, in passione, in morte crucis: *Descendi de*

caelo, ait, *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* (Joan. 6, 38); *in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam... Tunc dixi: ecce venio* (Hebr. 10, 7. 9). Ecce venio in carnem; ecce venio in stabulum; ecce venio in crucem. O luculentum simplicis et perfectae obedientiae exemplum! Similiter B. Virgini obedivit, et S. Josepho in omnibus. *Erat* enim *subditus illis* (Luc. 2, 51).

Novitiis Societatis Jesu primo loco hoc amplectendum est: *Patrem sequuntur*, id est, judicium proprium mortificent, et directorem seu instructorem suum coece sequantur; quemadmodum coecus puerum ducem suum, non quaerendo causas, cur hoc illudve mandetur. Quemadmodum Christus Dominus non interrogavit, cur nasci deberet non in palatio, sed in stabulo; cur mori in ligno, et non in lecto? Et quemadmodum Apostolus Paulus, suae conversionis initio (Act. 9, 8-7): *Apertis oculis nihil videbat; Ingredere civitatem;* et *ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere,* q. d. Si vis esse Apostolus et vir perfectus, oportet te quasi coecum esse et nihil videre; oportet te vadere ad Ananiam ejusque manibus te totum tradere, deinde Petro te subjicere; hoc enim est primum fundamentum perfectae conversionis et quasi primus lapis sublimis cujusdam Apostolatus, simpliciter ambulare, simpliciter sequi, simpliciter obedire, nunquam inquirere, cur hoc potius, quam istud aliud jubeatur, cur iste et non ego adhibeatur, cur iste mihi praeponatur. Nihil horum simplex cogitat. *Apertis oculis nihil videbat* Paulus. Ita gerere se oportet novitios: oculi quidem illorum sint aperti, videantque haec vel illa fieri; sed ita oculi illorum quasi ligentur et contineantur, ut rerum causas et differentias non videant; ita confuse cernant, ut nonnullam colorum varietatem discernant, sed omnia dispositioni et ordinationi Superioris relinquant illique se totos committant. Atque hoc est, instar puerorum

patrem sequi simpliciter, et apertis oculis nihil videre. Hoc est implere illud Apostoli: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hac saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (1 Cor. 3, 18). Bene ait, *videtur sapiens esse*, non ait, *est:* Sic mundani videntur sibi sapere; sed vere non sapiunt, nisi stulti fiant.

III. Nemi-nem lae-dere.

III. Alterum simplicitatis puerilis actum assignat S. Hilarius: *Proximo velle malum nesciunt, non oderunt, non insolescunt;* sed sunt charitate et humilitate praediti. *Simplicitas,* ut ex S. Chrysostomo docet S. Albertus M. in Paradiso c. 30, *est neminem laedere, sed omnibus proficere.* Verba illa Christi Matth. 10, 16: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae,* ex graeco ἀκέραιος, sine cornu, sine vindicta, sine noxa, id est innocentes et innoxii, exponit S. Basilius; S. Hieronymus explicat: *Ut per prudentiam devitent insidias, et per simplicitatem malum non faciant; columba enim felle caret, nec ulli nocet* sive rostro, sive unguibus. Haec virtus vel maxime in Christo resplenduit. Quem enim ille unquam laesit? cui non profuit? Bethlehemitae excludunt hospitio coguntque ad olidum pecudum devertere stabulum; non male vult, non irascitur, non imprecatur, non odit. Herodes persequitur et vitae innocentis insidiatur; non vindictam parat, non ulciscitur vitam adimendo, quia malum velle nescit.

Idem imitandum Societatis Jesu tironibus. Conversionis initio non omnis ita linguam frenare didicit statim, ut non imprudens verbum excidat, quod charitatem laedat nonnihil; si laesus perfectionis avidus est, non tela retorquet, non odit, velle malum nescit. Simplex ut columba, sine cornu, sine noxa; et similia agit, dum factis nonnumquam charitas aliquantulum patitur. Theophylactus et Euthymius asserunt columbas, licet pullis orbentur, tamen ad eosdem redires lares et dominos; sic ergo Christus Dominus insinuare voluit Apostolis:

Vos Apostoli mei ita quoque nolite esse memores injuriarum vobis factarum ; sed placidi et amantes redite ad eos juvandos et convertendos, a quibus laesi vexatique estis. Idem igitur imitandum est religiosis : nulli malum pro malo reddentes, sed vincentes in bono malum. Hoc enim postulat simplex sinceritas et sincera charitas.

IV. Vitare duplicitatem et dolum.

IV. Tertius simplicitatis actus est, ut loquitur S. Hilarius, non falsum dicere, *Non mentiri. Simplicitas* enim ut eam describit B. Albertus M. in Paradiso c. 30, est virtus, qua quis hypocrisin, duplicitatem et multiplicitatem vitat. Simplicitas est virtus, qua quis talem se exterius verbis et factis exhibet, qualis interius est. Simplicitas est virtus, quae ab omni astutia et dolo, et fraude, et non necessaria actionum multitudine, aliena est. Haec virtus vel maxime fulget in Christo Infante. Ipse est *via, veritas et vita ;* nec ullum inventum est in ore ejus mendacium, nulla simulatio, nulla fraus, nulla falsitas, nulla hypocrisis, sed summa in eo sinceritas, candor et simplicitas refulget.

Tironi Societatis cum primis in hoc puncto imitanda Christi simplicitas et sinceritas, vitandaque fraus, dolus, duplicitas, multiplicitas, hypocrisis, mendacium, aliaque omnia simplicitati repugnantia. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* Multo minus ad culmen perfectionis eluctabimini. Totum ergo hoc simulationis fermentum, mox ab ipso conversionis initio penitus exhauriendum et evacuandum est. Praeclare S. Chrysostomus Orat. 10, in 1 Cor. n. 1 (MG. 61, 82) in illa verba : *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens ;* ait : *In externa* (mundana scilicet) *sapientia nisi totum eradas, et everras mentem, et non secus atque rudis te praebueris fidei : nihil praeclarum exacte scies.* Si in mente tua remanserit germen hujus pravae radicis, politiae mundanae, sapientiae terrenae, duplicitatis, simulationis, hypocrisis ; eradica, pedi-

bus contere, alias in via spiritus proficere te est impossibile. Nisi sine discursu, sine examinandi voluntate et sine dijudicatione sinas te regi, tanquam simplex et improvidus puer : *nisi non secus atque rudis te praebueris fidei, nihil praeclarum exacte scies.* Dic mihi : sentisne in pectore tuo vigorem quendam et ardorem spiritus? Non. Sentisne notabile in corde tuo virtutes sumere incrementum? Non. Unde censes hoc ipsum procedere? Aliunde non, quam ex eo, quod nondum totaliter abnegasti hoc proprium judicium, nec execrabilem hanc politiam proscripsisti penitus. Ac proinde, *in externa sapientia nisi totum exemeris, nihil praeclarum exacte scies. — Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens,* ait S. Paulus.

Neque credatis, hanc doctrinam ab Apostolo inchoatam; longe ante hoc mentis suae arcanum stabiliverat et manifestaverat Deus. *Sapientia aedificavit sibi domum* (Prov. 9, 1). Sapientia voluit esse aliquando architectrix, sumpsit in manus scalpella et malleos et aedificavit domum praeclaram : excidit in ea columnas septem ; deinde voluit etiam exercere officium architriclini : stravit enim quasi mensam regiam, *miscuit vinum, et proposuit mensam suam;* neque pro se sola hoc palatium struxit ac mensam stravit, sed pro multorum bono : nam *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis.* Verum quosnam, obsecro, ad hanc arcem, domum et mensam evocavit? *Si quis est,* inquit : sed quis? an castus? an orationi deditus? an jejuniis addictus? Non; sed : *si quis est parvulus, veniat ad me; et insipientibus locuta est : Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Quasi dicat : Estne puer aliquis? estne aliquis, qui deposita humana sapientia simpliciter vivit? Iste veniat ad habitandum cum Sapientia vera et aeterna, ac sanctitate repleatur. Non

requiruntur initio conversionis in te excelsa oratio et contemplatio, non ardentia martyrii desideria. Sed veni, modo sis puer: *Si quis est parvulus, veniat; et insipientibus locuta est: Venite, et comedite.* Modo habeas simplicitatem innocentem et humilem, sufficit: *Dives simplicitatis, dives est Deo,* ait S. Ambrosius de Nabuth c. 14, n. 60 (ML. 14, 750).

Quae cum ita sint, dilectissimi, assumite hunc Puellum pro strena, et 1) aspicite illum cum pastoribus et magis, et hanc primam ab eo discite lectionem: innocentem et humilem simplicitatem, sine qua nondum fundamentum perfectionis locatum est. 2) Relinquite judicium proprium et voluntatem vestram, et Pauli exemplo apertis oculis non videte, non dijudicate, non examinate majorum imperia; sed simpliciter obedite, coece sequimini eorum ductum et ab eorum jussis non declinate. 3) Nescite proximo velle male, sed omnibus suaves, amabiles et beneficos vos exhibete. 4) Omnem humanam et politicam sapientiam deponite, omnem duplicitatem, simulationem, hypocrisin, fraudem, dolum, et mendacium fugite: sic eritis dispositi ad veram sapientiam et disciplinam Christi, apti ad domum et mensam divinae Sapientiae; quod si vero ab ea deflexeritis, et *nisi efficiamini sicut parvuli,* simplices, innocentes, obedientes, *non intrabitis in regnum caelorum* (Matth. 18, 3), neque in domum sapientiae, perfectionis et sanctitatis.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI
ET STRENA
EXHORTATIO I
JESUS OMNIBUS OMNIA.

THEMA: *Vocatum est nomen ejus Jesus* (Lc. 2, 21).

Sanctus Franciscus Seraphicus, consideratione et contemplatione Christi Domini abreptus, tanto nonnunquam lumine et solatio replebatur, ut noctes integras transigeret ingeminando: *Deus meus et omnia.* Idem nobis de Salvatore nostro dicere licebit; *Jesus meus et omnia.* Ut enim ait in quodam sermone S. Ambrosius: Omnia habemus in Christo et omnia in nobis Christus. *Si a vulnere curari desideras, medicus est; si febribus astuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si indiges auxilio, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si caelum desideras, via est; si cibum quaeris, alimentum est.* Verbo omnibus omnia est. Isaias Propheta plura alia ipsi tribuit encomia prioribus fere synonyma Cap. 9, 6 asserens: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis;... et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Hos honorum titulos melifluus Doctor Serm. 10 inter parvos (ord. nov. serm. de diversis 53, ML. 183, 676) hac ratione exponit: *Admirabilis in nativitate, consiliarius in praedicatione, Deus in operatione, fortis in passione, Pater futuri saeculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine.* Hunc ergo Jesum Salvatorem nostrum, omnibus omnia existentem, omnibus et singulis in strenam anni hujus novi offero. Nec quisquam ingerat: Quomodo datur, qui jam datus est? *Filius datus est nobis* (teste Isaia)

nobis natus, nobis datus. Verissimum istud est: *Dedit semetipsum pro nobis* (Tit. 2, 14). Dedit quoque se nobis; sed iterumque se dare et amplius sese nobis communicare paratus est.

Ego autem *Jesum* in strenam do, tanquam omnibus omnia, et qualem quisque desiderat, talem accipiat, juxta cujusque indigentiam. Quod dictione praesente declarabimus.

I. Admirabilis.

I. Si fortasse in hoc tirocinio reperiantur nonnulli pusillanimes, qui vel in tentationibus superandis, vel in virtutibus assequendis, vel vocationi suae respondendo, vel in ea perseverando animum prope despondeant et abjiciant: erigant oculos ad Jesum Salvatorem suum. Emmanuel hic noster est secundum Isaiae vaticanium *Admirabilis*. Mirabilis enim est ejus potentia et operatio ac praesertim gubernatio et creatio totius universi, qua uti omnium, ita singulorum ac proinde etiam nostri curam gerit plus quam paternam. Et qui animo cadat? Non dicam modo de mirabili ejus incarnatione, nativitate, vita, doctrina, passione, morte et resurrectione, propter quae merito ab Isaia cap. 8, 18 *Portentum* vocatur; sed de ejus gratia, quae mirabilis est, uti in SS. martyribus, confessoribus et virginibus, ita pariter in nobis quoque mirabilis est. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.*

S. Cyprianus in Tract. de Nativ. Christi [op. non genuino] ait: *O Domine, quam admirabile est nomen tuum! Vere tu es Deus, qui facis mirabilia! Nunquid non vere admirabilem eum singuli experti sumus?* interrogat S. Bernardus Serm. 2, de Circumcis. n. 5 (ML. 183, 136). At quibus in rebus? *In mutatione utique voluntatum nostrarum. Hoc nempe est salvationis nostrae principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde laetabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane, qui haec operatur mirabilia.*

Quod si nunc inter vos quispiam in pusillanimitatis profundo haerens dicat: quo pacto passiones meas adeo vividas debellabo? quomodo vota servabo? haec et illa in Societate munia obibo? montem perfectionis conscendam? Nolite timere. Dominus nobiscum est; Emmanuel est nobiscum, qui opem feret; hunc accipite Adjutorem, Salvatorem, Ducem, cujus admirabilis est potentia et operationis efficacia. Qui tam mira operatus est in Sanctis suis innumeris, et in vobis, uti coepit, porro mirabilia operari non desinet. Tantum confidite Illique constanter adhaerete, et experiemini mirabilia.

II. Consiliarius. II. Si fortassis reperiantur in hoc tirocinio nonnulli dubii, perplexi, bono indigentes consilio, Messias noster est *Consiliarius:* vel (ut Septuaginta vertunt) *Magni consilii Angelus;* ac proinde optima vobis consilia suggeret. Est *Consiliarius* 1) propter sapientiam et scientiam divinam, in qua eadem sunt consilia Patris et Filii et Spiritus Sancti, et per quam omnium Angelorum et hominum Magister est ac Director, ut docet Clemens Alexandrinus Lib. 4, de Relig. c. 6. 2) Est *Consiliarius*, quia homo est, ob scientiam ejus beatam, qua a primo conceptionis instanti perfectissime in ipso *Deo* conspexit omnia Dei consilia circa praesens saeculum et futurum, circa angelos et homines, electos et reprobos. 3) Est *Consiliarius*, quia prudentissime instituit et peregit consilium de redemptione hominum per incarnationem et passionem, quod omnium operum Dei maximum et divinissimum fuit, ac praesertim per mysterium vocationis omnium gentium et reprobationis Judaeorum, inquit S. Hieronymus et S. Basilius. 4) *Est consiliarius*, quia homines docuit arcana Dei, mysterium SS. Trinitatis caeteraque ad salutem necessaria, atque omnia diaboli consilia, artes et fraudes detexit ac discussit: ut ait S. Cyprianus de Nativ. Christi, et S. Cyrillus. 5) Est *Consiliarius*, quia ab ipso omne sanum consilium

procedit, praesertim paupertatis, castitatis, obedientiae, aliaque consilia Evangelica ; quae sunt supra naturam et mundi ac humanae rationis captum excedunt, ut docet Sanctus Cyprianus l. c.

Ad hunc igitur Consiliarium sapientissimum et benevolentissimum nobis in dubiis confugiendum est : 1) Si quis tironum non satis capit nec satis apprehendit spiritualia, caelestia et aeterna, hunc adeat Consiliarum, quia sapientia praeditus est infinita docetque arcana Dei et fidei mysteria ac perfectionis documenta. *Si fugis tenebras, lux est ;* ait S. Ambrosius. 2) Si quis inter duo extrema anxius fluctuat, ne aut per zelum indiscretum excedat, aut per defectum fervoris intepescat, hunc accedat Consiliarium. Apte ad hanc rem Bernardus l. c. *Sed nihilominus et Consiliarium sese exhibeat necesse est in electione poenitentiae et vitae ordinatione, ne forte sit nobis absque scientia zelus, et voluntati bonae prudentia desit.* 3) Cupit quis renovare vota et simul vitam suam, sed nescit rationem, qua id aggrediatur. En Consiliarium, qui modum suggeret, qui feret auxilium, qui applicabit manum ; quia promittit : *Ecce, nova facio omnia* (Apoc. 21, 5). Recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces et opera. Sit cor novum : *Dabo vobis cor novum* (Ezech. 36, 26). Sit lingua nova : *Linguis loquentur novis* (Mc. 16, 17). Nova sint opera : ita novum annum, novum saeculum, novam vitam feliciter auspicabimur. 4) Si verseris in periculis, in aerumnis, vel in arctis positus exitum non vides, obsecra *magni consilii Angelum ;* dicito cum Josaphat rege siti presso et ab hoste obsesso : *Cum ignorenus, quid agere debeamus, hoc solum habeamus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te* (2. Paral. 20, 12). Ita fecit Esther regina ; ita Judith heroina ; ita Ezechias obsessus a Sennacherib ; ita David fugiens Absalonem et Saulem; fecerunt Machabaei obsessi ab Antiocho. Denique illustre exemplum est in vita

Josaphat apud Damascenum Cap. 30. Cum enim ipse fraudulenter a femina gentili, instinctu parentis, tentaretur, ut secum una nocte maneret, sponderetque ipsa, si id faceret, se futuram christianam: haesit ille perplexus; sed conversus ad orationem et boni consilii Angelum, cognovit fraudes serpentis tentationemque superavit, et astum patris et mulieris sua sapientia et constantia discussit.

III. Deus. III. Si anxii et solliciti simus ob peccata antehac admissa, ad Salvatorem et Agnum Dei tollentem peccata mundi pro solatio est recurrendum. Est enim *Deus*, adeoque est omnia: *Deus meus et omnia*, exclamabat S. Franciscus Seraphicus, et cum eo Pater Sotwellus, Angliae martyr. Si est *Deus*, est Creator, Conservator, Liberator, Redemptor, et peccatorum remissor et condonator. Si est Deus, est infinita potentia, sapientia et bonitas; adeoque omnia ab ipso sperare licet, at in primis remissionem peccatorum, gratiam et gloriam, quam toties poenitentibus appromisit. Unde recte S. Bernardus l. c. *Sane opus est ut Deum quoque probemus, in remissione videlicet priorum delictorum; quia nec sine hac salus nobis constare potest, et nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus.*

Ne igitur timeas, mi tiro, ne anxie te crucies de peccatis commissis, et nondum (ut metuis) dimissis. *Si iniquitate gravaris, Justitia est*, ait S. Ambrosius. Ipse *Deus* est, ipse est *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Ne igitur dubites. *Cum averterit se impius ab iniquitate sua... : et si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus non recordabor* (Ez. 18, 21. 27). Subsume: Tu avertisti te ab iniquitate tua, egisti poenitentiam; igitur omnium peccatorum tuorum amplius non recordabitur. Non morieris, sed vita vives.

IV. Fortis. IV. Si debiles et infirmi virium nostrarum imbecillitati metuamus, Redemptor noster est *Fortis*, et incomparabili potentia et robore praeditus: 1) Quia tot labores

exantlavit, tantas superavit difficultates, mortem tam crudelem constantissime pertulit, ut explicat S. *Bernardus;* 2) quia ipse est judex vivorum et mortuorum, ac potentes potenter condemnabit, ut exponit *Rupertus,* et malos in virga ferrea regens, tandem sicut vasa figuli confringet; 3) quia sine ejus auxilio vana est omnis creaturae fortitudo, inquit *Haymo*; 4) quia nos in omni tribulatione protegit et roborat, atque a nobis aereas potestates arcet ac repellit (ait *S. Bernardus*); 5) denique et maxime, quia potissimum regnum diaboli, peccati et concupiscentiae evertit. Quantum hoc, charissimi, nobis est solatium, quod Redemptorem adeo fortem nacti simus!

Nemo igitur vestrum animo cadat, nemo trepidet hostemque formidet, nemo ad ejus tentationes et impetus expallescat. *Si auxilio indiges, virtus est,* ait S. Ambrosius. Fortis est diabolus, sed Jesus fortior; fortis est mundus, sed Jesus fortior; fortis est caro, sed Jesus infinite fortior. *Confidite* (ait) *Ego vici mundum,* et carnem et daemonem, ut recte S. Bernardus l. c. *Verum ne id quidem sufficit ad salutem, nisi fortem quoque experiamur in expugnando impugnantes nos; ne ab iisdem rursum concupiscentiis superemur, et fiant novissima nostra pejora prioribus.* In illius igitur potentia, virtute, et fortitudine omnino securi confidite.

V. Si qui fortassis desperabundis haud absimiles modicam salutis suae spem concipiant, Christus est *Pater futuri saeculi.* 1) Quia futurum saeculum, id est, futuros christianos ad novam et evangelicam vitam atque sanctitatem futuri saeculi instituit. Ita *Sanchez.* Sicut Noe, ita et Christus novi saeculi auctor et parens extitit. 2) Quia post passionem resurgens et in caelum ascendens caeli januam nobis patefecit, ac vitae aeternae praemia patiendo et moriendo nobis promeruit. Ita *S. Hieronymus et alii.* Adam genuit nos tempori, Christus aeter- V. Pater futuri saeculi.

nitati ; Adam genuit nos morti, Christus resurrectioni ; Adam genuit nos terrae, Christus caelo. *Videturne jam aliquid deesse Salvatori ? Plane deesset, quod maximum est, nisi et pater esset futuri seculi, ut per eum scilicet in in immortalitatem resurgeremus, qui per praesentis saeculi patrem generamur ad mortem.* S. Bernardus l. c. Quantum hoc rursum nobis solatium ?

Si quis igitur (quod minime sperem) ex vobis, charissimi, exiguam de salute sua spem conceperit, animum erigat, fiduciam assumat, Christum Patrem futuri saeculi esse sciat. Pater est, non deseret filios, et pater quidem, qui tanta egit et passus est pro filiis ! Istiusmodi sane Pater non volet incassum egisse et pertulisse, sed se esse Jesum, id est Salvatorem et saeculi futuri Patrem demonstrabit.

VI. Princeps pacis.

VI. Si qui etiam inter tirones sint inquieti, tentati et perturbati ; Jesus natus est *Princeps pacis :* 1) Quia pacem orbi dedit et moriens testamento legavit, dicens : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (Joan. 14, 27). 2) Quia morte sua parietem medium, qui inter Deum et homines erat, dissipavit et homines Deo et summa imis reconciliavit. *Ephes.* 2, 14. 3) Quia fines nostros posuit pacem sempiternam, et hic et in caelis (*Psal.* 147, 14) : ita *S. Bernardus.* 4) Quia ipse est auctor et dator pacis internae, qua justorum conscientiae perfruuntur. *Neque hoc satis* (ait idem S. Bernardus) *si non etiam princeps pacis Patri nos reconciliaret, cui traditurus est regnum, ne forte sicut filii perditionis utique, non salutis, resurrecturi videremur ad poenam.*

Quisquis igitur tironum conscientiae pace et tranquillitate non gaudet, ad tam potentem pacis Principem confugiat. Si ob peccata praeterita scrupuli angant et mentem lancinent, hunc universalem pacificatorem adeat, ejus gratiam ambiat ; ille mentem protinus serenabit.

Quapropter, dilectissimi, hanc, quam obtuli strenam,

animo benevolo suscipite atque in honore ac pretio habete. Jesus omnibus omnia: 1) Si quis pusillanimitate obruatur, cogitet quam admirandis modis Deus ipsum vocarit, conservarit et hucusque adfuerit; et opem ejus mirabilem sentiet. 2) In dubiis positus Consiliarium hunc optimum et sapientia praeditum adeat et consulat; atque lumen obtinebit. 3) De peccatis praeteritis anxius recurrat ad Deum, omnia peccata ob Filii Unigeniti merita prompte remittentem. 4) Debilis et infirmus ad Fortem et robore immenso pollentem confugiat; et confortabitur. 5) De salute sua trepidus ad Patris futuri saeculi sinum velut asylum se recipiat; et intromittetur. 6) Anxius et scrupulis agitatus ad Principem pacis accedat, qui bella intestina conscientiae sedabit; atque ita Jesum Salvatorem in his omnibus omnia esse experietur.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI
ET STRENA
EXHORTATIO II

De aeternitate incomprehensibili et infinita.

THEMA: *Annos aeternos in mente habui* (Ps. 76, 6).

Infinitum est, ex communi philosophorum sententia, cujus semper est aliquid extra vel ultra accipere: v. g. in infinita hominum multitudine, nunquam tot millia, aut milliones desumes, quin semper plures ultra decerpere valeas. Dum quis sacrarum Literarum monumenta evolvens diversis in locis reperit: *in aeternum et ultra;* merito prima fronte admiratur rogatque, num quid esse aut fingi queat ultra aeternitatem? Sic dum Micheae c. 4, ℣. 5 legit: *Nos autem ambulabimus in*

nomine Domini Dei nostri in aeternum et ultra. Et Ex. 15, 18: *Dominus regnabit in aeternum et ultra.* Num igitur, inquit, ultra aeternitatem reperiri quidquam poterit? Sed responsio in promptu est: Nam apud Hebraeos, aeternum aliquando nuncupatur saeculum longissimum, cujus finis et terminus non perspicitur. Quando autem aeternitatem absolutam designant, addunt ad tollendum dubium, dictionem hebraeum *Vaed,* id est. *et ultra:* vel, ut Chaldaeus vertit: *in saecula saeculorum,* et septuaginta interpretes: *in saeculum et adhuc,* et ut Pagninus: *in saeculum et usque in perpetuum,* id est. omnem aeternitatem. Quamvis aliqui, per *aeternum,* absolutam intelligant aeternitatem; sed per *et ultra,* ostendi velint ex abundantia cordis et ingenti desiderio optari Deo perennem et immensam gloriam, laudem, regnum; quasi dicat: Deus regnet in aeternum, et si quae ulterior duratio dari posset, per eam ulterius semper et sine fine regnet. Sed dum hoc *in aeternum et ultra* vobis exponere cupio, non video qua ratione, quod incomprehensibile ideoque et ineffabile est, verbis explicem. D. Thomas tamen 1, p. q. 10, a. 1, methodum aliquam aeternitatem investigandi insinuat, dum ait: *Sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita; dicimus enim:* Simplex est expers compositionis; *ita in cognitionem aeternitatis oportet nos venire per tempus.*

Consideremus itaque tempus longissimum, ut nonnihil de aeternitate capiamus, eaque memoria sit nobis in mundi ac rerum terrenarum contemptu atque laboribus calcar, in adversitatibus solatium, in peccandi occasionibus amuletum. Eaque consideratio et memoria aeternitatis strena sit per anni decursum saepius refricanda, et non absque fructu spirituali usurpanda.

Prima Consideratio aeternitatis.

I. *In aeternum et ultra.* Consideremus, quid hoc sit, perpendendo tempus longissimum et componendo tem-

pora, ut per composita simplicem aeternitatem melius intelligamus et videamus, quod in aeternitatis infinito semper sit aliquid ultra accipere, incipiendo ab infinito numero arenarum. P. Clavius, matheseos peritia celeberrimus, in Sphaeram c. 1, manifeste demonstrat, duos et quinquaginta characteres arithmeticos excedere numerum arenarum, quae universum hoc ad concavum firmamenti opplerent, tametsi arenulae tam exiguae forent, ut decem millia unum granum duntaxat papaveris magnitudine aequarent. Quid si duplicetur characterum arithmeticorum numerus, sintque centum et quatuor, jam millies major erit numerus: et per consequens millenos mundos implebunt arenae. Rursum duplicentur numeri, triplicentur, multiplicentur, ita ut sint tot numeri arithmetici, quot sunt characteres in omnibus tomis et libris totius mundi, in omnibus bibliothecis. Imo coelum totum extendatur instar pellis pergamenae, totum mare in atramentum, omnes pennae volucrum aptentur in calamos, omnes Angeli et homines velociter scribentes dictam pellem cifris impleant: quis obsecro, et quantus, quamque innumerabilis exsurget numerus? Et tamen Deus novit totum hunc arenarum numerum, novit quot in eo sint milliones, quot bimilliones, trimilliones, et utrum pares vel impares existant.

Ponamus nunc Deum singulis millenis annis unam arenulam annihilare: quot milleni anni labentur, antequam unum arenarum pugillum annihilarit! Quot milleni antequam decerpserit quantum hoc conclave caperet? Quot milleni antequam tot quot vicino in monte sunt demeret? Et tamen cum sit numerus finitus, certum est tandem aliquando deveniendum ad annihilationem ultimae arenulae. Et quid tunc solatii miseris in inferno? Quid demptum foret de aeternitate? Nihil, omnino nihil: *Aeternitas nec tempus, nec temporis pars ulla est,* ait Nazianzenus Orat. 38, in Nativit. Christi, c. 8 (MG. 36,

319). Semper licebit dicere: *In aeternum et ultra*. Demantur tot anni, quot arenae sunt in uno ejusmodi spatio usque ad firmamentum, adhuc dicere licebit: *In aeternum et ultra*. Fluant tot anni, quot in mille et centies, et millies mille ejusmodi cumulis contineri possent arenae, adhuc integra manet aeternitas, et cum veritate dicere licebit: *In aeternum et ultra*. Est hoc fateor stupendum; vires ingenii superat; dici potest, comprehendi non potest aeternitas.

Haec vero aeternitatis viva memoria optima est magistra, docens nos omnia terrena despicere, divitias, honores, voluptates pro nihilo ducere et tanquam puerorum crepundia reputare. Aeternis inhianti, fastidio sunt transitoria secundum S. Bernardum serm. 1, in Dom. Palm. n. 6 (ML. 183, 253). Haec consideratio aeternitatis fine omni carentis, hoc *in aeternum et ultra* rite perpensum persuasit tot regibus et reginis sceptra et regna abjicere; hoc *in aeternum et ultra* fecit principes, comites, nobiles innumeros, omnes mundi divitias honores et voluptates pedibus conculcare, in monasteria et solitudines sese recipere atque exclamare: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas!* Quid enim? Si possemus, ajebant, centum annis frui mundi deliciis, honoribus et opibus? Quid sunt centum anni ad aeternitatem? Nihil aliud, atque pulvisculus ad totum universum, gutta ad oceanum, arenula ad totum illum antedictum cumulum, ad firmamenti concavum sese extendentem. O momentaneum! o aeternum! momentaneum quod delectat, aeternum quod cruciat. Vale igitur momentaneum, quod cruciat in flammis *in aeternum et ultra;* anhelo ad aeternum, quod recreat in caelis *in aeternum et ultra*.

Altera Consideratio aeternitatis.

II. *In aeternum et ultra*. Consideremus deinde aeternitatem hac ratione, et rursus componamus tempora, ut simplicem aeternitatem clarius perspiciamus et cernamus, in ejus infinitudine semper aliquid licere ultra accipere;

perpendo globos ferreos. Creet Deus globum rotundum ex ferro aut chalybe, huic nostro mundo magnitudine parem; dicat proditori Judae damnato: Juda, hunc ferreum globum calcabis et circuibis tamdiu, donec penitus atteratur et consumatur: (ferrum enim, ut experientia docet, longo usu atteritur; ut in coemeteriorum cratibus ferreis videre licet, quae excavantur calcando et transeundo, atque atteruntur). Quid hoc promisso Judas? Credo, prae gaudio exiliret, quia tandem aliquando, post milliones et milliones incomprehensibiles annorum, eriperetur poenis infernalibus. Perpendamus jam, quot millionibus annorum circuibit orbem hunc ferrum Judas, antequam atterat ad crassitiem unius cultri? Quot milliones, antequam ad crassitiem unius trabis? Quot milliones, antequam ad crassitiem unius domus? Quot milliones, antequam ad crassitiem unius montis? Deinde si jam attriverit in una semita ulnae longitudinem aequante, quot milliones labentur, ut ad dexteram et postea ad sinistram novam semitam pari modo ambulando atterat; et si has ternas semitas jam attriverit ad cultri vel trabis crassitiem, quot adhuc semitae conficiendae restabunt? versus meridiem Metas, Parisios, Madritum? quot ad septentrionem Coloniam, Hamburgum, Berolinum? Quid enim sunt trium ulnarum spatia? Quid millenarum ad superficiem totius mundi? Et quid consumpto tandem et attrito longissima ambulatione hoc mundo ferreo, supererit de aeternitate? adhuc licebit dicere quod ante, durabit *in aeternum et ultra*. Atterantur decem ejusmodi globi, atterantur centum, atterantur mille, et millies mille; etiam tot, quot ante numeravimus arenas. O stupendus! o incomprehensibilis numerus! sed his attritis, obsecro, quid demptum erit aeternitati? nihil: nam adhuc durabit *in aeternum et ultra*. Adhuc in caelis gaudebunt et exultabunt Sancti cum Deo *in aeternum et ultra*. Adhuc ardebunt damnati in inferno cum Lucifero

in aeternum et ultra. O aeternitas! o aeternitas! Quam raro versaris in mentibus hominum! o aeternitas damnatorum terribilis et formidabilis.

Si haec, charissimi, probe perpenderemus: quis labor, sudor, molestia, aerumna gravis accidere posset? Sive enim quis cogitet: uno duntaxat peccato letali meruisti incendia inferni sustinere in aeternum; at si centum admiseris ejusmodi peccata, centies meruisti torqueri in orco in aeternum: et quid est labor iste, quid est difficultas ista, quam sustines respectu incendii sempiterni, in quo, ut loquitur S. Bernardus Lib. med. c. 3, n. 10 (ML. 184, 492 scil. op. falso Doctori mellifluo adscr.) *Ardebunt miseri in igne aeterno, in aeternum et ultra.* Non est id, quod gutta est ad oceanum, quod arenula ad mundum universum? Sive quis etiam animo volvat laboris aut molestiae praemium aeternum, certe haec meditatio aeternitatis omnia amara dulcoret necesse est. Quid enim haec sunt ad praemium aeternum? Quid labor etiam centum annorum ad coronam et gloriam perennem? Vere ait *S. Hieronymus: Ad comparationem aeternitatis omne tempus breve est:* Comment. in ep. ad Philom. v. 15 (ML. 26, 614).

Quemadmodum vero haec consideratio aeternitatis animavit et confortavit martyres ad quosvis cruciatus ac tormenta prompto libentique animo sufferenda, ita ut, licet includerentur carceribus et ergastulis, licet onerarentur compedibus et catenis, licet volutarentur in sanguine, praeciderentur membra, ingererentur opprobria, atque ad ignes, bestias, rotas, gladios, furcas et cruces condemnarentur, tyrannis nihilominus insultarent, ut de S. Laurentio, de Machabaeis fratribus aliisque legimus. Sic eadem meditatio aeternitatis martyres incruentos, religiosos inquam, ac Dei famulos roborat, omniaque eis onera ac difficultates alleviat. *Nullus labor durus, nullum illis tempus longum videtur, quo gloria*

aeternitatis acquiritur. Occurrunt illis longae meditationes et preces, studia et labores, jejunia et mortificationes; sed nullum tempus longum videtur, quo ab ipsis gloria aeternitatis acquiritur. Occurrunt quandoque humiliationes, depressiones, degradationes, falsae delationes, sinistrae accusationes, diffamationes, gravesque persecutiones; sed quid ista omnia sunt respectu aeternitatis? Punctum ad mundum, arenula ad montem, gutta ad oceanum. Quare cuncta pro nihilo ducenda, et exclamandum cum S. Hieronymo: *Nullus labor durus,* nulla persecutio dura, nulla humiliatio et degradatio dura, *nullum tempus longum,* licet centum annorum, *quo gloria aeternitatis acquiritur.* Vere enim omnia illa respectu aeternitatis brevissima sunt et momentanea. Et tamen hoc *Momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

III. *In aeternum et ultra.* Consideremus tertio hoc infinitum durationis in aquis, in mare et fluminibus, et videbimus ad finem non pertingi, sed semper aliquid restare ultra accipiendum. Si quispiam damnatorum, dives epulo, ita ploraret, ut singulis centenis annis non nisi unam lacrimam funderet, hae autem guttulae tot annorum centuriis asservarentur, ut demum mare aliquod aequarent: eheu quot annorum milliones erunt evolvendi? Quot annorum millia expectanda ei erunt, antequam vel scyphum impleret? Quot milliones, antequam vas aliquod? Quot milliones millionum, antequam Mosellam, Rheno aut Danubio parem fluvium ex lacrimis amaris conficeret? Quot milliones millionum, antequam mare mediterraneo, orientali aut occidentali oceano par e lacrimis colligeret. Et si pelagus toti mundo, aeri et caelo haud impar plorando impleret, quid obsecro decerpsisset ex aeternitate? Nec esset medium, nec principium, multo minus finis aeternitatis. Sed durabit adhuc

Tertia Consideratio aeternitatis.

ut ante *in aeternum et ultra*. Impleatur lacrimis alterum et tertium et centesimum et millesimum mare, imo tot hujusmodi maria, quot nunc sunt in toto universo aquae guttae, aeris atomi, caeli stellae, terrae pulveres et arenae. Quid aeternitati adimetur? o res stupenda! adhuc integra persistet aeternitas, adhuc licebit dicere, ut ante: *in aeternum et ultra*. Abyssus est, ingredi licet, non egredi; et quo profundius ingrederis, eo profundiorem ac longiorem reperies. O mare sine termino! o abyssus sine fundo!

Cui haec consideratio aeternitatis in omni tentatione fraenum non praebeat? Offert caro voluptatem illicitam. Quid ages? repelles, an admittes? Pone in una lance voluptatem, durantem per horae spatium, per annum, per decennium, imo per totam vitam 70 aut 80 annorum: raro enim diutius vita protrahitur, nam *dies annorum nostrorum*, ait David, *septuaginta anni, si autem in potentatibus, octoginta*. Jam quid sunt septuaginta aut octoginta anni ad annos aeternos? guttula una sunt, et vix guttula respectu maris immensi aeternitatis. Quanta ergo dementia pro guttula mellis accersere sibi pelagus fellis immensum! Vere momentaneum quod delectat, aeternum quod cruciat. Modica hic voluptas, sed postea poena immensa, ajebat Sanctus Franciscus Seraphicus. *Alterutrum e duobus eligamus*, ait S. Bernardus, Lib. de anima [1], *aut semper cruciari cum improbis, aut perpetualiter laetari cum Sanctis: bonum siquidem et malum, vita et mors ante nos sunt positae.*

Quare, charissimi, per anni decursum vigeat in nobis viva aeternitatis memoria. Hanc assumamus in magistram, quae docebit nos omnia mundana tanquam momentanea aspernari. Offert mundus caduca bona; sed quid ea sunt ad bona quae durant *in aeternum et ultra?*

---

(1) Non invenitur inter opera S. Bernardi.

Offert caro voluptatem evanidam; sed quid illa est ad gaudia permanentia *in aeternum et ultra?* O quam brevis est omnis mundi voluptas, honor, et opulentia! *Omnis res, quae finem habet, brevis est,* ait Sanctus Augustinus in Ps. 60. Duret decem, viginti, triginta, sexaginta annis, brevis est, quia finem habet; aeternitas fine nullo clauditur. Deinde, si quid in statu religioso videatur difficultate nonnulla septum; cogita: quam diu durabit illa molestia? An viginti, triginta, quinquaginta annis? Sed quid hoc ad aeternitatem, nisi pulvisculus ad immensum montem? O quid est poena infernalis, quam toties meruisti, quae durat *in aeternum et ultra?* Quae durat diutius, quam si mille ferrei globi, toto mundo majores, a te calcando et ambulando atterendi forent. Haec si serio cogitaveris, nullus labor durus, nullum tempus longum videbitur, quo gloria aeternitatis comparetur. Denique, si tentatio vel mundi, vel carnis, vel daemonis te infestaverit, cogita praemium promissum vincenti, supplicium intentatum victo, utrumque durans *in aeternum et ultra:* et tantae non eris stoliditatis, ut guttam mellis pro pelago fellis infinito commutes. Validissimum hoc in omni tentatione frenum senties. *Haec cogitatio* (de aeternitate) *quotidie nobis animo versanda, quia nulla ad omnes tentationes vincendas ac pericula peccatorum cavenda potentior, nulla efficacior,* ait Lessius de perfect. div. l. 4, c. 4.

EXHORTATIO III

PRO STRENA.

De cura accurata temporis pretiosissimi.

THEMA: *Fili, conserva tempus* (Eccli 4, 23).

Ad Ezechiam Regem, (ut 4 Regum c. 20 legimus), ad mortem aegrotantem accedit propheta Isaias, eique Dei nomine denuntiat: Haec dicit Dominus Deus: *Praecipe domui tuae; morieris enim tu, et non vives.* Duro hoc accepto nuntio, rex convertit faciem ad parietem, oravit Dominum, et flevit fletu magno. Et audivit Dominus orationem ejus, vidit lacrimas, sanitatem restituit, annosque omnino quindecim inclinatae alias vitae ejus adjecit. *Flevit Ezechias* ob instantem denuntiatamque mortem; flevit claudendum sibi vitae tempus iterque aeternitatis jamjam ingrediendum. Quod dictum fuit regi Ezechiae, idem quoque aliquando dicetur cuilibet nostrum: *Morieris tu, et non vives: Et tempus non erit amplius.* Quis vero tunc tibi erit sensus? Quis animus? Quis dolor? Flebis fortassis elapsum tam cito tempus tuum; aut certe dolebis, tempus gratiae, tempus meriti, tempus lucri et negotiationis pro aeternitate adeo propere praetervolasse. Neque est, quod exspectes prophetam quempiam, vitae tuae tempus protelantem et annos tibi quindecim adjicientem. Sed *tempus non erit amplius* Deum placandi, peccata deplorandi, merita augendi; ideoque flebis et dolore torqueberis.

Ne vero id tibi tunc accidat, nunc tempus pretiosum rite colloca, et dum tempus habes, bonum operare; eum in finem temporis nostri brevitatem, nobilitatem et irrevocabilitatem nonnihil discutiemus ac ponderabimus.

I. Tempus breve.

I. Primum, quod ad tempus aestimandum utiliterque impendendum multum valet, est consideratio ejus brevi-

tatis. Hanc docet nos S. Paulus 1 Cor. 7, 29 sqq. ubi ait: *Tempus breve est; reliquum est, ut... qui utuntur hoc mundo, sint, tanquam non utantur; praeterit enim figura hujus mundi.* Quanta vero celeritate tempus, vita, et mundi figura praetereat, quis enarrabit? Respondet Job 9. 25: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, et non viderunt bonum.* Moderno tempore principes suos habent cursores (1), qui unius horae spatio plus itineris conficiant, quam alii tribus aut quatuor horis. *Sed dies mei velociores cursore. Pertransierunt,* pergit Job l. c., *quasi naves poma portantes,* scilicet quasi naves poma portantes ad nundinas, quae concitatissimo feruntur cursu, tum ne poma putrescant, tum ne ab aliis mercatoribus praeveniantur. Addunt septuaginta Interpretes: *Quae nullum sui vestigium relinquunt.* Pergit Job: *Sicut aquila volans ad escam,* l. c., aquila ex alto prospectans praedam, velocissimo in eam impetu et volatu rapitur. Idem Job c. 14, 5: *Breves,* inquit, *dies hominis sunt; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra* (ib. 14, 2). Quam cito flos aut decidit sponte aut falce a messoribus deciditur? quam velociter umbra avolat et evanescit?

Sed brevitatem temporis melius cognoscimus, si ejus velocem decursum penitius inspiciamus. Solemus metiri tempus vel ad cursum solis, vel ad motum primum mobilis seu caeli decimi ac supremi. Si ad cursum solis; videamus quanta sol celeritate orbem suum percurrat. Asserunt celeberrimi Mathematici, quos inter P. Clavius in Sphaeram c. 1, solem, centies et sexagies terrae globo majorem esse, eumque distare a terra quatuor millionibus milliarium seu leucarum; millionem vocamus decies centena milia. Ex tanta magnitudine corporis solaris et ejus peripheriae seu orbis aut circuli vastitate recte

(1) Recordetur lector, haec et sequentia concinnata esse ante biscentum annos.

colligitur, solem viginti quatuor horarum spacio circuitum suum perficientem, una hora percurrere 1140000 milliaria, hoc est unum millionem et centum quadraginta millia milliarium ; quod tantundem est, ac si terrae ambitum et gyrum circuiret quinquagies. O quanta velocitas cursus solaris ! ac proinde, quanta pernicitas temporis ! Si vero idem tempus, aut ejus cursum cum cursu conferamus stellarum, deprehendemus longe esse celerius. Quaevis enim stella in aequinoctiali posita singulis horis conficit duos supra quadraginta milliones milliarium et tres partes millionis : hoc est tantum spatium, quantum eques quadraginta milliaria quotidie conficiens posset 2904 annis conficere. Rursus tantum, quantum si quis una hora bis millies ambitum terrae circumiret. Quanta igitur est temporis pernicitas ! Quam velox est motus primi mobilis, cujus est mensura ! Longe igitur velocius fertur atque sagitta, quam globus tormento aeneo ejaculatus : hinc enim egeret 40 diebus ad hoc, ut totum terrae ambitum obiret, quem stella obit una hora bis millies. Instar ergo fulguris volat irrevocabile tempus ; et nos instar fulguris cum tempore rapimur ad aeternitatem. *Tu dormis* (ait S. Ambrosius in Psal. 1) *et tempus tuum non dormit ; sed ambulat, imo volat.* Cum igitur tam velociter tempus nobis avolet, facile patet, quanto studio advigilandum, ut non absque fructu nobis elabatur : et quidquid hoc brevi tempore pro aeternitate comparare nobis possumus, minime praetermittamus. Sicut falcones Norwegiae ob brevissimos istic dies magna cum velocitate praedantur, ne a nocte praeveniantur : quanto magis nobis brevitate temporis utendum, et cito colligendum, unde in aeternum vivamus ?

II. Tempus nobile.

II. Ad tempus bene fructuoseque collacandum excitat consideratio pretii et nobilitatis temporis. Quis ejus pretium sat aestimaverit ? Spiritus Sanctus per Ecclesiasticum 14, 14 monet : *Ne defrauderis a die bono, et*

particula boni doni non te praetereat. Bonum sane donum est tempus et dies bonus, cujus nec particula minima male insumenda est. Quemadmodum non neglegit aurifaber decidua auri vel argenti ramenta, quia singula collecta juvant et massam tandem conficiunt neglecta vero non leve damnum inferunt. Particulae vero temporis auri particulis longe sunt pretiosiores; unde S. Augustinus insinuans, quanti illas faceret, ait lib. II. Confess. 21. *Caro mihi valent stillae temporum.* Quam autem caro? Ut potius jacturam fortunarum, quam temporis faciendam existimet. Serm. 24, de verb. Apostoli (ord. nov. serm. 167, n. 3, ML. 38, 930): *Quando* (inquit) *aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus. Perde ergo: ex eo quod perdis, pretium est temporis: Certe quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, et emis tibi panem..... Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid; sic perde nummos, ut emas tibi quietem,* id est, tempus vacandi Deo. *Ecce hoc est tempus redimere.*

Sanctus Bernardus prudens temporis aestimator: *Tempus* (ait) *tantum valet, quantum Deus,* quippe in tempore bene consumpto comparatur *Deus.* Unde idem mellifluus Doct. Serm. ad Scholares ait (vid. ex op. spurio): *Nemo vestrum parvi aestimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile: volat tempus irremediabile; nec advertit insipiens quid admittat. Libet fabulari* (inquit) *donec hora praetereat! quam tibi ad agendum poenitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulserat. O donec transeat tempus! quo divinam propitiare debueras Pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Simili tenore loquitur Sanctus Laurentius Justinianus de vit. solit. c. 10. *Qui mente*

assequatur, ut pretiosum est tempus? aut quis lingua caritatem ejus explicet? Norunt qui amiserunt: hi enim grato animo erogarent opes, honores, delicias, et quidquid est voluptatis pro una horula: nam exiguo illo tempore possent iram et furorem divinae justitiae sedare, Angelos exhilarare, flammis aeternis se eripere, et coeleste Regnum adipisci.

Ludovicus XI. Galliae Rex tempore supremi morbi suo medico in dies numerari jubebat quingentos nummos aureos coronatos, ut pharmacis vitam protraheret. Bonus rex auro tempus mercari volebat; sed non poterat pretio vel breve tempus emi. Die enim statuto a divina Providentia fatis concedendum fuit.

Vis scire, quam pretiosum sit tempus? Vis cognoscere ejus pretium? Interroga damnatos, ipsi sciunt per experientiam. Prodeat ex abysso unus dives epulo. Dic nobis o epulo! Quid dares pro anno uno, pro die, pro hora hujus temporis? Darem (inquit) mundum universum, darem mille mundos, si haberem, darem delicias omnes, opes omnes, tormenta omnia. O si daretur vel momentum resipiscendi, poenitendi, veniam merendi; illud emerem omnibus laboribus, poenitentiis, afflictionibus, quas unquam homines tolerarunt, aut etiamnum tolerant in mundo, purgatorio et inferno, etiamsi illae centum millia, imo millies milliones annorum durarent?

Interroga animas in purgatorio. Dicent illae: Si possemus redire ad tempus merendi et satisfaciendi, emeremus illud non auro, non gemmis totius orbis, sed sanguine et vita, imo mille mortibus.

Interroga Beatos. Dicent illi: Beati mortales, o si sciretis, quae merita, quae lucra gloriae comparare possitis singulis temporis momentis, vos illa emeretis omni sudore et labore. O si nobis redire liceret ad tempus merendi, emeremus unam horam omnibus equuleis, ignibus, bestiis, martyriis, cuperemusque illa pati, quae

unquam Sancti passi sunt, usque ad diem judicii. O si redire liceret! Nos aliter illud expenderemus, quam expendimus. Sumus jam inter Angelos; nos extremum potentiae exsereremus, ut inter Seraphinos et Cherubinos adscribi mereremur. Quot hic momenta in otio deperdis, tot aeternitates gloriae, quas acquirere poteras laborando, patiendo, animas convertendo, perdis, et irrevocabiliter perdis! Si in caelo poenitere posses, non alterius rei, quam temporis perditi aut minus strenue impensi te poeniteret.

O ergo tempus nobile! o hora pretiosa! o momentum carum, a quo pendet aeternitas! Quanta vigilantia opus est, ut illud bene impendamus; ut illo non otiosis fabulis proteramus; ut illos, qui nos invisunt nobiscum tempus trituri, non auscultemus. Sapiens profecto fuit philosophus ille, qui amico fabulis secum tempus terere volenti severo vultu dixit: *Abi hinc fur temporis.* Imitemur nos religiosi. Tanto enim est fur temporis fure pecuniae pejor et nocentior, quo tempus, quod furatur, pecunia est pretiosius. Sed totum in colligendis magnis meritis, tanquam mercibus in aeternitate solum valentibus, insumamus.

III. Tempus irrevocabile.

III. Tertium, quod temporis pretium mirifice auget, est irrevocabilitas. Tempus enim semel elapsum nunquam rediturum est, quantumvis quis suspiret cum poeta:

O mihi praeteritos referat si Jupiter annos.

Frustranea et irrita sunt ejusmodi vota. Volat irrevocabile tempus, et nunquam revertitur; nam ut Ovidius Lib. 6. Fastorum canit:

Nec quae praeteriit rursum revocabitur unda:
Nec quae praeteriit hora redire potest.

Quare recte dixit Seneca lib. de brevit. vitae c. 9. *Nemo annos, nemo tot dies optimos restituet; nemo iterum te tibi reddet.* Perdidisti pecuniam, aliam lucrari potes; perdidisti domum, aliam extruere vales; perdidisti

honorem et dignitatem atque res omnes, rex aut princeps restituere poterit; tempus nemo reddet, volat irrevocabile. Unde quidam lamentabatur ob temporis jacturam, dicens:

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Quod si rex pauperi regii thesauri sui ostium aperiret, cum facultate eo die quidquid posset exportandi, nec unquam postea thesaurariam domum amplius reserandam: is sane nec momentum sine exportatione abire sineret. Ita cum jam merendi et thesauros pro aeternitate felici acquirendi tempus et facultas detur, sane nec momentum negligere oportet, quia ubi transierit, est irrevocabile. *Juravit Angelus* (in Apoc. 10, 6) *per viventem in saecula saeculorum.....: Quia tempus non erit amplius.* Meminisse nos oportet, quod docet S. Gregorius Nazianzenus in Sententiis, viam nostram quasi mercatum esse, cujus dies cum abierit, tempus non erit amplius emendi quae velis.

Ex quo cum Apostolo merito concludimus: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei* (Gal. 6, 10) et 2 Cor. 6, 2: *Ecce, nunc tempus acceptabile; ecce, nunc dies salutis.* Quod dum habemus, bene impendamus; quia (ut ait Thomas Kempensis) perditum non redit tempus. Tempus semel amissum in aeternum non est recuperabile.

Quapropter, charissimi, cum tempus nostrum 1) breve sit et instar cursoris seu tabellarii celeriter transeat; instar navis poma portantis cito transcurrat; instar aquilae, instar sagittae, instar umbrae, imo et instar fulguris quam citissime transvolet, et opinione nostra citius instar arenae in clepsydra elabatur; 2) cum tempus sit adeo pretiosum, ut nullo cum aureo, nullis cum gemmis, thesaurisque comparari valeat; utpote in quo thesauros caelestes infinitos et aeternos acquirere nobis

valeamus, ut animae tam inferno et purgatorio, quam in caelo degentes experientia didicerunt; 3) cum denique tempus sit irrevocabile, et semel elapsum, in aeternum nobis non sit restituendum: *dum tempus habemus, operemur bonum,* maximam temporis curam et rationem geramus, ne absque fructu elabatur. Nunc est tempus acceptabile, tempus nundinarum, tempus meritorum, tempus gratiae, tempus gloriae aeternae promerendae. Quare nunc redimentes tempus et duplici fervore, duplici bonorum operum cumulo, tanquam duplici foenore, neglectum resarciamus secundum Apostoli monitum (Eph. 5, 15 sq.): *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis; non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt;* id est, dies miseri et aerumnosi, dies breves, dies pretiosi, dies irrevocabiles, quibus male perditis et dilapidatis, tota aeternitate tempus merendi, caelestesque thesauros colligendi non erit amplius.

EXHORTATIO I

Feria VI in Parasceve

DE PASSIONE DOMINI

SEU

De tribus Christi Domini sociis, paupertate, contemptu, dolore.

THEMA: *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum* (Ps. 87, 16).

Redemptor noster tres ex omni Apostolorum numero singulari dilectione est prosecutus, scilicet Petrum, Jacobum et Joannem: Hos tres tanquam socios individuos, sibi adesse voluit in resuscitatione filiae Jairi, in

transfiguratione sua in monte Thabor, ac denique in agonia sua in horto Gethsemani, in signum peculiaris sui in eos amoris et vicissim illorum erga Dominum et Magistrum suum. Fuere hi tres socii Christi aliquo tempore, sed non toto vitae ejus decursu; habuit alios tres socios, semper sibi praesentes, quos nec ad momentum temporis totius vitae spatio a se separari permisit.

De his agit divinitus illustrata B. Angela de Fulginio, atque ita loquitur: *Liber vitae non est aliud quam Christus Dei Filius, qui est Verbum et Sapientia Patris, qui in hoc apparuit ut per vitam suam, mortem et doctrinam nos instrueret. Videndum proinde nobis, qualis fuerit ejus vita et conversatio, et videbimus, quod tota vita habuerit hos tres socios: perfectissimam, summam et continuam paupertatem, perfectissimum, summum et continuum despectum, perfectissimum, summum et continuum dolorem.*

Haec est societas, cui associatus fuit tota vita Christus, ut nobis exemplum praeberet eandem quoque ante omnia eligendi, diligendi, ac tolerandi usque ad mortem. Per hanc societatem ipse qua homo caelum conscendit; per hanc potest ac debet anima religiosa ad Deum pergere, nec est alia via rectior, securior et melior ad ipsum. Et par est, ut viam, quam tenuit caput, teneant et membra; par est, ut filii patris, milites ducis, subditi regis sui vestigia legant.

Has igitur tres societates, seu tres socios vobis, qui in Societatem Jesu vocati estis, proponemus; ut eos eligamus, amemus et constanter tota vita retineamus, nec usque ad ultimum spiritum dimittamus.

I. Societas Jesu paupertas.

I. Prima societas Jesu Christi libri vitae et salutis nostrae fuit perfectissima, summa et continua paupertas, quemadmodum vates regius in ejus persona loquens testatur: *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea* (Psal. 87), ab infantia usque ad mortem.

1. Primus gradus perfectissimae hujus paupertatis Christi, qui est magister noster et via et liber animae nostrae, in quo studere debemus, et a quo discere oportet, est, quia voluit esse pauper et egenus omnium rerum temporalium hujus mundi, ita ut non habuerit terram, nec vineam, nec hortum, nec domum, nec aliam possessionem, nec aurum, nec argentum, nec pecuniam, nec ullam rem propriam; atque ex omnibus id solum recipere voluit, quod esset ad puram vitae sustentandae necessitatem, cum fame, siti, penuria, frigore, calore, labore, austeritate et mendicitate, rebus grossis et vilibus contentus, omnia delicata et commoda respuendo. Ita ut vere dicere potuerit: *Pauper sum ego.*

2. Alter paupertatis gradus, priore altior, in eo fuit, quia voluit vivere pauper amicorum et consanguineorum, et omnis familiaritatis magnorum et potentium, scribarum, sacerdotum, pharisaeorum, omnisque amicitiae temporalis, ita ut nec ex parte matris, nec ex parte sancti Joseph nutritii, nec ex parte discipulorum ullum habuerit, cujus intuitu vel una alapa, vel unus flagelli ictus condonatus fuisset. Vere *Pauper sum ego.*

3. Tertius gradus perfectissimus fuit, quando expoliavit se semetipso, id est, potentia, sapientia, sanctitate et imperio. Et quidem *primo* exinanivit se in potentia. Cum enim esset omnipotens, voluit apparere coram mundo debilis, infirmus, miseriis nostris subjectus, doloribus et fatigationibus exhaustus. *Secundo* exinanivit se in sapientia et apparere voluit simplex, ignorans et insipiens. Licet enim esset sapientia Patris, scientiarum dominus, magister Apostolorum, inspirator Prophetarum, Doctor Doctorum: noluit tamen eruditionem suam et scientiam patefacere, sed eam occultare maluit et silere, ut omnes mirarentur. *Tertio* expoliavit et exinanivit se et pauperem fecit in fama sanctitatis, bonitatis et innocentiae, quod summe est admirandum. Licet enim

vere sanctus esset, et (si voluisset) haberi potuisset Sanctus Sanctorum, et qui servo suo Joanni Baptistae sanctitatis famam eximiam concesserat, sibi quoque eam dare potuisset: non tamen voluit, sed elegit haberi peccator, peccatorum amicus, proditor, seductor, blasphemus, et inter latrones computari et in cruce pendere. *Quarto* expoliavit et exinanivit se in imperio, regno, principatu omnium rerum et dominiorum. Cum enim esset Rex regum, et Dominus dominantium, et Rex cujus regni non erit finis; ipse tamen inter homines vivere voluit ut servus, ut minister, ut venditus, ut mancipium; cumque eum vellent facere regem, fugit, et matri ac fabro subditus fuit.

Haec est paupertas et exinanitio Jesu Christi et Redemptoris nostri, quam verbo et exemplo praedicavit nobis: haec est prima societas Jesu. Sed (ut exclamat B. Angela de Fulginio) *Pro pudor! pro pudor! haec paupertas spiritus hodie est de mundo expulsa, et quasi ab hominibus fugata.* Et *(quod est detestabilius) ab illis quoque, qui eam legunt in hoc libro vitae, et intelligunt, et eam praedicant, et extollunt; ipsi tamen non amplexantur, sed fugiunt. Hanc paupertatem mundus odit, Christus diligit. Sed quis est homo, quae mulier, quis vir, quae creatura, quae dicere possit, quod sit sociata tali societati?* Charissimi, quid de nobis sentiemus? Sumusne de Societate hac Jesu? *Vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri* (1 Cor. 1, 9). Sed estisne de hac tam dilecta Jesu Societate? Auditis, scitis, firmiter tenetis, quo cibo, potu, vestimento, cubiculo, domo, familia usus sit Redemptor, Magister et Illuminator vester: estisne illi similes? Nominatis vos christianos, Societatis Jesu novitios; summam ejus paupertatem laudatis et beatificatis, sed num etiam desideratis et amatis? Si non, non estis in Societate Jesu praedicta; si vero ametis et amore Jesu omnibus prae-

dictis vos spoliaveritis, quantum potestis, genuini Jesu socii eritis; eritisque beati: nam *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Matth. 5.

II. Jesu Societas contemptus.

II. Secunda Jesu Societas (ut ait Beata Angela) cui, dum vixit, Filius Dei associatus fuit, est voluntarius, continuus et summus contemptus, dejectio, ignominia, et verecundia, quae in hoc mundo assidue tolerare voluit. Vixit enim tanquam servus abjectus et vilis, imo tanquam servus malus; fuit exul, fuit derisus, illusus, ligatus, verberatus, flagellatus, ac tandem absque ulla defensione inter latrones deputatus et cum eis morte turpissima condemnatus.

Honores semper fugit, contemptum quaesivit: omnes ipsum persecuti sunt, quae persecutio ab infantia coepit, quando in terram barbarorum fugere et exulare coactus fuit. Postmodum vero quot calumniis, injuriis, opprobriis et blasphemiis fuit appetitus? Alii eum vocabant Samaritanum, alii daemoniacum, alii gulosum et vini potatorem, alii amicum publicanorum, alii seductorem, rebellem, deceptorem et falsum prophetam; alii miracula in Beelzebub facientem et in principe daemoniorum daemonia ejicientem sugillabant et convitiabantur. Quidam eum e monte praecipitem dare voluerunt, alii lapides ad eum lapidandum tollebant, alii deridebant, subsannabant, detrahebant, illudebant et blasphemabant; alii ad diversa tribunalia velut facinorosum raptabant, in faciem exspuebant, alapas dabant, comam et barbam evellebant; alii chlamyde coccinea circumdabant, flectebant coram eo, ficte adorabant, arundine percutiebant, ac tandem nudum inter duos latrones crucifigebant.

Ut melius hanc secundam Jesu Societatem penetremus, elevandi sunt oculi mentis nostrae in Christum Deum et hominem, et intuenda infinita ejus majestas, qui contemnitur. Est enim Deus aeternus, qui in veritate dicere potest: *Vivo ego in aeternum* (Deut. 32, 40). Est immen-

sus, quem caeli caelorum non capiunt, nec mille caeli comprehendunt: *Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus* (Baruch. 3, 25). Imo adeo magnus et excelsus est, ut apud Isaiam 66, 1 asserat: *Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, et Ps. 17, 11: *Ascendit super Cherubim, et volavit; volavit super pennas ventorum.* Qui (ut ait Isaias 40, 12): *Appendit tribus digitis molem terrae,* quia omnipotentia, sapientia et bonitate eam conservat. Qui est infinite sanctus, cui acclamant indesinenter Seraphini: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* (Isaiae 6, 3). Et ex altera parte cum his magnalibus componamus societatem Jesu ex innumeris contemptibus, ignominiis, illusionibus et opprobriis conflatam: et mirabimur et in stuporem dabimur; ipsi pudore suffundemur, quod Jesu sociorum nomina circumferamus et societatem ejus non diligamus.

Verus Jesu socius erat S. Joannes Baptista, qui titulum prophetae rejiciebat, vocem clamantis nominabat, se deprimi, Christum honorari gaudebat. Hoc gaudium meum impletum est: *Illum oportet crescere; me autem minui* (Joan. 3, 30). Veri Jesu socii erant Apostoli, qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5, 41). Verus Jesu socius erat Paulus, qui dicebat: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo* (2 Cor. 12, 10). Veri Jesu socii erant SS. Gregorius, Ambrosius, Basilius, qui summos honores Pontificatus et Episcopatus tanquam pestes fugerunt. Quibus annumerandus S. Ignatius, qui verbo et exemplo nos docuit, honorem, favorem, et magni nominis umbram in mundo, fugere, et quae iis contraria sunt ardenter quaerere et concupiscere. At quam pauci hodiedum reperiuntur ejusmodi veri Jesu socii? Rursum exclamat dolenter et gemebunda B. Angela, dicens:

Sed heu! pro dolor! quae persona invenitur hodie, quae diligat talem societatem? quae scilicet fugiat honorem, diligat vereundiam et confusionem in humili statu, officio, paupertate? ubi invenitur talis, qui velit despici, irridi, contemni, et de bonis ac virtutibus, quae habet, nolit laudari? Veraciter unusquisque in viam suam declinavit, non est qui faciat hoc bonum, non est qui faciet hoc bonum, non est usque ad unum. Et si quis talis reperiatur, non potest non esse summe conjunctus Deo per amorem. Sed inveniuntur multi, *pergit Beata Angela*, qui dicant, diligo Deum et mundi honores non curo; sed ignominiam et confusionem mihi inferri nolo. Sed istud est signum exiguae fidei, modicae justitiae et parvi amoris et magnae tepiditatis. Vel enim commisisti confusione digna, vel non? Si primum, sustine patienter, ut Deo et proximo facias satis; si secundum, centies libentius confusio toleranda est, quia tota cedit in augmentum gratiae et gloriae infinitae.

III. Societas Jesu dolor.

III. Tertia societas *Jesu* fuit continuus et summus dolor; cui statim, atque Anima Christi corpori conjuncta fuit, associatus fuit: *In laboribus a juventute mea* (Psalm. 87). Nam a primo momento conceptionis suae Christus repletus fuit sapientia summa, simulque fuit viator et comprehensor; statimque coepit sentire summum dolorem, sciendo, vivendo et considerando onmes et singulas poenas et vulnera ac mortem, quae pati debebat.

2. Postea nascens crevit dolor, accedente ipsa experientia; nam statim coepit tolerare molestias, corporis afflictiones, persecutiones, peregrinationes, aerumnas, jejunia, famem, sitim, pluvias, frigus, aestum, labores et sudores tempore praedicationis.

3. Fuit in Christo (teste B. Angela) tota vita dolor acutissimus ex compassione erga totum genus humanum, de quo perdito et damnando dolebat ex amore, quo flagrabat intensissimo; nec solum de universo genere

hummano in communi, verum etiam de quovis homine in particulari et de singulis cujusque peccatis et poenis illis respondentibus dolebat et compatiebatur. Quot igitur fuere homines et quot singulorum peccata, tot Christus sustinuit dolores et tormenta ex summa misericordia et compassione orta. Cum igitur homines essent innumeri et peccata quasi inflnita, manifestum est, eum dolores sustinuisse innumeros et quasi infinitos.

Fuit quoque in Christo summus dolor et continuus ob offensionem Patris, ob tot peccata hominum et maxime ob summum scelus, quod erat crucifigere et interficere Filium Dei. Fuit quoque summus in Christo dolor ob compassionem erga dilectissimam Matrem, quam plus quam ullam creaturam diligebat, et quam videbat corpore, corde et animo summe afflictam et desolatam. Fuit etiam summus in Christo dolor ex compassione erga Apostolos et Discipulos et mulieres pias, quae eum secutae fuerant.

5. Acutissimus Christi fuit dolor, quia quadruplici gladiorum genere confossus fuit. *Primum* fuit obstinatorum cordium perversa crudelitas, qua assidue ipsum interficere cogitabant, qui ipsorum salutis causa venerat. *Secundum* fuit malitia et nequitia irae gravissimae et odium, quam crucifixores erga illum gerebant, quae erant quasi cultri animam Christi pungentes. *Tertium* fuit malitia et dolositas linguarum contra ipsum vociferantium ; quot enim fuere accusationes, detractiones, derisiones, blasphemiae, maledictiones, falsa testimonia, tot fuere sagittae cor ejus sauciantes, totque anima ejus dolores sustinuit. *Quartum* genus fuit crudelissimum opus passionis, quod in eum dirissime exercuerunt ; impulsus, vincula, alapae, colaphi, clavi, spina, flagella, crux ; quae omnia quantum Christo dolorem causarint, patefacere voluit verbis istis : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me !* Dolores hi eo fuere intensiores,

quo tenerius delicatiusque virgineum ejus corpus extitit, tum etiam ratione personae, quae verus erat Deus : unde quaelibet injuria et afflictio infinitum aliquod continebat, quia non solum homini, sed etiam Deo inferebatur. Et in his omnibus Salvator summam ostendit mansuetudinem, patientiam et resignationem : quia cum pateretur, non comminabatur ; cum malediceretur, non maledicebat ; cum accusaretur, non se excusabat ; cum vulneraretur, non se abscondebat aut retrahebat ; sed totaliter se hostium suorum voluntati et furori relinquebat, et ipsismet invitis et nolentibus opus redemptionis praestabat et (quod stupendum est) exemplum patientiae praebebat, veritatem docebat, et pro eis lacrimas fundens Patrem deprecabatur.

Hoc totum mysterium fecit infinita Bonitas, ut nobis exemplum praeberet : *Exemplum dedi vobis.* Sed ubi sequela ? Scimus, audimus, legimus, meditamur hos Christi dolores ; at ubi imitatio ? Scimus hanc esse viam regiam ad caelum, nec esse aliam ; et cur inire horremus? Quali confusione digni sumus, qui cum innocentes non simus, sed grandes peccatores, tamen poenitentiam condignam agere et poenas sustinere recusamus ; imo a Deo immissas repellimus, conquerimur et ad consolationes terrenas convertimur, ut in afflictionibus sublevemur ? O infelices et miseri, qui poenas a caelesti medico ut remedia peccatorum immissas recusamus. Si, Sapientia divina ordinante, modicum frigoris occurat, statim ignis quaeritur ; si caput aut stomachus nonnihil doleat, mox tristamur, plangimus, clamamus, suspiramus, ad medicos currimus, remedia quaerimus, lectum mollem disponimus, fercula delicata adhibemus, atque ut Deum placemus, Sanctos inclamamus et jejunia, peregrinationes et orationes promittimus ac vovemus. Tanta facimus pro doloribus a Deo datis et utilibus amovendis, quae pro remissione peccatorum et animae bono non faceremus.

Quodsi etiam injuriam aliquam aut adversitatem, Deo disponente, patiamur, illico turbamur, commovemur, irascimur, maledicimus, detrahimus, vindicamus omnemque molestiam refugimus. Multas quoque corporis afflictationes spontaneas suscipimus; sed salubria a Deo immissa magisque meritoria et minus vanae gloriae obnoxia evitare et declinare conamur.

Quapropter, charissimi, si veri *Jesu* Socii esse et Societatem ejus amare cupimus, triplicem hanc societatem ejus imitatione sectemur. 1. Paupertatem: Sicut ipse exananivit se in omnibus bonis temporalibus, ita et nos omnia abdicemus, nulli rei cor affigamus, omnia tanquam stercora arbitremur; et sicut ipse exinanivit se in amicis et consanguineis, ita et nos spem non ponamus in hominibus, amicis ac patronis, sed soli Deo confidamus; et sicut ipse exinanivit se in potentia, sapientia et bonitate et aliis perfectionibus, ita nos agnoscamus fragilitatem, ignorantiam et imperfectionem nostram. 2. Contemptum: Sicut Christus Dominus contemni et humiliari elegit, laudes humanas sprevit, honores contempsit, imo opprobriis saturari voluit et elegit; ita et nos honores, quantum licet, declinemus, mundo contraria eligamus, cum Apostolis et Sanctis in contumeliis gaudeamus. 3. Dolorem sive in corpore, sive in animo cum Christo libenter amplectemur, nec in ulla re gaudeamus nisi in imitatione et similitudine Christi, dicamusque cum Apostolo: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sicut Apostolo, ita et mihi crux delicium, crux gaudium, crux omne bonum. Non quaeramus in hac mortali vita voluptates et delicias in momento transeuntes; sed cruces, labores, sudores, adversitates coronas aeternas nobis fabricantes. Hac ratione veri *Jesu* Socii et de ejus Societate erimus: nam qui dicit se in Christo (et ejus Societate) manere, debet sicut et ipse ambulare et quae ipse amavit diligere, ut tandem totus figatur nobis in

corde, qui pro nobis suffixus fuit in cruce, eique confixi et conjuncti a felici ejus in caelo societate nunquam separemur.

EXHORTATIO II

DE PASSIONE D. N. J. C.

Proponit fructus Arboris Sanctae Crucis.

Feria VI in Parasceve.

THEMA : *Sub umbra illius, quem desideraverum, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cant. 2, 3).

De fructibus Passionis Domini.

Dan. 4, 8 Nabuchodonosor in somno vidit arborem, quae erat *magna, fortis, et proceritas ejus caelum contingens ; aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum in ea ; subter eam habitabant animalia et bestiae, et in ramis ejus conversabantur volucres caeli ; et ex ea vescebatur omnis caro.* Licet Daniel prophetico spiritu hanc visionem explanaverit de Nabuchodonosore : Arbor illa *tu es rex :* tamen videtur haec arbor quoque nobis adumbrare crucem Domini nostri *Jesu* Christi, quam sponsus Cant. 8, 5 *Malum* nuncupat : *Sub arbore malo suscitavi me ;* et sponsa ait Cant. 2, 3 : *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Haec ergo arbor sanctae Crucis, haec malus est *magna,* quia magna continet mysteria, prodigia, beneficia ; est *fortis,* quia sustentat eum qui est fortitudo Dei et omnia peccata mundi. *Proceritas ejus caelos contingens ;* quia ejus virtus caelos penetrat, quo et redemptos perducit. *Aspectus ejus usque ad terminos universae terrae.* Omnes quatuor orbis plagae eam respiciunt, et ab ea respiciuntur. *Fructus ejus nimius,*

quia infinitus, mille mundis redimendis sufficiens. Et *esca universorum in ea:* omnia animalia in ea pabulum reperiunt: 1) *Bestiae subter ea habitant,* id est, peccatores, et in via purgativa versantes, qui nondum sat mortificarunt bestiales passiones et motus; 2) *animalia* cicurata, praecipue rationalia, id est, homines secundum rationem viventes, et in virtute proficientes; 3) *volucres caeli* habitant in ramis ejus, id est contemplativi et viri perfecti. Atque ita: *Ex ea vescitur omnis caro.*

Sub hac igitur arbore malo collocat se sponsa, dum ait: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus illius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Dum sedet, meditatur ac contemplatur Christum crucifixum, triplicem fructum decerpit. Primus est cognitio certa plurium caelestium veritatum, quibus intellectus divino lumine perfusus pascitur et summe delectatur. Secundus est pius affectus amoris et devotionis, contritionis, laudis, gratiarum actionis, compassionis et imitationis, quibus magno cum gaudia voluntas reficitur. Tertius denique est studiosum opus in omnigenae virtutis materia, quo cunctae animae vires pascantur et saturentur, ut juxta sententiam Pauli (Phil. 1, 11) simus *repleti fructu justitiae per Jesum Christum,* et (Col. 1, 10) *in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei.* Hos autem fructus Apostolus idem reducit ad duodenum numerum. *Fructus Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia etc.* (Gal. 5, 22). Qui omnes dulces sunt animae, quae Dei sponsa est, quia sunt fructus ligni vitae, qui vitam mirabiliter nutriunt et oblectant. Et licet quidam sint amari, tamen per vehementiam amoris, quo carpuntur, valde dulcescunt. Nam *anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet* (Prov. 27, 7). Et hinc sponsa prius exponit suum desiderium: *Quem desideraveram,* ac postea subjungit: *Fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Ostendemus igitur hac exhortatione, quomodo cum sponsa sub hac arbore crucis sedere debeat incipiens, proficiens et perfectus, ut quisque fructum gutturi suo dulcem ex ea decerpat. Quod ut fiat, oro cum Origene: *O Domine, da mihi hunc fructum, dulcem fructum animae meae; altus est: attolle desiderium; benedictus est: sanctifica obsequium; imputribilis est: purifica affectum; suavis est: laetifica animam, ut in eo delectetur, qui es potentissmus fructus, potens illam in aeternum satiare.*

I. Primo. Sub hac arbore crucis habitant ferae bestiae, id est peccatores et ii qui bestiales motus nondum mortificarunt; et hi omnes reperiunt escam in ea. *Esca* enim *universorum in ea.* Hi fructus famem sedant, sitim terrenorum extinguunt. I. Fructus mortificatio vitiorum.

Doctissimus juxta ac piissimus Cardinalis Sfrondatus in Nodo praedestinationis p. 2, § 2 narrat, inter insulas Canarias seu Fortunatas unam dici ferream, in qua nulli fluvii, nulli fontes, rores aut pluviae, adeoque aquarum dulcium nulli copia; incolae vero sex millia. Quis non crederet hos omnes siti perituros? Et tamen providit natura. Nam in medio insulae arbor maxima, quadraginta pedes alta, et ubi maxime sparguntur comae, 120 pedes lata. In hanc quotidie sub meridiem nubes incumbit, duratque in proximum diem, et Solis ortu evanescit. Ex nube per folia et ramos tanta vis aquarum decurrit, ut sufficiat vicies mille amphoris implendis; una vero amphora quinque hominum siti. Ex puteo per Euripos, Nilosque in totam insulam aqua diffunditur, abundatque omnium necessitati. Vere praeclara utilis et necessaria arbor.

Verum quidquid fuerit de hac fabulosa arbore, longe praeclarior arbor est S. Crucis in hac non fortunata, sed ferrea mundi insula, quae non solum aquam ad lavandam et ad refrigerandam sitim, sed et sanguinem

ad purificandum, pascendum et sitim restinguendam abunde profundit; non sex millium hominum, sed infinitorum millionum siti levandae et maculis peccatorum abluendis. Sine hac arbore totus mundus maneret illotus et in sordibus, sine hac arbore nullus mortalium sitim extingueret concupiscentiarum, beatitudinis aeternae, gratiae et gloriae.

Sub hac arbore se collocare debet anima Deo servire incipiens ac dicere: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.* Sedi et excepi aquam, ut sitim rerum fluxarum extinguat, sanguinem ut me pascat et abluat. Hic sanguis et aqua defluit instar roris aut pluviae verno aut aestivo tempore, quae rosis purpuram, candorem liliis, hyacintho colorem cyaneum aut coelestem, et secundum plantae aut floris qualitatem et dispositionem cuilibet colorem et odorem attemperat. Sic quoque arbor Crucis Christi Jesu, sanguine et aqua manans, cuivis animae religiosae Deo servire incipienti secundum suam dispositionem et capacitatem fructus suos impertit. Ac 1) quidem *timorem Dei,* dum perpendit, quantum Dei Filius ob peccata patiatur; dicitque cum timore: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* 2) Vanitatem rerum terrenarum cognoscit, cognita creaturarum vanitate et impotentia satiandi. 3) Tertius fructus est aversio a creaturis, conversio ad Deum, dolor, contritio, detestatio peccati, quod ob bona fluxa Deum offenderit, propositum efficax. Refert S. Vincentius Ferrerius sermone de Parasceve, quosdam putasse Christi in cruce umbram tetigisse latronem, qui a dextris erat, eique sanctitatem contulisse, infundendo spiritum compunctionis. Si umbra Petri tantae virtutis fuit, quanto magis umbra Christi Domini crucifixi. At sit ut sit, hoc certum, umbram, protectionem et gratiam Christi. spiritualiter bonum latronem tetigisse, cujus virtute aestus vitiorum extincti sunt et perfectam animae salutem adeptus est;

nulla enim est potentior umbra contra omnes vitiorum igneos aestus, quam crux et passio Christi: *Quem* teste Apostolo ad Romanos 3, 25, *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum.* 4) Quartus fructus est mortificatio vitiorum et passionum: nam nuditas Christi umbraculum est contra aestum avaritiae; sitis ejus et aceti vinique felle mixti potus umbra est contra impetus gulae; dolores carnis ejus obumbrant contra aestus libidinis; denique nullum est vitium, cujus non sit medicinalis umbra in Christi vulneribus, a quibus prodeunt spiritus quidam vitae salutiferi efficacesque inspirationes, quibus viventes sub ejus umbra protegimur, refrigeramur et sanamur. Quod praeclare in hunc locum Cantici declarat *S. Gregorius*, dum ait: *Umbra Christi protectio est Spiritus Sancti. Spiritus quippe Sanctus mentem quam replet obumbrat, quia omnium tentationum fervorem temperat; et dum aura suae inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii caloris sustinebat, expellit. Et quam jam forsan nimius ventorum aestus marcidam fecerat, umbra S. Spiritus protegens recreat; ut dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad aeternam vitam robustius currat.* Ita ille (ML. 79, 495). Ita bonus latro, qui hac inspiratione in cruce obumbratus una hora pervenit ad paradisum.

Sede ergo, anima mea, tanquam affectus sub umbra illius quem desideras et amas, oculos in Jesum cruxifixum conjice. O quid video! o quale spectaculum mundo, Angelis et hominibus stupendum! Video caput mei Salvatoris spinis coronatum, vulneratum, dolore repletum. Video faciem alias speciosam prae filiis hominum ita sanguine, sputis et livore foedatam, ut non sit ei species neque decor. Video manus beneficas et thaumaturgas mei Redemptoris clavis confixas, et sanguine roseo

manantes. Video pedes sacratos perterebratos et cruci affixos, sanguinis rivos effundentes. Video totum corpus denudatum, vulneratum, deformatum, diffissum et disruptum flagris, ita ut a planta pedis usque ad verticem non sit in eo sanitas. Video (cum *S. Augustino* loquor Medit. c. 6, op. tamen spur. ML. 40, 906) *quomodo candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati Sanguinis unda.*

Haec per fidem intueor, haec credo, haec miror et stupeo, intime compatior, et causam rescire desidero. Quis obsecro patravit talia? Quis caput horum et causa dolorum? Si Patrem caelestem interrogo, respondet: *Propter scelus populi mei percussi eum* (Is. 53, 8). Si interrogo Filium ipsummet: Quis te percussit, flagellavit, crucifixit? Reponit: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (Ps. 128, 3). Si interrogo Isaiam Prophetam, confirmat eadem: *Ipse* (ait) *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* (Is. 53, 5). Si interrogo cum *Augustino* Meditat. c. 7 (l. c.): *Quid commisisti, amantissime juvenis, ut adeo dure tractareris? Quod scelus tuum, quae noxa tua, quae causa mortis, quae occasio tuae damnationis?* Et respondet: *Ego enim sum tui plaga doloris, tuae culpa occisionis..., ego tuae mortis meritum, tuae vindictae flagitium! O mirabilis censurae conditio et ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, et punitur justus; deliquit reus, et vapulat innocens; offendit impius, et damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit dominus; quod committit homo, sustinet Deus.*

Quare firmiter crede te esse causam mortis Jesu. 1. Propter scelus populi non tantum Judaei et gentilis, sed etiam Christiani, a quo te non vis exclusum: ergo et

tu causa es. 2. Supra dorsum ejus fabricaverunt peccatores, non soli carnifices, sed omnes peccatores totius mundi, inter quos ego sum; ergo ego fabricatus sum; ego flagellavi, etc. 3. Vulneratus est propter iniquitates nostras: credo me inflixisse vulnera. Ideo non dolemus ex toto corde, ideo non plangimus peccata, quia non veraciter satis credimus nos esse causam. Ergo cum Augustino dicamus: Ego sum plaga tui doloris; ego sum tui causa doloris; ego superbia mea te spinis coronavi; ego te libidine mea flagellavi; ego te gula mea felle potavi; ego acedia mea manus pedesque perfodi; ego invidia latus tuum aperui; ego verbis turpibus et detractoriis in faciem tuam conspui. O quam doleo! o quam malitiam meam detestor! O si cum Maria Magdalena possem pedes tuos lacrimis rigare! o si gratia ita confortarer, ut spinae tuae caput meum fodicarent, flagella me caederent, et crucis supplicium tecum tolerarem! Statuo firmiter millies potius mortem subire, quam te Deum summum Bonum meum denuo offendere: statuo potius cum Eleazaro ante tempus vitam finire, quam majestatem tuam denuo laedere, ac denuo Dominum ac Deum meum crucifigere. O quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut plorem die et nocte peccata, quibus te cecidi, flagellavi, coronavi, crucifixi? O quam doleo! o quam contristor!

Primo: Anima incipiens Deo servire cum sponsa collocat se sub umbra crucifixi Domini, despectis omnibus aliis mundi arboribus, quantumvis proceris. Dum enim aspicit Jesum pendentem in arbore nudum, pauperem, despectum, doloribus plenum, omnem umbram mundi et mundanorum despicit; quia instabilis, futilis et noxia est, protectionem securam praebere non valens. Talis est umbra principum, magnatum, divitiarum, honorum, voluptatum; in quibus non est vera salus, nec protectio; de quibus illud Isaiae dici potest, c. 30, 3: *Erit vobis*

fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam. Haec enim umbra concupiscentiarum ardorem non temperat, sed auget; non confert veram tranquillitatem, sed bella intestina excitat; non satiat desideria, sed accendit; vix enim incipit refrigerare, et fugit ac evanescit. Sicut umbra hederae, quae Jonam protegebat ab aestu, de qua vehementer laetabatur Jonas propter refrigerium, quod praestabat; sed cito laetitia ejus versa est in moestitiam, quia sequenti die vermis corosit hederam, et exaruit. Sic est omnis umbra, quae ab honoribus, divitiis et potentibus saeculi provenire solet, quam vermis (mors tandem) tollit. Hinc anima incipiens Deo servire, audit illud 4 Esdrae 2, 36: *Fugite umbram saeculi hujus.* Et collocat se sub umbra ejus, quem desideraverat. Hic quaerit protectionem, solatium, refugium, remissionem peccatorum, extinctionem sitis, ablutionem, refrigerationem. Haec enim arbor crucis fluit aqua et sanguine, *sanguine quo satietur et sitim extinguat, aqua qua lavetur.*

II. Fructus variarum virtutum.

II. Secundi, qui sub arbore crucis cum sponsa sedent et fructum carpunt, sunt proficientes: veluti domestica animalia cicurata et mundata, animalia rationalia sub arbore Nabuchodonosoris. Seneca Epist. 108, scribit: *In eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertam.* Similiter apis mel, homo florem, possessor fructum. Ita ex eodem agro (Haceldama), id est agro sanguinis, ex eodem monte Calvariae, sub eadem crucis arbore non solum peccator reperit conversionem, contritionem, dolorem de peccatis et vitae emendationem; verum etiam is, qui peccatis renunciavit et in via perfectionis progreditur ac proficit: alius quaerit et invenit humilitatem, alius patientiam, alius obedientiam, omnia reperiuntur in hoc monte, in hac crucis arbore.

Hoc eleganter declarat et exponit B. Albertus Magnus L. 12, de laud. Martyr. c. 4. *Flos campi* (ait) *Jesus*

Nazarenus est, qui rubet in Martyribus: viret in Confessoribus; candescit in Virginibus; pallet in Poenitentibus; nigrescit in Humilibus; rutilat in Doctoribus. Flos ille de Crucis stipite in Calvariae colle progerminans, idem Rosa, idem Lilium, idem Viola, idem Hyacinthus est. O pulcher flos! o arbor speciosa! o dulcis fructus! qui plane maturuit, dum dixit: *Consummatum est;* de quo Ecclesia canit: Arbor decora et fulgida, ornata Regis purpura, arbor una nobilis flore, fronde, germine, e cujus brachiis salus mundi perpendit.

Sub hac arbore sedet anima proficiens, et decerpit non solum fructus inferne pendentes, sed ex media arbore. Jeremias de hac loquitur: *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se.* Thren. 3, 28. Quamvis contraria videantur sedere et levare se, contraria tamen non sunt, si ad spiritum referantur; nam *sedere* quietem et diuturnam contemplationem aut meditationem indicat, *levare* autem *se* praecellentiam meditationis, elevando spiritum super omnia creata et terrena; et utrumque comprehendit sedere sub umbra Christi.

Sedet ergo anima religiosa proficiens, et levat se super se, varios decerpens ex hac arbore crucis fructus. Et quidem:

1^mus^ fructus est paupertatis Evangelicae: dum enim considerat caeli et terrae Regem, cujus sunt proprie omnes mundi thesauri, omne aurum, argentum et lapides pretiosi; dum meditatur *Jesum* nudum in cruce pendentem, non habentem velum aut tegmen, quo nudos artus contegat, carentem lecto in quo moriatur, non habentem pulvinar in quo caput reclinet, quomodo nihil penitus in mundo possideat (nam et vestimenta, quae erant tota ejus facultas, dimisit, abalienavitque, ita ut nec usum haberet, nec dominium, quod in pauperes satellites, licet crudeles hostes suos, transtulit); dum hanc ergo extremam paupertatem et nuditatem aspicit anima proficiens:

statuit nuda nudum *Jesum* sequi ; renunciat omnibus, ut *Jesu* sit discipula ; omnia arbitratur ut stercora, ut *Jesum* lucrifaciat. Et haec paupertas ipsius gutturi dulcis est propter *Jesu* amorem.

2dus fructus est humilitatis profundae : Dum enim anima sedens sub umbra crucis considerat Salvatorem suum, Deum et Hominem, quem in caelis adorant Cherubini et Seraphini, et omnes Angeli, utpote universorum Dominum omni omnium creaturarum honore et adoratione dignissimum, sic exinanitum (*semetipsum* enim *exinanivit* Phil. 2, 7), sic contemptum, despectum, latronibus associatum instar latronis : (*Et cum iniquis* seu *sceleratis reputatus est*. Is. 53, 12); dum videt eum sic blasphematum (*Praetereuntes blasphemabant eum moventes capita sua*. Matthaei 27, 39); dum videt eum ita illusum (nam *Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis* Matth. 27, 41 : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere)* ; dum videt eum sic illusum (*Illudebant ei milites* Lucae 23, ℣. 37) ; dum videt eum improperiis affectum et convitiis : (*Et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei* Matth. 27, 44, *et convitiabantur* Marci 15, 32) ; dum denique videt haec omnia summa cum humilitate et mansuetudine tolerantem: excitatur et ipsa ad omnem mundi gloriam et altitudinem humanam conculcandam; et adamandam ignominiam crucis, dicens cum Apostolo: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. 6, 14), et in ejus contemptu et opprobrio. Et hic fructus est dulcis gutturi ejus.

3ius fructus est heroicae patientiae : videns enim anima *Jesum* Redemptorem suum sic vulneratum, hanc arborem ita terebratam et decorticatam, ita ut ab ima radice usque ad verticem non sit in ea sanitas, intime compatitur, imitari gestit, et cum Sancta Theresia exclamat : *Aut pati aut mori*, et cum S. Bernardo : *Sub*

spinoso Capite non decet membrum esse delicatum. Et pati ipsi dulce est, ac cum Sancto Andrea dicit: *O bona crux! diu desiderata!*

4tus fructus est perfectae obedientiae: videns enim anima Jesum Regem suum caput inclinantem in signum obedientiae, et factum obedientem usque ad mortem, et quidem mortem crucis; deplorat suam inobedientiam; ac statuit obedire Deo in omnibus licitis et honestis non solum ad annum, sed usque ad mortem.

O Jesu crucifixe! o arbor decora et fulgida! o dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera! o arbor nobilis flore, fronde, germine! Fructus tui mundanis quidem sunt amari et nescientibus pretium eorum insipidi, at mihi amore tui sunt sapidi et dulces. Dulcis paupertas, dulcis humilitas, dulcis patientia et obedientia, et omnis virtus ac perfectio. Sicut e contra amore tui amara erit opulentia, amarus honor et aestimatio, amara voluptas, amara voluntas propria. Si tamen vel dolor, vel adversitas, vel contemptus quispiam mihi amarus accidet, scio quid faciam, imitabor Moysen, qui, Hebraeis venientibus in Mara et conquerentibus de aquae amaritudine, lignum immisit in aquas amaras, easque reddidit dulcissimas. Ita, mi Jesu, lignum crucis tuae omnia adversa, omnia amara reddet dulcia; non quod ea virtus sit in ligno crucis, sed quia te sustinuit, mi Jesu, qui es salus, laetitia, dulcedo et resurrectio nostra, per quem via aspera fit plana, omne jugum suave fit et leve, et quidquid amarum est vertitur in dulce. Id quod peto humillime cum S. Augustino in Soliloq. c. 22 (op. spurio ML. 40, 882): *Omnia mihi peto ut amarescant, ut tu solus dulcis appareas animae meae, qui es dulcedo inaestimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur.*

III. Fructus charitatis.

III. Ex arbore Nabuchodonosoris non tantum pabulum aut escam sumunt bestiae et animalia, sed et volucres caeli in ramis ejus conversantes: ita ex arbore crucis

Christi non solum fructum decerpunt peccatores et incipientes Deo servire, ac deinde proficientes, sed etiam perfecti et contemplativi. S. Bernardus Serm. 48 et 20 in Cant. (ML. 183, 1014 sqq et 870) tres gradus sub umbra Christi manentium assignat. 1. Primus est esse sub umbra, secundus vivere sub umbra, tertius sedere sub umbra. Primus gradus spectat ad omnes fideles et christianos, qui fidem Christi veram nacti sunt, ejusque passionem corde et ore profitentur, sed opere non protestantur, et ideo non vivunt in hac umbra; quia fides sine operibus mortua est, nec potest dare vitam gratiae, quam ipsa non habet. 2. Secundus gradus spectat ad justos omnes, de quibus Jeremias: *Sub umbra tua vivemus in gentibus.* Et hi inchoant a fide, et perficiunt se in charitate juxta illud Ps. 56, 2: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* 3. Tertius gradus est perfectorum et contemplativorum, qui non solum sunt et vivunt, sed etiam sedent et quiescunt ac sub umbra permanent, ejus mysteria avide contemplantes et dulces inde capientes fructus; hi autem non stant rigida elatione, non ambulant inquieta curiositate, non jacent resoluta voluptate, sed sedent tranquilla submissione, et levant se super se, aspicientes, amantes, et imitantes Jesum dilectum suum.

Sub umbra hujus arboris non solum locum habet latro poenitens, Magdalena lacrimans, aliique in terra tepentes peccatores; sed etiam Joannes discipulus, quem diligebat Jesus, et B. Virgo omni virtutum genere perfectissima, et complures ejusmodi amantes et perfectae animae versantur et commorantur in ramis ejus: nonnullae earum haerent in vulneribus pedum, aliae morantur in vulneribus manuum, aliae asylum et nidum locant in sacratissimo vulnere Lateris, ut aliquando in visione caelesti notavit S. Mechtildis. Dum enim haec piissima et Passioni Dominicae addictissima virgo die Coenae Domini

in Sacrificio Missae haec verba auscultaret: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi*, videbatur sibi in visu animae videre in medio templi perquam excelsam mirae magnitudinis et pulchritudinis arborem, ramis in crucis formam decussatis et implexis, cujus ramis appensae erant undique lampades ardentes. Loco olei fluebat ex arbore succus in lampades, qui lumen ardens nutriebat, prope quamvis lampadem appensum erat cor Jesu crucifixi amore inardescens. Ex quo ipsa colligebat, optimum cor divino amore inflammandi medium esse sedere sub arbore crucis, et mysteria Passionis profunda meditatione volvere.

Experta hoc est ipsa Mechtildis, Crucifixi singularis amatrix. Sedit illa sub umbra ejus, et fructus dulces degustavit. Cum Mechtilde et ante Mechtildem et post ejus tempora tot milleni collocarunt se sub hujus arboris salutiferae umbra, tot scilicet martyres, tot confessores, tot virgines. Sed locus omnis nondum repletus est, adhuc spatium superest nobis; quare alacriter et cum gaudio montem Calvariae conscendamus, sub crucis arbore sedeamus, et dilectum nostrum ejusque erga nos ardentissimum amorem meditemur, mutuo amore inflammemur. Ut vero debite ista meditemur, duo observanda sunt: *Aspice et inspice*. Aspice tormenta, vulnera, miserum tristeque spectaculum; sed simul inspice amorem internum, quo haec patitur. *Inspice, et fac secundum exemplum quod tibi in monte monstratum est* (Exodi 25, 40). Aspice corpus, et inspice cor. Aspice dolores externos corporis, et inspice internos animae; aspice ut consideres, inspice ut redames. Aspice et inspice, ad quid faciendum et patiendum amor tui me adegerit.

1. Ego (inquit Salvator) te, mi homo, ex amore, cum non esses, de nihilo creavi; ex amore ego te, cum jam esses, ne desineres esse, conservavi; ego ex amore, cum a me conservatus jam per te perieras, redemi; ego ex

amore, postquam redemptus eras, gratia mea ne excideres, centies et ultra in gratiam te recepi; ego tot tibi exhibui amoris argumenta, quot sunt vitae tuae momenta; ex amore et propter nimiam charitatem, qua te dilexi, te ovem perditam quaesivi, lapsam erexi, errantem reduxi. Tantam tui curam gessi; tanto semper favore prosecutus sum; tam sollicite a rictu luporum infernalium defendi: quid rependes amatori?

2. Ex amore et propter nimiam charitatem, qua te dilexi, exhibui me tibi in causa tua advocatum, in periculis protectorem, in necessitate amicum, in solitudine socium, in moerore consolatorem, amore patrem, fidelitate sponsum, felicitate summum Bonum, in omnibus Deum. Et quid rependes amatori?

Hicque amor non uno die, non uno anno, sed tota vita mea duravit, durabitque per totam aeternitatem. Cum dilexissem vos, in finem dilexi, diligamque sine fine. Et vide, quanta sit vis est potentia hujus finalis amoris!

3. Amor me in patibulum crucis adegit; amor manus pedesque perforavit; amor caput spinis pupugit; amor lancea latus meum aperuit: amor omnia membra flagellis cecidit; amor me denudavit, omnibusque spoliavit, ut omnibus pateret, quomodo Pater meus dilexerit mundum, ut scilicet Filium suum unigenitum daret, nec tantum daret, sed etiam occidi sineret.

Ad extremum amor expressit e venis meis omnem sanguinem; amor clausit mihi os et oculos; amor sustulit mihi animam, vitae vestrae vitam; amor me dat vobis in pretium, in cibum et in praemium. Quid nunc ultra debui facere ex amore, quod non feci, dum in meridie amoris cubans, amore languens exspiravi? Quid igitur rependes amatori, qui elegit pro te mori?

Quid nunc (obsecro) reponemus huic amori? *Diligam te, Domine, fortitudo mea.* Implebo mandata. Mandasti Deus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Hoc itaque faciam. Diligam te Dominum Deum meum pro me crucifixum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, et ex omnibus viribus. Nam *Cujus saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris?* ait S. Laurentius Justinianus de casto conn. cap. 8. Diligam te, Domine, fortitudo mea, Redemptor meus et amor meus. Diligam non solum verbo atque lingua, sed opere et veritate. Itaque quidquid deinceps tota egero vita, omnia agam ex amore : Si patiar, patiar ex amore ; si laborem, laborabo ex amore ; si scribam, scribam ex amore ; si studiam, studebo ex amore ; si catechizem, catechizabo ex amore ; si vigilem, vigilabo ex amore ; si dormiam, dormiam ex amore ; si orem, orabo ex amore ; se jejunem, jejunabo ex amore ; si paupertatem patiar, patiar ex amore ; si obediam, obediam ex amore ; si humiliem me, humiliabo me ex amore ; si vivam, vivam ex amore ; denique si moriar, moriar ex amore.

Totus tu, mi Jesu, eris mihi fixus in corde, qui totus pro me fuisti fixus in cruce. *Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.*

Quae cum ita sint, dilectissimi, sedeamus sub arbore crucis, et fructus ejus carpamus et degustemus. 1. Si incipientes simus, velut bestiae bestiales motus comprimamus, peccata plangamus, revertentes pectora percutiamus, Deum timeamus, vitam emendemus, nec unquam amplius Christum peccando in nobismetipsis crucifigamus ; sed faciamus fructus dignos poenitentiae, et hi erunt dulces gutturi nostro. 2. Si proficientes sumus, sedeamus sub arbore crucis, carpamus velut animalia cicurata et rationalia fructus dulces virtutum, paupertatis, humilitatis, patientiae, et obedientiae, quae licet subinde amarae videantur, lignum tamen crucis Christi omnia dulcorabit. Cum Moyse particulam ligni in aquas amaras injiciamus, et dulcescent ; et quidquid arduum ac difficile, erit dulce ; et quidquid dulce et blandum carni, erit

spiritui amarum. 3. Si perfecti simus, velut volucres caeli contemplantes ascendamus in palmam et apprehendamus fructum dulcissimum amoris Dei. Aspiciamus et inspiciamus externa quae patitur et amorem quo patitur. *Inspicite* (ait Augustinus in libro de Virg. c. 54, ML. 40, 428), *inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis.* Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Osculemur eum, amplexemur eum, redamemus eum. *Haec quanta sint cogitate, haec in statera vestri cordis appendite: ac totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus est in cruce.* Infigamus eum totum memoriae, ut de illo identidem cogitemus. 2. Infigamus eum totum intellectui, ut eum magis magisque cognoscamus. 3. Infigamus eum totum cordi et voluntati, ut eum ardentius diligamus et dulcius. 4. Infigamus eum totum operi, ut omnia ex amore dulciter patiamur et agamus atque ita cum sponsa dicere poterimus: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cant. 2, 3). Quod nobis per merita Christi crucifixi largiatur Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

PRO FESTO PASCHATIS.

EXHORTATIO I

FESTO RESURRECTIONIS D. N. J. C.

Fides Resurrectionis Dominicae gaudium et solatium parit religiosis.

THEMA: *Surrexit* (Marci 16, 6).

Duplicis generis actiones, opera ac dramata exhibentur. Prioris generis tragoediae, posterioris comoediae nomen sortiuntur. Tragoediae amoenum jucundumque initium, sed tristem fatalemque exitum habent; comoediae vero e contra tristi inchoantur principio, sed laeto, hilarique fine terminantur. Mundus ejusque asseclae meras lu[illegible]unt tragoedias; auspicantur enim cum tympanis et fistulis, cum saltibus et choreis, cum conviviis et symposiis; sed cum fletu et stridore dentium, cum fame et siti, cum poenis et tormentis, iisque aeternis, concludunt: ut in divite epulone videre est (*Luc.* 16, 19 sqq.). Qui epulabatur quotidie splendide, sed demum sepultus, est in inferno; Lazarus e contra hic miser et moestus, postmodum gaudiis redundavit. Christus Dominus et Redemptor noster non tragoediam, sed comoediam admirabilem lusit: in stabulo natus, a paupertate, contemptu, sanguinis sui effusione, persecutione, fame, siti, fatigatione, passione et morte coepit adeo ut de ipso actum esse crederetur; at post haec omnia gloriosus resurrexit a mortuis, ad coelos ascendit, et illic vivit et regnat in summa majestate et gloria. Simili ratione quisque nostrum drama vitae suae exhibet, ac proinde attendat, qualenam exhibeat. Nemini licet et hic et illic laetas agere comoedias, et voluptatibus indulgere. Qui cum Christo vult resurgere gloriosus, nunc cum ipso

patiatur intrepidus ; sequitur enim post nubila Phoebus, gaudia post luctum. Ut autem Christum Dominum nostrum imitemur, pro fundamento certo statuenda est fides resurrectionis Christi, uti et nostrae, ex qua fide in omni tribulatione et adversitate gaudium et solatium oritur. Unde haec fides ante omnia probe radicanda.

I. Fides Resurrectionis Christi.

I. Quemadmodum Salvator noster maximam adhibuit industriam ac diligentiam, ut bene inculcaret apostolis suis et discipulis resurrectionem suam et ejus fidem, ita omnibus religiosis, ac praesertim Societatis nostrae, eadem singulari studio est inculcanda et quasi aliorum basis rite collocanda. Quoties enim ante passionem suam illis praedixit et passionem et resurrectionem suam ? Matth. 12, 40 ait : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus ; ita erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Matthaei 20, 19 praedicit se crucifigendum, sed addit : *et tertia die resurget.* Similiter Mc. 10 et Luc. 18. Deinde eadem de causa post resurrectionem suam toties apparuit, stetit in medio : videte manus meas, ut scilicet Apostoli firmissime resurrectionem crederent aliosque eandem docerent tanquam fundamentum aliorum.

Quod Christus Dominus in corde Apostolorum radicatum et fundatum voluit, nimirum se resurrexisse a mortuis, ita voluit id alte quoque mentibus nostris infixum. Unde rem hanc tot testibus firmatam voluit, ut nullus posset esse ambigendi locus ; nam 1. testes habemus sanctos Angelos, qui in vestibus candidis apparuere et dixere : Mc. 16, 6 : *Nolite expavescere ; Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum ; surrexit, non est hic.* 2. Testes sunt piae mulieres, quae Dominum viderunt, et Apostolis indicarunt : *Vidi Dominum ; et haec dixit mihi ;* ita in primis Magdalene, quae Dominum agnoscens et videns atque ad ejus se pedes abjiciens, exclamabat : *Rabboni* (Joan. 20, 16. 20). 3. Testis est S. Petrus, cui Dominus

redivivus apparuit, ut insinuant Apostoli: *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (Lucae 24, 34), cujus authoritati multum tribuant. 4. Testes sunt duo discipuli euntes in Emmaus, quibuscum ambulavit in via, Scripturas aperuit, mensae assedit. l. c. 5. Testes reliqui Apostoli, quibus absente Thoma apparuit et dixit: *Pax vobis;* postea rursum praesente Thoma: *Infer digitum tuum huc* (Joan. 20, 27). *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt et crediderunt* (ib. v. 29). 6. Testes sunt quingenti fratres, quibus ante ascensionem suam in caelum apparuit in monte Oliveti et benedictionem impertiit. 7. Ipsi hostes fateri coacti sunt Christum resurrexisse, quare pecunia corrupti mentiti sunt corpus ejus ablatum esse a discipulis. 8. Ipsimet mortui Christo resurgenti testimonium dedere: *Multa* enim *corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis* (Matth. 27, 52 sq.). Atque ita tot testibus Christi resurrectionem comprobatam habemus, atque ipsorum sensuum experientia, nam per visum, per auditum, per tactum, per comestionem, vere surexisse se a mortuis Dominus comprobavit. Ex quibus geminum fidei actum eliciemus.

Credo firmissime, Jesum Christum Salvatorem meum a mortuis resurrexisse; idque credo propter auctoritatem Dei revelantis: *Surrexit, non est hic* (Marci 16, 6), *surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (Luc. 24, 34), *quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die* (ib. v. 46).

Atque hac fide animatus credo quoque resurrectionem nostram. Credo, et me resurrecturum: nam *Christus resurrexit primitiae dormientium; ergo et mortui resurgent, et nos resurgemus. Positus* enim *est hic,* etiam hoc sensu, *in... resurrectionem multorum.* Quod si vero ipse

non resurrexisset, nec nos resurgeremus: Si caput non resurgeret, nec membra resurgerent, atque ita vacua foret fides nostra, ut loquitur Apostolus (Cor. 15, 17): *Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra.* Nunc autem fides plena et integra est, quia *resurrexit.* Sicut enim Adam terrenus non pro sua solum persona, sed pro omnibus posteris peccavit: ita Adam caelestis non sibi soli, sed omnibus passus est et resurrexit. Credo igitur cum Jobo cap. 19, 25 *quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum,... et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum;... reposita est haec spes mea in sinu meo.*

II. Gaudium ex Resurrectione Christi.

II. Ex hac Christi Domini nostri resurrectione magnum merito gaudium et solatium percipimus. Quemadmodum enim agricolae cum labore et dolore sementem faciunt, at cum laetitia messem in horrea invehunt juxta illud Psalmi 125, 6: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos:* sic Christus Redemptor noster, quasi granum tritici cadens in terram et mortuum Apostolos mirifice contristavit, sed tertia die resurgens et revirescens cunctos laetitia replevit et recreavit.

Et vel ipsa Christi Domini laetitia tanquam capitis merito in omnia membra redundat. Quanta vero ipsius fuerit laetitia, quis verbis exprimat, dum se devicta morte gloriosum, victoria et triumphis de reserato aeternitatis adyto inclytum conspexit! Jonas in ventre ceti tristis erat, dum fluctus maris super illum transierunt; ejectus vero in aridam repletus fuit gaudio. Daniel conjectus in lacum leonum forte tristis erat, et rex ipse tristis tota nocte; at quando conspexit vivum et illaesum a leonibus, gavisus fuit. Samson constrictus et ligatus funibus, se comprehensum cernens, tristis, sed ruptis funibus laetus fuit. Joseph venditus afflictus, in carcerem missus tristis erat; sed postmodum exaltatus maxima

gestiit laetitia. Ita quoque Salvator noster, ante novissimus virorum, despectus, opprobrium hominum et abjectio plebis, tristis erat; nunc primitiae dormientium, nunc Rex gloriae, cui data est omnis potestas in caelo et in terra, induit decorem, amictus lumine sicut vestimento, ac proinde laetatur et exultat, meritoque asserit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam* (Ps. 93, 19).

Haec ergo Christi resurrectio et orta inde laetitia magnum nobis parit solatium, magnum laetitiam. *Haec est dies, quam fecit Dominus; exultemus, et laetemur in ea* (Ps. 7, 24). Sicut primitiva Ecclesia, ut refert S. Augustinus Epist. 119 ad Januarium (nov. ord. ep. 55, c. 15, ML. 33, 217 sq.) et Serm. 15 de verb. Apost. (nov. ord. serm. 169, c. 10 sqq., ML. 38, 922 sqq.) tantopere satagens fuit, quadraginta dies Quadragesimae in tristitia magna, poenitentiis et jejuniis transigere: ita et quinquaginta dies, a Paschate ad Pentecosten, singulari laetitia et spirituali gaudio transigi voluit. Hinc toties *alleluja* laetum resonat, a jejuniis et genuflexione abstinet. Et nos igitur cum Ecclesia universa, depulso moerore, gaudeamus, et laetemur in Domino ob resurrectionem Domini nostri praeteritam et nostram futuram. *Omnes resurgemus.* Et quidem

1. Gaudeamus in vita; quidquid nobis acciderit, animo resignato acceptemus de manu Domini. Si adversa eveniant, gaudeamus, resurrectio gloriosa omnia dulcorat; si corpus affligitur, labor atterit, morbus vexat, gaudeamus, quia resurgemus, et post brevem laborem et dolorem perpetua laetitia subsequetur. Corpus resurget gloriosum, agile, subtile, immortale, quod incredibili perfundetur laetitia, quando Deus absterget omnem lacrimam; et jam non amplius erit dolor, neque luctus, sed jubilus, exultatio, gaudium, laus, et benedictio in perpetuas aeternitates.

2. Gaudeamus et solatium concipiamus etiam in morte, quia mors jam contemnenda. Mors veteribus philosophis terribilium omnium terribilissimum dicebatur; nec immerito, quia multis janua erat damnationis aeternae, finis vitae, initium mortis secundae.

Terribilis erat mors ante Domini resurrectionem, quando caelum erat clausum et quotquot mortem oppetebant, in limbum compingebantur; at nunc dulcis et jucunda est. *Absorpta* enim *est mors in victoria... Ubi est, mors, stimulus tuus* (1 Cor. 15, 54 sq.)? Ubi terror et horror? maxime iis, qui Dei mandata servant, unice eum quaerunt; his merito Angeli dicunt: *Nolite expavescere* vos; *Jesum quaeritis,* et quidem Crucifixum. Illis enim Jesu sociis et amatoribus mors somnus est: hinc mortui in Christo dormire dicuntur. Apoc. 14. Et primi Christiani loca sepulturae vocabant coemeteria hoc est, dormitoria. Tales similes sunt phoenici fabuloso, qui ex busto denuo exoritur, de quo recte poeta canit:

Securus moritur, quia scit se morte renasci:
Non ea mors dici, sed nova vita potest.

Sicut granum frumenti, si sciret se mox revicturum, libenter in terram caderet. Dicitur esse herba in Insula Tapobrana, ex loco tapobranicae nomen sortita, quae comesa facit dulciter mori. Sic Christi resurrectio Christianos et imprimis religiosos ac Jesu socios atque imitatores dulci et jucunda morte beat ob consolationem, quae ex Christi resurrectione ac propria felici anastasi oritur. Unde hic verificatur aenigma Samsonis: *De forti egressa est dulcedo,* Judic. 14, 14.

Quocirca, charissimi, ut comoediam nostram (quam tamen mundani meram autumant tragoediam), vitam, inquam, nostram religiose instituamus, ante omnia in fide resurrectionis Dominicae nos firmiter stabiliamus, tot testibus, tum Angelis, tum mulieribus sanctis, tum apostolis ac discipulis, tum vel ipsis hostibus comprobata

et confirmata. Et credamus constanter, non solum Christum caput nostrum resurrexisse a mortuis, sed nos quoque ejus membra certissime resurrecturos. Deinde tum ob Christi Domini, tum ob nostram gloriosam anastasin gaudeamus et exultemus. Ille velut Jonas e ceto, velut Daniel ex leonum antro, velut Samson e Philisthaeorum vinculo, velut Joseph ex ergastulo liberatus resurrexit ad gloriam; nos quoque omnes resurgemus, et e sepulcris terrae prodibimus in lucem et felicitatem aeternam. Ergo gaudeamus et exultemus, qui aliquando laeti exclamabimus (Ps. 29, 12): *Conscidisti saccum meum* (mortalitatis meae), *et circumdedisti me laetitia*. Denique haec fides firma, haec spes certa nos tam in vita, quam in morte consoletur et confortet: in vita, ut adversa omnia velut momentaneum reputemus et leve in comparatione aeterni gloriae ponderis; in morte, ut per eam tanquam somnum, quietem, et beatitudinis januam, ad patriam caelestem velut ultimum finem nostrum laeti transmigremus.

EXHORTATIO II

FESTO RESURRECTIONIS D. N. J. C.

Jonas figura Christi viventis, morientis et resurgentis.

THEMA: *Surrexit* (Marci 16, 6).

Praeclaram Christi Redemptoris nostri viventis, morientis et resurgentis figuram Jonas propheta exhibet, quam ipse Dominus proponere dignatus est (Matth. 12, 40): *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.*

Hanc eximiam figuram ingeniose per puncta singula

Christo adaptat Sanctus Augustinus Lib. 4 de Symbolo ad Catechumen. Cap. 6. *Missus est Jonas in civitatem Ninive, ut ejus finem praedicaret. Missus est Christus a Patre, ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Jonas in Tharsis a facie Domini; fuga Jonae velox transitus Christi fuit, de quo dicit propheta: Exultavit ut gigas ad currendam viam. — Ascendit navem propheta fugiens. Lignum Christus ascendit, per mare hujus saeculi transiens. Irruit tempestas magna in mari; perturbatio maris perfidia Judaeorum. Data est sors, ut propheta fugitivus in mare mitteretur: sors data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo praedicaretur. Projectus est e navi in mare Jonas: mors Christi in cordibus gentium collocata est. Susceptus est a bestia propheta, custodiendus, non comedendus: audi hic ipsius vocem Christi per sanctum David: Non derelinques animam meam apud inferos; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem... Tertia die propheta litori incolumis est redditus: die tertia Christus de sepulchro surgens, super caelos est exaltatus.* Hactenus Augustinus (ML. 40, 666).

Nos ex hisce tria seligemus, ostendemusque Jonam fuisse primo figuram Christi viventis, deinde morientis, denique resurgentis; Christum vero figuram, imaginem, prototypon nostrae vitae, mortis, et resurrectionis. Christus, verus Jonas, gratiam nobis largiatur ita suo exemplo vivendi et moriendi, ut tandem cum ipso gloriose resurgamus.

I. Jonas figura Christi viventis.

I. Jonas figura fuit Christi viventis; quam enim vitam uterque laborando, circumeundo, praedicando, prophetando et multa adversa patiendo consumpsit? Jonas missus fuit a Deo ad civitatem magnam Ninive praedicaturus poenitentiam: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (Jonae 3, 4). Christus Dominus missus est a Patre in mundum, ut praedicet poeniten-

tiam: *Poenitentiam agite.* Jonas non obedivit; Christus promptissime paruit, onus non declinavit, laborem praedicandi libens suscepit. Jonas navem conscendit et exorta est tempestas magna, ita ut periclitaretur navis et viri timerent timore magno. Christus intravit synagogam, quam Theophylactus navem appellat, cujus navarchus Moyses, nautae prophetae, mare adversitates et tribulationes, sors aeterni Patris voluntas, venter ceti interiora mortis, sepulchri et limbi. Jonas perpessus est horrendam tempestatem; qualem tempestatem sustinuit tempore passionis Dominus? Quanta vi flavere quatuor venti superbiae, irae, invidiae et vindictae? Quanto furore saeviere Annas, Caiphas, Herodes, et Pilatus cum reliquis sacerdotibus, pharisaeis et scribis, militibus et populo? unde secuta flagella, spinae, crux et vulnera! Verbo tota vita Christi, sicut Jonae, fuit agere et pati.

Charissimi, talis quoque debet esse vita religiosi Societatis Jesu: *Agere et pati fortia Romanum est;* inquiebant Romani olim. Agere et pati multa Christianum est, religiosum est, veri Jesu socii est. Quod olim erant prophetae et apostoli, hodiedum religiosi sunt saluti animarum devoti. Persuadeamus igitur nobis a tirocinio tota nobis vita agendum fortiter et patiendum esse.

Macte igitur animo, anima mea, praedicandum est tibi, cum dictum sit: *Praedicate Evangelium omni creaturae.* Libens suscipe hoc munus. Eundum est de pago in pagum, de civitate in civitatem, de provincia in provinciam: *Euntes in mundum universum.* Succinge te; docendum, clamandum, studendum est. *Docete omnes Gentes.* Praepara te. Laborandum est, sudandum est, corpus defatigandum est. Libens Domini tui amore et exemplo ista amplectere. At nondum hic finis; non enim solum agendum, sed et patiendum est. Exurget tempestas; at tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Exurget procella persecutorum, invidorum, detractorum,

haereticorum etc.; sed fide Deo, et vinces omnia. Qui non fortiter sustinet adversa omnia, non est apostolus, non est propheta, non est discipulus Christi Jesu, non est religiosus Societatis Jesu. Anima et excita igitur te Christi exemplo, dicendo saepius: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24, 26: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Joan. 13, 15.

II. Jonas figura Christi morientis.

II. Jonas fuit quoque figura Christi morientis. Jonas *columbam* significat; unde S. Hieronymus Epist. ad Paulinum (ML. 22, 546) ait: *Jonas columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini praefigurans.* Saeviente enim tempestate et missa sorte ac super Jonam cadente, arreptus is est a nautis ac praecipitatus in mare, moxque a praeparato per Dominum grandi pisce deglutitus est, in cujus ventre tribus diebus et tribus noctibus detentus.

Christus Dominus, verus Jonas, pulcherrima columba fuit, columba deargentata et inaurata, quae dormivit inter medios cleros, id est, inter utriusque Legis naturae et scriptae patres et patriarchas in limbo, atque inde cum gloria evolvavit. In hunc Jonam cecidit sors mortis. *Et praeparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam* (Jonae 2, 1). S. Ambrosius in Psalm. 43, n. 83 (ML. 14, 1129): *Dominus noster Jesus Christus... est ergo verus Jonas, qui propterea missus est in mare, ut exciperetur et devorarctur a ceto, quo intra alvum ceti positus interiora ejus vacuaret,* scilicet interiora mortis et limbi, unde captivam duxit captivitatem. At Christus instar Jonae non nisi triduo fuit in corde terrae, sicut Jonas, scilicet parte diei naturalis feriae sextae, tota die naturali Sabbati, et parte Dominicae, atque ita per synecdochen partem sumendo pro toto prophetia fuit impleta.

Charissimi, exemplo Jonae et Christi Domini, post

vitam in laboribus, sudoribus, studiis, praedicationibus consumptam moriendum est. *Praeparavit Dominus piscem grandem.* Mors cetus grandis et insatiabilis nos deglutiet. Sed erimus in ventre hujus ceti, in terra, in sepulcro tribus solum diebus et noctibus; nam licet usque ad judicii extremi diem corpora nostra in terra sint permansura, totum tamen hoc temporis intervallum, intuitu aeternitatis, trium dierum et noctium spatium haud superat: ac tunc resurgemus.

Quantum nobis, charissimi, solatium pariet in morte, si strenue laboraverimus et adversa sustinuerimus cum Jesu Duce nostro? Consolamini et gaudete, corpus meum et caro mea; licet enim in sepulchro ac terra reponenda sitis, non tamen semper in ea permanebitis, sed resuscitabimini audietisque vocem Angeli: *Surgite mortui et venite ad judicium. — Respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra* (Lucae 21, 28). Consolamini et gaudete, caput, manus, pedes, oculi et omnia ossa mea; moriemini quidem, sed resurgetis brevi intervallo temporis. Mors ista non mors, sed somnus dicitur. *De dormientibus, ut non contristemini* ait Apostolus (1 Thess. 4, 12), et Job (c. 7, 21): *Ecce, nunc in pulvere dormiam.* Consolamini et gaudete omnia ossa mea; vos quidem moriemini et arescetis, sed solum instar frumenti in terram projiciemini, ibidemque computrescetis, sed brevi viridantia, vernantia et florentia resurgetis ac dicetis cum Jobo c. 29, 18: *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Alii legunt, *sicut phoenix,* qui teste S. Ambrosio et S. Hieronymo diutissime vivit. Consolamini igitur et gaudete: *Quia in tuba Dei resurgent mortui, et rapiemur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (Cf. Thess. 4, 15 sq.).

III. Jonas figura Christi resurgentis.

III. Tertium documentum sumemus a resurrectione Christi Domini nostri. Postquam Jonas latuit tribus

diebus et tribus noctibus in ventre ceti, ait sacer textus Jonae 2, 11: *Et dixit Dominus pisci; et evomuit Jonam in aridam.* Potuit Jonas praecipitari in mare, potuit obrui fluctibus, potuit a pisce devorari, sed non digeri, non consumi; nam post triduum ejicitur, praedicat poenitentiam et mira patrat.

Omnia haec quoque ut figura in Christo impleta. Hic caelestis Jonas potuit immitti in mare passionis suae, fluctus poenarum et dolorum ipsum obruere potuerunt, sarcophagus ejus corpus recondere potuit et limbus animam; at uterque hic carcer nec animam, nec corpus Christi potuit consumere aut retinere. Nam Actorum 2, 24. 27 ait S. Petrus: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat retineri illum ab eo... Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* ait spiritu prophetico David. Dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam, et eum qui plus quam Jonas: *Resurrexit, non est hic.* Marci 16. Et mittit Apostolos per mundum praedicare Evangelium. Ludolphus Carthusianus p. 2, c. 69 illud *Surrexit* hac ratione exponit: *Qui jacuit in morte, surrexit in gloria.*

Invito proinde vos ad videndam ejus gloriam: *Egredimini filiae Sion et videte Regem vestrum in diademate.* Videte Regem vestrum non jam mortuum, sed redivivum; non deformem, sed omnibus gemmis, floribus, stellis, Angelis et hominibus pulchriorem; non pallidum et sanguinolentum, sed illustrem et gloriosum; non mortalem, sed impassibilem; non crassum et densum, sed subtilem; non tardum, sed agilem. Ejus oculi lucidiores stellis, ejus genae superant rosas, ejus vulnera vincunt splendore solem; verbo: qui jacuit in morte, surrexit in gloria. Vere cum Apostolo dicere possumus: *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (Hebr. 2, 9).

O Charissimi, placetne vobis haec gloria? Consolamini, Christus resurrexit, et nos omnes resurgemus. *Dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.* Dicet Dominus ac mandabit terrae, et evomet corpora nostra; Christus enim caput nostrum resurrexit, igitur et nos membra ejus resurgemus. *Qui suscitavit Jesum,* ait Apostolus (2 Cor. 4, 14), *et nos cum Jesu suscitabit. Omnes resurgemus.* At qualem resurrectionem desideratis, felicem, an infelicem? Si felicem, ante oportet cum Christo spiritualiter resurgere, ut de quolibet vestrum, dici queat: *Surrexit* et (Rom. 6, 4): *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Quid est in novitate vitae ambulare? Cognoscitur e contrario; exspoliantes vos veterem hominem cum omnibus actibus suis, et induentes novum, qui secundum Deum creatus est.

Vetus vita est vita mundana, nova vita religiosa; vetus vita est vita animalis, nova vita est vita spiritualis; vetus vita est vitiosa, dedita superbiae, gulae, luxuriae, invidiae, nova vita est virtuosa, addicta humilitati, temperantiae, castitati, charitati. Vetus vita est dedita tepiditati, nova fervori. Sic ergo in novitate vitae ambulemus.

Potissimum excitemus in nobis fervorem, qui dat vigorem et quasi vitam novam. Cogitemus horrendum illud Ecclesiastae 9, 1. *Nescit homo utrum odio, an amore dignus sit. Sanctus Bernardus* Serm. 23, in Cant. n. 13 (ML. 183, 891) exclamat: *Terribilis est locus iste, et totius expers quietis. Totus inhorrui, si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam: Quis scit, si est dignus amore an odio?* Et cum haec cogitatio vel sanctissimos viros et quasi columnas Ecclesiae compulerit ad tremorem, quid nobis faciendum, qui ex multis in nobis responsum mortis habemus, si non aliquantulum ex quibusdam conjecturis et indiciis nostrae salutis recreemur? An quia religionem ingressi omnia

tuta arbitramur? Fallitur nimis ista persuasio et periculose decipitur. Certe Divus Gregorius aliquos asserit velut duces currentes aliis viam perfectionis ostendere, qui tamen in foveam cadentes, suo malo sequentes cautiores reddant et humiliores. Non ergo in vita vetere (tepida) persistendum, sed ardens et strenua vita aggredienda est.

Multa profecto a novitio requiruntur, quae si non acquirat in novitiatu, postea difficulter adipiscitur; nam *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (Prov. 22, 6).

Qui hic tepidus est, ordinarie post novitiatum talis manet. Qui hic non acquirit ea quae sanctus Bernardus a religiosa anima postulat, vix magno postmodum molimine obtinebit: Quaenam vero illa? *Quanta* (inquit *sanctus Bernardus* Serm. 39 in Cant. n. 4) *in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum* (ML. 183, 978 sq.).

Strenue ergo et ferventer res aggredienda, ut in novitate vitae alacriter ambulemus et quasi curramus ad perfectionem. Vita tepida reddit segnem; vita nova, vita fervens alacrem facit. Vita tepida instar febris hecticae consumit vires, tabescere facit, et conficit. Vita fervens sanitas est ad omnia onera robusta, ad omnes tentationes impavida. Vita tepida tanquam vermis lignum paulatim exedit, ut onere imposito velut trabs putrida corruat et succumbat. *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es,... incipiam te evomere ex ore meo,* habetur apud S. Joan. in Apoc. 3, 15 sq.

Quae cum ita sint, charissimi, hoc bene cordibus nostris imprimamus.

1. Nobis vivendum esse cum Christo, moriendum esse cum Christo, resurgendum esse cum Christo, vivendum,

praedicandum, laborandum, patiendum. Animose subeundae sunt tempestates, adversitates, difficultates, persecutiones, et quidquid divinae Providentiae nobis adversi submittere placuerit.

2. Moriendum cum Christo, id est, mors beata et fausta omni industria procuranda, et memoria mortis nobis solatio et robori esse debet: solatio quidem, quia si corpus laboret, sudet, fatigetur, sequetur quies in morte, sequetur somnus suavis; robori quoque in tentationibus, quia moriendum est, at si vicero, sicut palma multiplicabo dies.

3. Resurgendum a vita vetere ad novam (virtuosam), a tepida ad ferventem, ne Christus Dominus nos aliquando tanquam tepidos ex ore suo evomat.

PRO FESTO PENTECOSTES.

EXHORTATIO I

Ostendit Spiritum Sanctum esse lucem, quem ut accipiamus, removendas esse tenebras.

THEMA: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem* (Joan. 3, 19).

Sanctissima Trinitas Dominus Deus noster lux est, omni obscuritate, omni caligine et umbris tenebrarum carens. Ita scribit S. Joannes Apostolus 1 Joan. 1, 5: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.* Deus lux est substantialis et increata, et quidem triplex: 1) formalis, 2) idealis, 3) causalis, seu causa omnis lucis corporalis et spiritualis hominum et Angelorum, gratiae et gloriae. S. Joannes Damascenus lib. 2, de Fide c. 11 Sanctissimam Trinitatem comparat luci, sive soli reflexo in nube, puta parelio, in quo tres videntur soles, cum tamen unicus tantum sol existat. S. Dionysius Areopagita de

divin. Nom. c. 2 Sanctissimam Trinitatem repraesentat per tria lumina domum eandem illuminantia una luce et indistincta quadam distinctione. Atque haec lux Deitatis et Trinitatis, licet in se sit clarissima, nobis tamen obscura est caligo, eo quod acies nostra solem illum tam fulgidum, tam sublimem, tam supernaturalem rectis et irretortis oculis intueri non valeat. Deus Pater lumen est luminosum et primum, vocaturque *Pater luminum* (Jac. 1, 17). Filius est lumen rectum et primo procedens, suaeque luci commensum et adaequatum. *Ego sum lux mundi*, ait. Spiritus S. est quasi lumen reflexum, puta, splendor: procedit enim ex mutuo ideoque reflexo amore Patris et Filii. Spiritus Sanctus in hymno Ecclesiae vocatur *lux beatissima*.

De hac igitur luce in praesenti tractabimus, quamque sit praeclara, et quinam homines magis diligant tenebras, quam lucem, dilucidabimus.

I. Ad Spiritum S., qui lux est mundi, animus praeparandus.

I. Quemadmodum lux symbolum est Dei, Christi, Spiritus Sancti et gratiae, ita tenebrae symbolum sunt diaboli, ignorantiae, infidelitatis, haeresis et peccati; quae proinde longe sunt a Deo. Primo igitur Spiritus Sanctus lux est increata et substantialis, quae venit in mundum, quando Hierosolymis in caenaculo super centum et viginti personas descendit in figura igneae linguae lucentis et ardentis: *Apparuerunt* enim *illis dispertitae linguae tanquam ignis, seditque supra singulos illorum; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto* (Act. 2, 3 sq.). Deinde haec increata lux postea super alios et alios descendit et venit in mundum, nimirum in illos, quibus Apostoli manus imposuerunt, et qui ita acceperunt Spiritum Sanctum et loquebantur variis linguis magnalia Dei. Tertio haec signa visibilia seu perceptibilia cessarunt quidem postea, sed non emansit Spiritus Sanctus, qui venit super alios et alios, quos succendit, illuminavit et perfecit mutavitque in viros

alios, perfectos et admirandos. Quarto sic hodiedum venit Spiritus Sanctus in mundum, in eos, qui obicem non ponunt et magna sese diligentia praeparant. Ut igitur nos excitemur ad animum pro viribus praeparandum, ad excipiendam hanc lucem increatam et substantialem, consideranda nobis est haec lux, ut ex cognitione ejus in nobis amor et desiderium generetur. Itaque eam cum luce hac visibili comparemus.

1. Sicuti lux visibilis est qualitas nobilissima et quasi caelestis atque aurea, a sole profluens, omnia inaurans, sine qua omnia confusa et tenebris sepulta jacent: ita Spiritus Sanctus nobilissimus est Spiritus a Patre Filioque procedens, qui quando in anima est per suam gratiam, anima est quasi caelestis et inaurata, et veste charitatis aurea seu vestitu deaurato circumdata tanquam regina formosissima. Spoliata autem luce Spiritus Sancti ejusque gratia, anima est quasi obscura, denigrata super carbones, terrena, tenebricosa, omni pulchritudine et luce carens. Quis igitur nostrum, charissimi, hoc clare intelligens, non anhelet ad Spiritum Sanctum? quis eum non saepe et ferventer per diem petat? quis non ingeminet: *O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium?*

2. Sicut lux visibilis est laetissima et jucundissima, quia omnium animos exhilarat et moerorem pellit (orto enim sole aves cantant, animalia gaudent et anhelant ad pastum, homines cum gaudio ad labores suos pergunt): ita Spiritus Sanctus est Consolator et Paracletus, qui omnium desolatorum animos laetificat, consolatur et anxietates depellit. O si liceret nobis hanc laetitiam et consolationem degustare, quantopere ad lucis hujus adventum anhelaremus? quanta laetitia, orto hoc sole, ad opus nostrum et labores pro gloria Dei exantlandos properaremus? quoties suspiraremus: *Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium?*

3. Sicut lux visibilis est utilissima (nam ad multa

servit; illuminat enim oculos, tenebras discutit, viam ostendit, rerum varietatem demonstrat: *Sine luce noctu aurum conculcatur ut ferrum,* ait S. Basilius): ita Spiritus Sanctus animam illuminat, tenebras et coecitatem mentis depellit, viam ad caelum ostendit, ad mandatorum Dei et consiliorum observantiam impellit, rerum caelestium cognitionem impertit, inter caelestia et terrena, corporalia et spiritualia, temporalia et aeterna discrimen ostendit. Quanta igitur diligentia ad hoc donum, ad hanc lucem par est animam disponere, et in desideria ferri: *Veni Pater pauperum, veni datur munerum, veni lumen cordium.*

4. Sicut lux visibilis est pulcherrima quia stellas, caelos, solem, lunam, elementa, et omnia, quae in mundo sunt, ornat, suisque coloribus illustrat, sine qua omnia deformia, obscura, atque confusa squallent *(sicut globus crystallinus,* inquit S. Basilius, *a sole illustratus splendorem emittit):* ita Spiritus Sanctus pulcherrimus est, ornat caelos, et omnes ad quos deverterit; suis donis Ecclesiam condecorat; donumque sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, ac timoris Domini largitur. Et haec lux venit in mundum, et veniet in animam tuam: qua igitur industria te comparabis, ut hac pulchritudine gaudeas?

5. Lux visibilis est foecundissima, et fertilissima, per quam omnis generis influxus caelorum et astrorum ad nos deferuntur, atque ita omnia foecundantur et crescunt; unde luce splendente omnia proficiunt et crescunt, sine luce autem omnia haerent, non augentur, sterilescunt. Ita Spiritus Sanctus omnes, ad quos venit, foecundat bonis operibus, sanctis cogitationibus, praeclaris virtutum fructibus. Si nolumus velut infructifera germina terram occupare, et sterilescere, Spiritus Sanctus ad nos veniat necesse est.

6. Lux visibilis est efficacissima et potentissima, omnia

penetrat, calore suo res immutat, mollia indurat, et dura emollit. Ita Spiritus Sanctus homines immutat; e terrenis caelestes facit, e timidis fortes Samsones, e rudibus doctos et theodidactos, ex agrestibus bene moratos: totum mundum renovat, juxta Ps. 103, 30: *Emittes spiritum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terrae.*

7. Lux visibilis denique omnia prius mortua vivificat et restaurat: ut merito Spiritus Sanctus dicatur vita omnium. Quod est homo sine spiritu, hoc est anima sine Spiritu Sancto. Deus spiravit in faciem Adami spiraculum vitae; absque hoc spiraculo quid Adam fuisset? limus et terra rubra. Et quid homo est sine Spiritu Sancto? caro est et quasi brutum animal, vitiorum colluvies, domus sine lumine, focus sine igne, corpus sine anima.

Atque haec est illa lux nobilissima, pulcherrima, foecundissima, et efficacissima, quae venit in mundum. Quid agemus, dilectissimi? an huic luci cordis fenestras claudemus? an aditus et portas animae obserabimus? an tenebras luci anteponemus? annon potius omni conatu mentem disponemus et virtutibus exornabimus, quibus Deum delectari aliquando intellexit S. Gertrudis, scilicet humilitate, tranquillitate, concordia, puritate, ferventibus denique precibus et orationibus? Si sapimus, id omni studio perficiemus.

II. *Et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Joan. 3, 19. Quis hoc crederet, nisi Veritas aeterna diceret? quis putaret adeo coecum, perversum, stolidumque esse mundum, ut lucem adeo prestantem, qualem exposuimus, tenebris squalidis et horridis postponeret? Et quinam sunt homines, qui eo dementiae et stultitiae devenerint?

II. Tenebrae ex animo eliminandae.

1. Homines sunt infideles, qui idola colunt ut numina, Deum verum ignorant aut nosse nolunt, dicentes in cordibus suis: *Non est Deus.* Ideoque velut jumenta in sceleribus suis computrescunt, et Spiritus Sancti lucem recipere nequeunt.

2. Sunt Judaei, qui nec Filium Dei, Messiam suum et mundi Redemptorem, agnoscunt, nec credunt tertiam in Trinitate Personam, adeoque manent in tenebris, de quibus Christus Dominus : *Sinite illos, quia caeci sunt, et duces caecorum.*

3. Sunt haeretici inter catholicos degentes et tamen lucem veritatis agnoscere nolentes. *Testimonia tua,* Domine, *credibilia facta sunt nimis :* quod evincunt tot miracula Ecclesiae, tanta sanctitas vitae, tanta puritas Evangelicae doctrinae etc. ; sed oculos claudunt, malunt manere in tenebris, et dicunt tenebras lucem et lucem tenebras, errorem veritatem et veritatem errorem ; potestque illis oggeri, quod S. Stephanus Act. 7, 51 objecit libertinis, Spiritu Sancto plenus exclamans: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus! vos semper Spiritui Sancto resistitis ; sicut et patres vestri ita et vos.*

4. Has tenebras magis quam illam lucem diligunt homines catholici, in peccatis letalibus degentes. Gratia Dei et charitas lux est, Spiritus S. lux est, Deus lux est ; peccatum vero tenebrae, et hoc illi magis quam Deum diligunt, dum, ut cupiditatibus suis obsecundent, Deum postponunt et ejus praecepta conculcant. Quemadmodum in eodem cubiculo simul esse tenebras et lucem, impossibile est, ita quoque in anima simul consistere letale peccatum et Spiritum Sanctum, est impossibile. Concionatores hortantur illos, ut paenitentiam agant, scelera per exhomologesin sacram expient ; sed illi *dilexerunt magis tenebras, quam lucem.* Canticorum 5, 2 sqq. sponsus pulsabat, dicens : *Aperi mihi, soror mea, amica mea ;* sponsa vero tergiversabatur, aperire detrectabat, inquiens : *Exspoliavi me tunica mea ; quomodo induar illa ?* Tandem tamen surrexit ; sed erat serius, jam sponsus praeterierat et discesserat ; perrexit illa quaerere, sed incidit in vigiles et custodes, qui eam percusserunt et vulneraverunt. Idem evenit peccatoribus ; si jam

non aperiant januam Spiritui Sancto, forsan postea non reperient illum ; invenient eos vigiles, id est daemones, qui eos in peccatis retinent, percutiunt et graviter vulnerant.

5. Sunt homines religiosi et novitii nonnulli, qui vellent quidem hanc praeclarissimam lucem suscipere, sed nolunt quasdam tenebras e corde suo expellere, non quidem adeo crassas ut priores, sed tamen impedientes instar nebulae claritatem lucis Spiritus Sancti. Sicut sole inter nebulas existente, major quidem lux est quam de nocte in tenebris, sed tamen non est claritas sufficiens ad distinguendum omnia. Talis nebula est : 1) Amor inordinatus hujus vel illius creaturae : ita Apostoli amabant carnalem Christi Domini praesentiam, et audiebant : *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* (Joan. 16, 7); 2) ignorantia rerum spiritualium, quas scire tenemur ; 3) imprudentia, sive defectus considerationis eorum, quae dicturi aut facturi sumus ; 4) inconstantia et mutabilitas nimia in eo bono, quod facere decrevimus ; 5) temeritas in dictis factisque proximorum judicandis ; 6) protervia et pertinacia in proprio sensu et judicio ; 7) astutia et prudentia carnis, aut hujus mundi sapientia ad acute invenienda media, quibus votorum saecularium compotes reddamur ; 8) curiositas, cum inordinate scire cupimus quae nobis non conveniunt ; 9) intentio minime recta ; vana gloria ; 10) propria voluntas, quae soli proprio palato gustuique satisfacere contendit, rejecta quacunque alia sive Dei sive proximorum ; 11) negligentia sui officii et immixtio alieni ; 12) tepiditas et acedia in divino obsequio. Hae sunt tenebrae, caligines et nebulae, quas quidam religiosi et tirones magis diligunt quam lucem. Hinc Spiritus S. corda eorum plene occupare ac replere nequit.

Quae cum ita sint, Spiritus Sancti lucem nobilissimam et praestantissimam summe aestimemus, diligamus,

omnique diligentia ad eam recipiendam nos disponamus, ut animam nostram inauret, exhilaret, illustret, exornet, foecundet, immutet et vivificet. Quoniam vero rite nos disponere nequimus, nisi tenebras expellamus, praedictas duodecim nebulas pro viribus eliminemus ; ita apti dignique erimus, quos Spiritus S. invisat et luce sua divina perfundat.

EXHORTATIO II

PRO FESTO PENTECOSTES.

Explicat linguas igneas dispertitas significare locutionem igneam cum Deo et cum proximo.

THEMA: *Apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis* (Act. 2, 3).

Hae linguae dispertitae, quae festo Pentecostes supra Apostolos et alios in coenaculo congregatos apparuere, repraesentabant multiplicitatem linguarum et donorum, quae cuique Spiritus Sanctus communicabat. Omnes enim illi centum viginti, etiam B. V. Maria, S. Maria Magdalena, et aliae piae feminae, accepere donum linguarum, ut fuse probat Pater noster Franciscus Suarez p. 1, q. 17, contra Cajetanum. Fuerunt autem linguae istae, tanquam ignis, quo ostensum est, ut ait D. Thomas, discipulos Christi igne Spiritus Sancti prorsus purgari, illuminari, accendi, et ad caelestia elevari.

Accepto dono linguarum, statim *loqui coepere* discipuli *variis linguis,* non una sola singuli, quae ab omnibus intelligeretur, ut sentit Cyprianus et Oecumenius; sed multis et *variis,* ut videtur, quas S. Marcus c. 16, *novas* appellat, et S. Paulus ait 1 Cor. 14, 18: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Ita quoque sentiunt SS. Ambrosius, Augustinus et Gregorius. For-

tasse tamen etiam una lingua loquebantur, quae ab auditoribus variarum linguarum intelligebatur. Si enim donum hoc SS. Vincentio Ferrerio, Antonio Paduano, Bernardino et Xaverio concessum fuit, non est Apostolis denegandum. Et S. Irenaeus testatur contra haereses l. 5 c. 6 (MG. 7, 1137), se multos suo tempore audivisse, qui universis linguis loquebantur.

Hoc donum linguarum cessat nunc quidem, cum jam non sit adeo necessarium. Optandum tamen foret, nos linguis loqui novis, linguis igneis, linguis dispertitis, scilicet cum Deo in oratione et cum proximo in sermone. Quae duo nunc exponemus.

I. Spiritus S. dat linguam igneam in loquendo cum Deo.

I. *Apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis*, ut scirent loqui Apostoli ignee et ferventer cum Deo et cum proximo. Ac primo quidem cum Deo, ut, dum orarent, Deum laudarent et dona caelestia flagitarent, non solum cor ardens esset in eis, sed et lingua esset ignea. Ardentem ejusmodi linguam habuisse scribitur magnus ille propheta Elias, Eccli 48, 1. *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat.* Hinc tam efficax ejus fuit oratio, ut caelum clauderet et aperiret, pluviam inhiberet et copiose impetraret, ignem e caelo ad comburendum holocaustum evocaret. Simili lingua ignea praediti fuere Apostoli, qua non tantum Spiritum Sanctum obtinuere, sed postmodum gratiam homines ad Ecclesiae gremium adducendi et in omnibus laboribus apostolicis efficaciam et opem divinam impetrarunt. Venerabilis Pater Nicolaus Lancicius opusc. 2, c. 9, hortatur: da operam, ut oratio tua semper sit ardens et quodammodo bullienti erga Deum et res Divinas affectu inflammata; haec enim actuum fervens intensio et quidam seraphicus Deum amandi ardor et gustum praebet divinae Majestati incredibilem et magna merita cumulat et multa impetrat et poenas purgatorii aut penitus submovet, aut valde minuit, et

animam flectit ad declinandas heroico studio omnes etiam levissimas imperfectiones et ad frequentandos actus virtutum heroicarum.

Cum igitur fervens et ardens oratio medium potens sit ad omnia impetranda Deoque placendum: 1. Si meditemur, conemur habere linguam mentis et oris ardentem, id est, tam affectus quam verba sint ignea, qualia habebat vates regius, dicens (Ps. 38, 4): *In meditatione mea exardescet ignis,* ignis devotionis, pietatis et amoris. 2. Si Sacrificium Missae celebremus, id non tepide, non propere, non festine faciamus; nemo enim sic cum principe terreno loquitur, multo minus id decet cum Monarcha caeli et terrae, cum quo de rebus summi momenti tractamus. Refert dictus Lancicius S. Fundatorem nostrum inter legendum Sacrum faciem igneam et succensam praeferre fuisse solitum; de alio sacerdote refert idem, quoties Sacrum ferventer tardeque celebrabat, vi ignis interioris a terra elevabatur, non vero si tepide et festinanter. 3. Si Horas canonicas recitemus, cor et lingua ardeat, quia tanquam legati ad Deum pro tota Ecclesia in mille necessitatibus constituta auxilium postulamus et innumerorum peccatorum veniam flagitamus. 4. Demum sive B. V. Officium, sive coronam recitemus, sive alias qualescunque preces fundamus, oremus ferventer. Talem enim fervorem requirit Salvator, dum inculcat: *Petite, quaerite, pulsate;* ubi fervorem exprimit, ut non segniter petamus, sed ferventer quaeramus et ardenter pulsemus. Ita omnia impetrabimus, etiam linguae igneum ardorem; quare petite fideliter, quaerite ferventer, pulsate ardenter, et petita obtinebitis.

II. Spiritus S. dat linguam in loquendo cum proximo.

II. *Apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis. Dispertitae,* ut non solum cum Deo, sed etiam cum proximo, et adeo ad proximi aedificationem loquerentur, sive publice per conciones, sive privatim per colloquia familiaria.

1. Si loquendum cum proximis publice per conciones et exhortationes, sit cor et lingua ardens; alioquin auditorum corda non succendat. *In linguis igneis apparuit Spiritus*, ait S. Gregorius hom. 30 in Evang. *Quia omnes quos repleverit, ardenter pariter et loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent; quia, dum Deum amandum praedicant, corda audientium inflammant: nam et otiosus est sermo Doctoris, si praebere non valet incendium amoris.* Ignem hunc experti illico Apostoli, ante adventum Spiritus frigidi, timidi, muti, non praedicantes, sed latentes; Spiritu autem Divino corda eorum succendente et linguam inflammante, auditores ardore complebant, ut exclamarent: *Quid faciemus, viri fratres?* (Act. 2, 37), et ut S. Petrus prima concione tria millia converteret. *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur?* ait Christus, Luc. 12, 49. Et hic est ille ignis, quem per Spiritum Sanctum in corda et linguas Apostolorum misit; qui tunc accenditur, quando in cordibus auditorum operatur et calorem ignemque sacrum excitat. Ezechiel propheta c. 1, 13, dum quatuor cherubinos stipatores currus gloriae Christi describit, ait: *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum.* Quorumnam Cherubini isti typus exitere, nisi virorum apostolicorum, concionatorum, catechistarum, confessariorum et magistrorum docentium, qui quasi Cherubini et Seraphini currum gloriae Dei et Ecclesiae trahunt et agunt per orbem universum, dum Dei gloriam et fidem toto orbe celebrant et propagant? Contra, si ignis iste desit, parem aut nihil concionando aut docendo efficitur. Card. Bellarminus in lib. de ascens. mentis de suo tempore ait, in Italia in magnis urbibus triginta aut quadraginta concionatores tempore quadragesimae cathedram conscendere, doctissime perorare, multum clamare et se fatigare, et tamen finita quadragesima fructus exiguus notatur. Unde autem hoc?

Respondet: ex defectu ignis, scilicet charitatis; qui ipse non ardet, alios non accendit. Quod vel ipse Marcus Tullius Cicero agnovit; unde L. de Oratore, oratori profano hoc praeceptum dat: ardeat orator, si judicem velit accendere. Verum unde obtinebimus hunc ignem? Spiritu Sancto, qui indesinenter rogandus est: *Accende lumen sensibus! infunde amorem cordibus!*

2. Si loquamur cum proximis, sive discipulis, sive poenitentibus, sive infirmis, semper sit lingua ignea, et charitate Dei et proximi succensa; ita audientes quoque accendere poterit. Talis erat lingua Redemptoris nostri ambulantis in Emmaus, quae eorum corda sacro igne replebat: *Nonne,* ajebant, *cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* (Lc. 24, 32)? *Ex abundantia enim cordis os loquitur,* ait Salvator Matth. 12, 34. Et piissimus Thomas Kempensis l. 3, c. 48. Quaecunque diligo, de his libenter loquor et audio: si caelum diligo, libenter de coelestibus penso; si mundum amo, mundi felicitatibus congaudeo; si carnem diligo, quae carnis sunt saepe imaginor; si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector. *Ex abundantia cordis os loquitur.* S. Bernardus et S. Bonaventura (ille in forma hon. vit., hic in spec. discipl. p. 3, c. 3) suadet semper cum proximis nos accedentibus agendum de rebus utilibus; atque ut ea in promptu habeamus, ante praeconcipienda quae cum aedificatione proferamus; alioquin plurimas temporis pretiosi horas male collocamus. S. Ignatius Parens noster, ut in ejus vita legimus, si quis homo otiosus, quocum multum temporis absque fructu transigendum esset, illum accederet; postquam semel iterumque blande cum eo egisset, et ille post saepius illum adiret sine fructu, discursum cum illo de morte, de judicio, de inferno auspicabatur; asserebat enim, si illubenter illum audiret, lassandum, neque ultra rediturum; si vero ejusmodi colloquio cape-

retur, aliquem fructum spiritualem inde relaturum. Simile quid egit S. Franciscus Borgias, qui saecularibus, quos fugere non poterat, futilia proferentibus non auscultabat, sed mentem in Deum elevabat; cumque de responso non ad rem dato moneretur, ajebat malle se pro ignorante et stupido haberi, quam tempus inutiliter consumere.

3. Si etiam intra domesticos parietes, praesertim a mensa relaxationis consuetae tempore colloquia misceamus, lingua sit ignea. Qui de terra est, de terra loquitur, ait S. Joannes Baptista: Joan. 3. Si assuescamus domi inter nos colloquia miscere spiritualia, eadem miscebimus foris cum externis; sin autem id neglexerimus, defectus quam plurimi in relaxationes animi irrepent. Hinc Congregatio sexta Generalis de abbreviando recreationis tempore deliberavit, censueruntque Patres nonnulli, eam ad mediae horae spatium contrahendam, tertio autem quadrante narranda exempla e vitis sanctorum, et quarto legendum librum pium aut recitandum rosarium. Tandem tamen majori Patrum parti visum est, consueto recreationis tempori nihil esse detrahendum, sed defectibus occurrendum. Unde in monita Generalia ultimum emanavit: *Studeant omnes recreationis tempus religiose transigere, ne spiritus liberiore conversatione intepescat.*

Si veri *Jesu* socii esse desideramus, linguam et loquelam Christi Domini nos imitari decet. Tunc autem imi amur linguam ejus, ut docet S. Chrysostomus hom. 52, ad pop., *si loquamur quae ipse vult, et de quibus ipse locutus fuit.* De quibus autem rebus ipse sermones instituit? S. Lucas in Act. 1, 3: Per quadraginta dies apparuit eis, *loquens de regno Dei*, de regno caelesti, de regno et regimine Ecclesiae; quomodo episcopos consecrare, sacerdotes et pastores constituere, quomodo baptizare, sacrificare, alia Sacramenta administrare, jejunia instituere, Evangelium praedicare, crucem ferre, atque ita per multas tribulationes

intrare in regnum Dei deberent. Quis capiat, quam ignita et divina colloquia in juventute sua cum S. Josepho et matre amantissima miscuerit? Quae colloquia coepit cum Samaritana ad fontem? Sane non otiosa, non futilia, non curiosa; sed de adoratione in spiritu, de adventu Messiae, de aqua saliente in vitam aeternam, idque tanta efficacia, ut ipsa mox conversa crediderit. Quando ipse cum Magdalena locutus est in Bethania, et ipsa sedens ad pedes ejus audiebat verbum illius, quid eum locutum fuisse putamus? profecto non alia, quam salutaria et sancta, de regno Dei, de fuga peccatorum, de exercitio virtutum, de amore Dei, de gloria caelesti. Christum Dominum loquentem imitati sunt Apostoli, S. Augustinus cum matre sua Monica, S. Benedictus cum sorore sua Scholastica, S. Ignatius et alii quam plurimi. Imitemur et nos, et separemus pretiosum a vili, terrenum a caelesti. *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* (Jer. 15, 19).

Quare hoc festo Pentecostes singulariter studeamus ferventia cum Deo colloquia instituere in meditationibus et orationibus; deinde etiam cum proximo, sive publice peroremus ad populum, sive privatim loquamur cum externis de salute animae, sive intra domesticos parietes colloquamur in familiari sermocinatione invicem. Cor igneum non nisi ignitum proferet eloquium, sicut cor frigidum non nisi verba frigida depromet; si ignis desit, petite et accipietis: omne donum perfectum desursum descendens a Patre et Filio et Spiritu Sancto; tantum petamus ferventer, et ignem Spiritus Sancti obtinebimus, omnesque nobiscum conversantes amore divino inflammabimus.

PRO FESTO CORPORIS CHRISTI

EXHORTATIO I

DE SS. SACRAMENTO ALTARIS

TANQUAM MYSTERIO FIDEI.

Confirmat veritatem ejus contra haereticos.

THEMA : *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus* (Joan. 6, 56).

Per sapientissimum regum Salomonem Spiritus S. (Prov. 9, 1) describit parabolice domum et convivium Sapientiae, dum ait : *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem ; miscuit vinum, et proposuit mensam suam.* Per hanc Sapientiae domum alii cum S. Gregorio 33 Moral. c. 15 (nov. ord. c. 16, ML. 76, 693) intelligunt vel Christi corpus humanum vel Ecclesiam, et per septem columnas septem Sacramenta : alii cum S. Anastasio, S. Gregorio Nysseno et S. Augustino L. 17, de Civ. c. 20, ML. 41, 555 cum Gregorio M. per domum Sapientiae accipiunt Corpus Christi, quod in Incarnatione Sapientia increata sibi aedificavit, per septem columnas autem septem dona Spiritus Sancti. Alii cum S. Chrysostomo in Psalm. 22, S. Ambrosio L. 1 de fide c. 7, S. Cypriano L. 2, Epist. 3 ad Caecilium, S. Beda et S. Thoma interpretantur hunc locum de triclinio et convivio Eucharistiae (1) : quibus Ecclesia consentit ;

(1) Re vera *S. Augustinus* l. c. haec omnia apte conjungit. Ad verba enim laudata ex Prov. 9. S. Doctor dicit : « Hic certe agnoscimus Dei Sapientiam, hoc est, Verbum Patris coaeternum, in utero virginali domum sibi aedificasse corpus humanum, et huic, tanquam capiti membra, Ecclesiam subjunxisse, martyrum victimas immolasse, mensam in vino et panibus praeparasse, ubi etiam apparet sacerdotium secundum ordinem Melchisedech ».

quae in officio de Venerabili Sacramento a S. Thoma composito laudes auspicatur ab hac prima antiphona: *Sapientia aedificavit sibi domum, miscuit vinum et posuit mensam, alleluja.*

Deinde Sapientia increata, quae hanc domum aedificavit ac mensam vinumque proposuit, humanissime invitat ad hanc domum et convivium: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis,* ℣. 5. *Si quis est parvulus* (humilis), *veniat ad me,* ℣. 4.

Quare ut nos vivaciore fide, firmiore spe et ardentiore charitate ad hanc Sapientiae domum et triclinium accedamus, quatuor columnas seu fundamenta, quibus haec domus innititur, scilicet divinam Veritatem, Sapientiam, Potentiam et Benignitatem exponemus.

I. Columna Domus Sapientiae: Veritas divina.

I. Columna 1ma seu fundamentum, cui haec Domus innititur, est Dei veritas, seu verácitas; quae falli et fallere nequit. *Ego sum via, et veritas et vita*, ait Christus (Joan. 14, 6), Veritas prima, summa et aeterna. Jam sic licet discurrere: quod Christus prima, summa et aeterna Veritas asserit, est verum et nequit esse falsum; atqui Christus prima, summa et aeterna Veritas asserit, corpus et sanguinem suum esse in sanctissimo Sacramento; ergo est verum et nequit esse falsum. Propositio clara est; alioquin nulla erit in mundo veritas. Assumptio probatur testimonio quatuor Evangelistarum. 1) S. Matthaeus c. 26, 26 sq. scribit Christum in manus accepisse panem ac dixisse: *Accipite est comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* 2) Idem testatur S. Evangelista Marcus c. 14, 23 sqq.: *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes. Et ait illis:*

Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur. 3) His duobus adstipulatur S. Evangelista Luca c. 22, 19 sq. ita scribens: *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* S. Apostolus et Evangelista Joannes, qui post alios Evangelium scripsit, videns tres Evangelistas sat clare et accurate institutionem Sanctissimi Sacramenti descripsisse, hoc loco de eo referre supersedit. Clare tamen recenset promissionem Christi de hoc Sacramento instituendo, dum ait eum dixisse: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus;* et: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (Joan. 6, 56. 54. 52). En quatuor testes omni exceptione majores; si jam *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum* (cf. Matth. 18, 16), res confecta est. Ergo verum est Christi Domini Corpus et Sanguinem contineri in SS. Sacramento.

Ubinam, obsecro, legimus in Scripturis Divinis contradictorium? ubinam scriptum: Hoc non est Corpus meum; hic non est Sanguis meus? vel: haec est figura, hoc est signum vel symbolum Corporis mei? nullibi sane. Unde manet in possessione veritas catholica et genuinus verborum sensus, quem a Christo hausere Apostoli, ab Apostolis eorum discipuli, ab his quotquot Christiani fuere in primo saeculo; idem credidere, quotquot vixere secundo saeculo, ut testantur Sancti Justinus et Irenaeus; idem creditum fuit in tertio saeculo, ut referunt Tertullianus et S. Cyprianus in serm. de Coena Domini; idem creditum fuit in quarto saeculo, ut scribunt S. Cyrillus Hierosolym. catech. 4 mystag; idem creditum fuit in

quinto saeculo, ut testatur S. Augustinus et alii; atque ita per omnia saecula usque ad hoc praesens probare possemus. Primi, qui hanc veritatem non credidere, fuerunt Capharnaitae, interrogabant: *Quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum?... Durus est hic sermo* (Joan. 6, 53. 61). Existimabant enim, se manducaturos carnem Christi eamque dentibus commolituros, quemadmodum alias carnes comedimus; sed hos Christus ipse refutavit: *Caro* (sic comesta ut vos imaginamini) *non prodest quidquam: spiritus est, qui vivificat;* modus manducandi est spiritualis. Post hos, catholica veritas mansit indisputata fere ultra mille annos, donec anno 1050 primus hanc veritatem publice oppugnavit Berengarius Andegavensis diaconus; sed a quinque Conciliis tanquam haereticus condemnatus fuit, tandemque errorem suum revocavit et abjuravit vitamque adhuc ad nonum annum catholicus produxit; in hora mortis magnis angustiis oppressus, quod a se seductos in errorem ad veritatem revocare nequiret, atque in extremo agone haec profatus: hodie mihi apparebis ad meam salvationem ut spero, ob poenitentiam meam, vel ad meam damnationem ut timeo, propter eos quos perversa doctrina mea decepi, et ad veritatem Sacramenti tui reducere non valui; atque ita exspiravit, ut Bellarminus et alii auctores referunt. Hos secutus fuit post quinque saecula Joannes Calvinus et alii sectarii. Sed praevalet veritas catholica ore Christi prolata, tot saeculis credita, tot miraculis confirmata, tot martyrum sanguine defensa, tot sanctorum et doctissimorum Patrum testimoniis roborata.

II. Sapientia Divina.

II. Altera columna et fundamentum hujus aedificii, seu veritatis hujus Sanctissimi Sacramenti est divina Sapientia, de qua admirabundus exclamat propheta regius, Ps. 103, 24: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* 1. Sapientis est curare, ut opera sua sint inter se proportionata et

similia; unde nullus architectus sapiens, aedificium construens ex marmore, stramineum tandem imponit tectum, sed quod magnifice coepit, magnifice consummat. Christus Dominus quanta magnificentia redemptionis nostrae opus inchoavit et continuavit! Poterat opus illud per Angelum facere, sed voluit magnifice per seipsum; poterat una gutta sanguinis, sed voluit magnifice totius profusione: quaemadmodum qui captivum posset redimere centum aureis, ad magnificentiam et dilectionem suam ostendendam exponeret centum aureorum millia. Sicut ergo Christus magnifice opus redemptionis inchoavit, ita et magnifice in ultima coena complevit, dando nobis non frustum panis, ut Clavinus asserit, sed Corpus suum Sanctissimum, Sanguinis sui pretium nobili et magnifico Sacramento applicando nobis: *Omnia in sapientia fecisti.*

2. Opus magnificum Dei fuit, cum synagogam populi Judaici per desertum ad terram promissam peregrinantem pane caelesti pavit: *Angelorum esca nutristi populum tuum, et paratum panem de caelo praestitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem* (Sap. 16, 20). Et quae erat synagoga Judeorum? Erat ancilla et serva, juxta Apostolum ad Gal. 4. Si jam Deus liberalissimus nobilem adeo panem dedit ancillae, qualem dabit Ecclesiae Novi Testamenti, sponsae suae dilectissimae? an frustulum panis? absit hoc; id enim minime conforme est divinae sapientiae et liberalitati. *Omnia in sapientia fecisti.* Non est sapiens paterfamilias, qui ancillam cibo delicato tractat, et conjugem charissimam frustulo panis contentam esse jubet. *Ipsa libera est mater nostra.* Gal. 4, 26. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Joan. 6, 59.

3. Elucet divina Sapientia in eo, quod omni creaturae praeparet escam convenientem. Ps. 144, 15 sq. *Oculi*

omnium in te sperant, Domine; et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

In quo in primis Dei elucet sapiens Providentia, quod, quo nobilior est creatura, eo nobilius alimentum providerit: sic serpentes et vermes pascit terra, quia sunt animalia vilissima, oviculas herbis, equos avena et hordeo, leones carnibus; ac homini qualem mensam pro corporis sustentatione paravit? quantam varietatem eduliorum donavit, quot herbas praeclaras, quot radices salubres, quot sapidos fructus, quot feras, aves, pisces, quot frumenta, quot vina in convenientem et delectabilem corporis refectionem ordinavit? Tam sapiens et liberalis Dominus, qui tantam curam gessit pro corpore, quid pro anima decies nobiliore obtulit? an, ut vult Calvinus, frustulum panis? Absit, sed Corpus et Sanguinem suum nobilissimum. *Omnia in sapientia fecisti:* si enim pro corpore, quod gleba terrae est, tam praeclaras escas dedisti, utique sapientissima providentia tua pro anima, quae spiritus est immortalis, escam longe nobiliorem reservavit.

III. Divina potentia.

III. Columna tertia seu fundamentum, cui haec Sapientiae domus innititur, est divina Omnipotentia, de qua ait Archangelus Gabriel ad B. Virginem, Lc. 1, 37: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, et David Ps. 113 B, 3: *Omnia quae voluit Dominus, fecit in caelo et in terra;* atque in hujus Sacramenti institutione memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Hoc Sacramentum est memoria, summa et compendium omnium mirabilium, quae tam in lege antiqua, quam nova Deus patravit. Accedit hic Judaeus et quaerit, quomodo possunt haec fieri? Respondetur: Ipse dixit et facta sunt. Deinde cum S. Cyrillo te, Judaee, interrogo: Quomodo exivistis ex Aegypto? quomodo virga Moysis in serpen-

tem versa est? quomodo fontes ex percusso silice promanarunt? quomodo flumina mutata in sanguinem? quomodo pelagus in duos veluti muros divisum est? si nescis, et tamen facta credis, ergo et hic tuum *quomodo* dimitte. Accedit haereticus, et quaerit: quomodo hic potest nobis suam carnem dare ad manducandum? Respondeo: quomodo Christus potuit aquam in vinum convertere? quomodo luto illito oculos caeci nati aperire? leprosos mundare, paralyticos sanare mortuos suscitare? Ipse dixit et facta sunt, tota ratio est ejus voluntas et omnipotentia. Agnosce igitur potentiam Salvatoris; qui ex nihilo potuit caelum et terram condere, potest panem et vinum in corpus et sanguinem suum convertere. Accedit gentilis philosophus, omnia secundum sua principia et axiomata philosophica examinans, et ait: quomodo potest una res esse in pluribus locis? quomodo res magna comprehendi minimo spatio? quomodo tanta subito fit mutatio? accidentia sunt sine substantia? Fateor: innumera sunt hic miracula, miraculum in substantia, in accidentibus, in quantitate, in qualitate, in loco, situ, etc.; sed ipse dixit et facta sunt, memoriam fecit mirabilium suorum. Caeterum, si adhuc dubitas, vicissim te interroga: quomodo caeli, solis, lunae et stellarum tam grandium species potest esse in exigua oculi pupilla? quomodo facies una in centum simul relucere speculis? quomodo vox una simul in centum percipi auribus? quomodo vitis naturali virtute mutat aquam in vinum? et tu ipse panem, quem edis, mutas in carnem et substantiam tuam? si haec potest natura, quid non poterit divina omnipotentia?

IV. Divina benignitas et charitas.

IV. Columna quarta et fundamentum hujus sanctissimi mysterii est benignitas Dei et amor erga homines; qui amor cum sit infinitus, mirari non debemus, quod tam mira patrarit. Quousque matrem non impellit maternus amor? omnis labor, omnis annorum multorum

molestia dulcis est amore filii. Quantus amor pelicani avis, quae rostro pectus lacerat et pullos sanguine suo pascit: sic Christus Dominus nos Carne et Sanguine suo pascit, nimio succensus amore nostri. *In charitate perpetua dilexit te,* ait (Jer. 31, 3). Si quis igitur cum Calvino assereret Christum figura nos pascere, longissime abesset a charitate et benignitate Patris illius: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 32); longissime a charitate Filii, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, nec sanguini, nec vitae pepercit, sed mortem crucis libens oppetiit; a charitate Spiritus Sancti, qui *se effundit in nos abunde* (cf. Tit. 3, 6). Ita ut merito exclamemus cum S. Maria Magdalena de Pazzis: O adinventiones! O amoris abyssum! O amoris excessum!

Quapropter, cum quatuor columnas et fundamenta domus et triclinii Sapientiae intellexerimus esse veritatem, sapientiam, potentiam, benignitatem atque amorem, haec excitare et promovere nos debent 1. ad fidem firmissimam de hoc Venerabili Sacramento eliciendam: Credo Christi Corpus et Sanguinem esse in admirabili Sacramento, et hoc credo, quia prima, summa, et aeterna Veritas hoc edixit: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Credo quod hoc sapientissime ordinarit, quia ipse est infinita Sapientia; credo quod tot mira, quae hic interveniunt, possit patrare, quia ipse est ipsa Omnipotentia. Credo quod nobis Corpus suum in cibum et Sanguinem in potum dare voluerit, quia ipse est infinita Benignitas et Charitas. 2. Ex hac fide resultat spes et fiducia, ut sive eum in Communione sacra sumamus, sive in tabernaculo templi clausum et velut in throno Sacramenti residentem visitemus, salutemus et adoremus, omnia bona et dona ab ipso speremus; ideo enim invitat: Venite ad me omnes; ideo dies et noctes exspectat. Et haec spes innititur sapientiae, quae necessitates

nostras novit, et potentia, qua potest succurrere, et fidelissima promissione, qua uberrimos hujus Sacramenti fructus pollicitus est. 3. Denique ex fide et spe resultat charitas, ut Dominum, plus quam ullus pater aut mater ulla filium nos amantem tenerrime redamemus, illum honoremus, laudemus, adoremus, illique perpetuo amoris vinculo in crebra Communione conjungamur.

PRO FESTO CORPORIS CHRISTI

EXHORTATIO II

Ostendit hoc Sanctissimum Eucharistiae mysterium esse Sacramentum summi amoris.

THEMA: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (Joan. 13, 1).

Refert S. Justinus Martyr, Apologia 2. Antonino pio porrecta, philosphos Stoicos inter caetera documenta sua tenuisse Deum aliquando se in ignem mutaturum, mundumque combusturum ac renovaturum. Hanc opinionem suam illi diversimode explicarunt. Optima, meo judicio, fuerit, si asseramus Deum erga genus humanum penitus amoris igne succensum descendisse in terras, una tenens facem, altera schedam, cui inscriptum illud Lc. 12, 49: *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur?* Ignis iste amoris elucet in omnibus ejus mysteriis vitae et mortis; sed vix in ullo luculentius, quam in sanctissimo Sacramento Altaris, quod ideo vere dici potest *Sacramentum Amoris*.

Quare merito S. Evangelista Joannes c. 13, 1 scribit: *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. In finem* scilicet vitae, ut exponit S. Augustinus; vel *in finem*, ut explicat S. Chry-

sostomus, scilicet amoris et dilectionis, id est, extremo amore et summe dilexit. Τέλος enim graece est rei finis, seu ultimum, extremum, summum, summa perfectio, consummatio, apex, et culmen: q. d. hactenus Christus suos discipulos valde dilexit; sed jam abiturus ad Patrem perfectissimum eis amorem ostendit, lavando eis pedes, Eucharistiam instituendo, et ardentissima charitate eos adhortando et inflammando ad Dei amorem.

Ostendemus proinde, quomodo Christus Dominus in hoc Sacramento amoris summum demonstret amorem in tribus proprietatibus et effectibus consistentem. 1. Amor summus conjungit, quam potest maxime, amantem cum amato. 2. Amor summus omnia quae habet amato communicat. 3. Amor summus summa amore dilecti operatur. Ex quibus quid tanto amori a nobis vicissim rependendum sit colligemus.

I. Proprietas summi amoris est summa conjunctio.

I. Prima poprietas et effectus summi amoris, quam Christus in hoc Sacramento amoris nobis ostendit, est quod nobis intime conjungatur. Non fuit ei satis uni homini uniri per unionem hypostaticam; nec conveniebat, ut cum pluribus sic uniretur. Ut tamen summo suo desiderio se nobis uniendi satisfaceret, amor ejus infinitus admirabilem invenit modum se nobis uniendi, dum instituit hoc Sacramentum, quo ad nos intraret et se nobis uniret. Secundum S. Chrysostomum hom. 45 in Joan. n. 3 (MG. 59, 260): certe in hoc Sacramento nihil est videre, nisi mera miracula amoris: unimur enim per illud, evadimus quasi unum corpus, una caro, unum os; et hoc non solum per amorem, et desiderium, sed aliquo modo realiter et effective re ipsa, ut sic caput nostrum, nosque ejus membra, fiatque quasi unum corpus.

Notandum autem est hanc unionem cibi et potus tam arctam et intimam esse, ut in rerum natura arctior intimiorque non reperiatur. Reperiuntur quidem in rerum natura variae uniones: prima est inter bonos ami-

cos, secunda inter consanguineos, tertia inter conjuges, quae omnes sunt firmae uniones; sed quarta major est inter substantiam et accidentia, quinta inter materiam et formam substantialem. Sed maxima et arctissima est inter cibum et potum atque sumentem; nam reliquae priores possunt separari, et singulae manent in sua essentia; at in hac cibus mutatur in substantiam aliti, sic panis, quem comedimus, mutatur in sanguinem nostrum et carnem nostram vivam, per calorem naturalem, et prius Esse amittit. Unde Artemisia Cariae Regina tanto maritum suum dilexit amore, ut non solum praestantissimum mausolaeum septem mundi miraculis annumeratum erexerit, sed etiam ossa et cineres ejus odoratis liquoribus permixta imbiberit, ut sic quodammodo vivum mariti sepulchrum fieret, ut illi etiam mortuo uniretur; ut refert Gellius in Noct. Atticis. At major Christi in nos charitas, qui carnem suam vivam dat nobis, idque non semel sed centies et millies, seseque nobis in S. Sacramento unit, non quidem ut secundum carnem in nos transmutetur, sed secundum mores et vitam; non ut suam substantiam amittat, sed ut nos quodammodo divinos efficiat; ait enim apud Joan. 6, 57: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

Videamus nunc, charissimi, quod nobis agendum incumbat. Si Christus Dominus ex amore nostri et unionis nobiscum instituit hoc Sacramentum amoris totus amore inflammatus, an non decet, ut et nos ardenti cum amore ipsum accedamus, et uniri ipsi desideremus? Quod nisi faciamus, profecto caeci sumus et insani. Si enim tanto flagrat desiderio infinita pulchritudo, ut uniatur cum deformitate, opulentia cum paupertate, sapientia cum ignorantia, omnipotentia cum infirmitate, puritas cum immunditia, felicitas cum miseria, Deus cum homine, tametsi hac ratione nec melior evadat nec perfectior,

ullumve lucrum nanciscatur: quanto majori affectu merito homo laboret, ut Deo suo uniatur, cum sic defectibus suis liberetur omnibusque divitiis ac bonis spiritualibus cumuletur? Sane S. Catharina Senensis tam vehementi et intolerabili ardore flagrabat Christo dilecto suo se uniendi, ut medulla quodammodo in ossibus ejus liquefieret et viva mori videretur, ut refert Surius 29 Aprilis. B. Catharina Genuensis ita anhelabat ad hanc escam divinam tantoque desiderio aestuabat, ut hostia in manu Sacerdotis intuita exclamaret: Cito, cito, veniat dilectus meus in intima cordis mei, atque ita animi deliquium patiebatur, donec Christum sumeret. O si et nos aliquid ardentis istius desiderii in nobis sentiremus, dum Eucharistiam sumimus! O si tanquam cervus ad fontes aquarum, ita ad Christum anhelaremus! O si uniri maximo amore cuperemus ei, qui est, ut ait sponsa, *totus desiderabilis* (Cant. 5, 16).

II. Proprietas summi amoris, est summa communicatio.

II. Altera proprietas et effectus seu operatio summi perfectique amoris est, ut non modo sit liberalis erga amatum, verum etiam omnia, quae possidet, largiatur. Si hoc ab ullo amatore factum est, certe modo perfectissimo a Christo Domino in Sacramento amoris impletum est; in quo donat omne quod est, habet et valet, nullo excepto. Dat enim nobis 1) corpus suum cum membris omnibus, 2) animam cum omnibus potentiis, 3) totam humanitatem, 4) divinitatem, 5) gratiam suam et merita: verbo seipsum totum.

Et quidem merita ejus in hoc Sacramento copiosius nobis communicantur et applicantur, Sanguisque ejus copiosius super nos effunditur, quam in ullo alio Sacramento; nam sicut sol majus lumen majoremque calorem emittat, quam luna, quae lumen et calorem a sole mutuari debet, ita Christus dona et gratias copiosius donat in hoc Sacramento, in quo ipse praesens est, quam in aliis sacramentis, in quibus non in persona, sed in virtute reperitur.

Quanta charitas! Quanto aequius Salvator potest dicere ad nos quam Isaac ad Esau benedictionem petentem dixit: *Frumento et vino stabilivi eum, et tibi post haec, fili mi, ultra quid faciam?* (Gen. 27, 37). Quid enim restat, quod ultra queat facere?

Quantum charitatis incendium! Annon extremum est culmen amoris, propria dilectum carne et sanguine pascere? Pastores ovium pellibus vestiuntur et carnibus vescuntur. Imo in historiis legimus, quod matres prae fame proprios filios comederint; verum quod pastor ovibus aut mater filiis carnem propriam in cibum dederit, penitus est inauditum, nec ulla memorat historia. Hoc est in Christo finis et extremum amoris; (et — id quod est magis admirandum, — cum sit totus in qualibet particula seu puncto visibili sacrae hostiae, quodammodo toties se nobis dat, quot sunt puncta hostiae, ut eo amplius suum demonstret amorem). Auget admirationem, quod ultima nocte id praestiterit: *In qua nocte tradebatur, accepit panem,* in ea nocte qua passionem est auspicatus; in ea nocte, qua ingratissimi mortales de eo capiendo, perdendo et crcifigendo consultabant, in eadem nocte accepit panem, benedixit, fregit, et dedit discipulis suis. O inauditum amoris miraculum! o incomprehensibilis affectionis amorosae excessus? o apex! o extremum summae dilectionis!

Quid vero, charissimi, tali amatori, tam liberali datori reddemus? *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* Absque dubio, omnia quae habeo. Dicat quilibet ex animo: Offero tibi Domine bona mea, facultates, honores, et quidquid possideo ad obsequium tuum, quia tu mihi das, quod est millies praestantius. Offero tibi corpus meum, sensus meos, pedes, manus et caput ad obsequium tuum, quia tu mihi donas corpus tuum et membra tua gloriosa. Offero tibi animam meam, memoriam, intellectum et voluntatem ad obsequium tuum,

quia tu mihi largiris animam tuam et divinitatem tuam. Suscipe ergo, Domine universam libertatem meam, corpus et animam meam; amorem tuum solum cum gratia tua mihi dona, et dives sum satis.

III. Proprietas summi amoris, est summi operatio.

III. Tertia proprietas, effectus aut operatio summi et extremi amoris est, pro dilecto operari magna et summa. *Amor si est,* ait S. Gregorius, *operatur magna et reputat parva.* Jam vero, quam magna, quam stupenda in hoc Sacramento amor operatur?

1. Totam invertit naturam, et quidem in dies ac in tot mundi locis. 2. Annihilat substantiam panis, et accidentia sine sua substantia conservat. 3. Quantitas seperatur a substantia, et accidentibus dat, ut possit nutrire et conservare vitam hominis, quod alias sola potest substantia. 4. Quoad suam personam, quid non facit hominis amore? quam mira patrat? uno tempore et hora et momento in persona praesens est in innumeris locis. 5. Contrahit se, ut non plus loci occupet, quam habeat hostia, imo quodvis punctum visibile hostiae. 6. Conjungit se non cum substantia panis, quae satis magna foret humiliatio tantae Majestatis, sed cum accidentibus et quamdiu hae durant, manet cum illis, quomodocunque inhonoretur, laedatur et offendatur. 7. Tegit splendorem gloriae suae et radios immensae Majestatis, quod longe plus est, quam si totius mundi monarcha mendici pallio se operiret. 8. Habetur in Sacramento illud corpus, quod per se videri, tangi, palpari et se movere potest ac sensus habet, et tamen omnium illorum usu se privat, quasi non viveret. 9. Mirabile super omnia mirabilia, et superans captum angelicum, quod ad sola quatuor verba sacerdotis, licet impii, licet intentione pessima, qua nec diabolus posset habere pejorem, se sistit praesentem, quasi obedit, tangi se sinit impuris manibus, ore sumitur et in stomachum immundum transmittitur.

Ex his videtis, charissimi, quam stupendo modo se

Salvator noster ex amore nostri mutet, contegat, deprimat, qualis nusquam lectus auditusve est. Multa fecerunt insani amatores amore illorum, quos stulte deperibant; multa stolida et admiranda excogitarunt, ut amori suo insano facerent satis: sed nullus tam praeclara, qualia Redemptor noster amore nostri adinvenit et peregit.

Concludamus igitur cum amoroso dicto S. Bernardi serm. de coena Dom. (v. opuscul. spur. sermonem de excellentia SSi Sacr, n. 10, ML. 184, 987): *Potesne aestimare, quale et quantum sit hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* Vere amor amorum, quia 1. nobis se tanta propensione intime unit. 2. Vere Sacramentum amoris, quia nobis seipsum et omnia communicat. 3. Vere amor amorum, dulcedo dulcedinum, quia tam stupenda operatur. Quid autem nos, ut ne ingrati simus, rependemus? Aemulemur amantissimum Dominum, amorem amore compensemus, *probatio* enim *dilectionis exhibitio est operis*, teste S. Greg. M. in Evang. hom. 30 (ML. 76, 1220). 1) Intime illi uniri et charitate perfecta conjungi studeamus; 2) corpus et animam, memoriam et voluntatem et intellectum, omniaque nostra ejus amori, honori et obsequio consecremus; 3) et quidquid demum pro ipsius gloria et proximi salute operari ac perficere possumus, prompta voluntate et summa alacritate aggrediamur.

PARS II.

EXHORTATIONES DE FESTIS B. V. MARIAE

EXHORTATIO I

PRO FESTO IMMACULATAE CONCEPTIONIS

B. V. MARIAE,

VEL

NATIVITATIS EJUSDEM.

De libro generationis.

THEMA : *Liber generationis Jesu Christi* (Matth. 1, 1).

Propheta Ezechiel c. 2, 9, recenset visionem se habuisse admirandam : *Et vidi*, ait, *et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber ; et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris.* At quid in eo exaratum erat ? *Et scriptae erant in eo lamentationes, et carmen, et vae.* Mirabilis profecto liber, qui tristia simul ac laeta videtur continere ; raro ejusmodi libri ab hominibus componuntur, solus Deus librum talem conscribit. Is enim, cum unicuique reddat secundum operum sua, ac sua, proinde quod cuique convenit, tribuit : cui vae, vae ; cui lamentationes, lamentationes ; cui carmen, carmen. Hinc tria illa in libro hoc conjungit, ad indicandum omnibus (ut interpretes exponunt) vae peccatoribus, lacrimas et lamentationes poenitentibus, carmen justis, cuique tribui secundum merita eorum. Huic Ezechielis libro haud absimilis est liber generationis Jesu Christi : in quo triplici quoque, ut in priore, hominum statui insinuatur, quid sibi sperandum veniat, scilicet vae peccatoribus, lamentationes poenitentibus, carmen justis.

Nos hodie, charissimi, haec tria in eo legemus, non ad tristitiam, sed ad gaudium et consolationem, ac ad B. V. Mariae Matris nostrae amantissimae honorem et amorem.

I. Prima lectio, quam in libro generationis Jesu Christi Domini nostri legimus, est: *Vae peccatoribus.* Tales inter alios fuere reges Abias et Achaz in libro generationis nominati. De Abia 3 Reg. 15, 3 legitur: *Ambulavitque in omnibus peccatis patris:* qui etiam nominatur, scilicet Roboam. De Achaz rege habemus 4 Reg. 16, illum eo impietatis devenisse, ut filium suum daemonibus immolarit. At quae poena secuta scelestos? Mali male perditi: perierunt, et in sceleribus suis mortui sunt. *Vae* ergo *peccatoribus.* Videte charissimi, et bene notate: praedicti reges fuere Christi Domini majores et progenitores; ipse Dei Filius et Mater ejus sanctissima ex horum stemmate et sanguine descendere, et tamen fortasse aeternum perierunt; nec ipsa Jesu Christi consanguinitas ab aeterna damnatione eos vindicavit. S. Chrysostomus serm. 122 ait: *Infelix, quem sic ipsa origo arguit, quem sic ipse lucis auctor poenis addicit. Infelix, cui in judicio pro magnitudine criminis, non misereri Genitor, non Pater ignoscere, non affectus novit subvenire.* Merito supra hos reges, merito supra unumquemque peccatorem inclamamus: quisque es, cujuscunque status es, si peccator es, infelix es, quem sic ipsa origo arguit: *Vae peccatoribus. Vivo ego: dicit Dominus* (Jeremiae c. 22, 24), *quia, si fuerit Jechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Annulus signum nobilitatis et excellentiae est: nemo tamen sceleratus ei fidat; nam contemnetur, evelletur, abjicietur. *Una, vera, sola, et communis cum Christo nobilitas est* (pergit aureum illud os hom. 45) *ut voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multo melior est.* Si quis secus fecerit, nulla nobilitatis, nulla propinquitatis

I. Vae peccatoribus.

a Christo habetur ratio, sed pronuntiat *Vae peccatoribus*. Dixit enim: quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? qui facit voluntatem Patris mei, ille meus pater et mater et frater est; coram supremo Judice nullum est discrimen regis et subditi, divitis et pauperis, consanguinei et extranei; si in peccatis fuerint, condemnabuntur: *Vae peccatoribus: Vae impio,* ait Isaias c. 1.

Ex hoc aequo et impartiali judicio Dei videtis, charissimi, quid vobis, si in mundo mansissetis, exspectandum fuisset: certe non aliud nisi *Vae peccatoribus*. Ne vero via coepta pergeremus, intercessit B. V. Maria: haec stellae maris radium lucis obtinuit, quo pericula mundi agnosceremus, et vocationem ad Religionem nostram impetravit atque ita a Vae nos liberavit; quid rependemus? Praevidens illa nostra peccata, et nos, si in saeculo maneremus, perrecturos in illis, atque ita Vae peccatoribus debitum, Vae aeternum incursuros, miserta nostri, Filio supplicavit, filum peccatorum praescidit, a via peccati ad viam virtutis deduxit: quid reddemus? 1) Gratitudinem tota vita erga liberatricem; 2) amorem et devotionem singularem erga tantam Benefactricem: centies et millies pie recitando Ave, quod a Vae perpetuo nos liberaverit.

II. Lamentationes poenitentibus.

II. Altera lectio, quam in libro generationis Jesu Christi legimus est: *Lamentationes poenitentibus*. Has docent rex Ezechias et David in hoc libro commemorati. De rege Ezechia meminit Isaias c. 38, 3: *Flevit Ezechias fletu magno*. Quem latent lacrimae et lamentationes Davidis, quas ipse describit Psal. 41, 4: *Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte*. O felices lacrimae! quae omne gaudium superant, Deoque ita placuerunt, ut sic reges poenitentes libro generationis Jesu Christi inscribi meruerint, veniamque peccatorum obtinuerint. Ezechias enim ex ore Isaiae audivit: *Haec dicit Dominus...: Audivi orationem tuam;* David autem: *Do-*

minus transtulit peccatum tuum (2 Reg. 12, 13). O quanta est vis talium lacrimarum! *S. Bernardus* serm. 1, in octav. Pasch. n. 7 (ML. 183, 295) ait: *est Baptismus aliquis in compunctione cordis et lacrimarum assiduitate.* Praeclare admodum scribit S. Chrysostomus in in Psal. 50 (hom. spuria n. 5 MG. 55, 581): *In codice sunt scripta peccata tua : spongia peccatorum tuorum lacrimae sunt tuae, effunde lacrimas et delebis.* Ita evenit Ezechiae et Davidi regibus, qui in numero eorum scripti fuere, quibus Vae inclamandum fuit, sed lacrimis peccata sua deleverunt; ut hodie inter lamentantes legantur.

Nativitas tua, Dei Genitrix, gaudium attulit universo mundo, et in primis nobis; per te enim a Vae peccatoribus incumbente liberati sumus; quod gratiam habuerimus poenitentiam agendi, tuum est beneficium; quod integram hebdomadam habuerimus peccatorum malitiam considerandi et conscientiae latebras scrutandi et excutiendi, tuum est beneficium; quod exhomologesin de tota vita instituerimus, non aliter ac si paulo post vitam clausuri fuissemus, peccata planxerimus et lamentati fuerimus, eadem lacrimis, si non externis, saltem internis seu spiritus, defleverimus et quasi spongia deleverimus, tuum est beneficium; quod hactenus, vel ab anno, vel a biennio lapsi in pristina delicta non simus (quod optimum exhomologeseos rite peractae signum est) tuum, o Virgo beata, est beneficium! Quid vero reddemus benignitati tuae, nisi ut constanter tibi filioque tuo adhaereamus, fideliter serviamus et propositum nunquam amplius graviter peccandi firmiter observemus? Imitabimur B. Catharinam Genuensem, quae in contritione cordis per plures menses perdurans, illud solum ingeminabat: *Non amplius mundus, non amplius peccata.* Idem dicemus: tentet nos mundus denuo, sed non *amplius mundus;* tentet caro foedis voluptatibus, tentet daemon pravis suggestionibus, sed non amplius peccata.

III. Carmen justis.

III. Tertio lectio, quam in libro generationis Jesu Christi legimus, est *carmen justis*. Quales hic plures numerantur, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph. *Carmen justis*, sed in primis justissimae ac Principi justorum Virgini Mariae. Carmen tibi et laetitia, o sanctissima Virgo! in hoc libro generationis scribitur, quod Jesu Christi Filii Dei mater denuntiaris, ac inde omnium hominum es felicissima, perfectissima, dignissima. Te enim Deus elegit et praeelegit in dilectam Patris aeterni filiam, Filii matrem, et sponsam Spiritus Sancti. Gaudere igitur et exultare debes, debentque omnes tibi applaudere et jubilum ac carmen dicere atque beatam praedicare inter omnes generationes. Itaque carmen tibi, o sanctissima infantula! sed et carmen in nativitate tua omnibus justis.

1. Laetitia et carmen laetitiae justis parentibus tuis Joachim et Annae, ex quibus, licet ad senium usque sterilibus, mirabiliter nata fuisti. Si enim Abraham in nativitate Isaac, Anna in nativitate Samuelis, Zacharias in nativitate Joannis Baptistae laetitia exultarunt, paulo magis parentes tui in ortu tuo, o gloriosa Domina et Mater Domini! 2. Laetitia et jubilus omnibus justis patriarchis et prophetis, qui hodie, intellecto ortu Matris Redemptoris, laetitia inenarrabili sunt perfusi, quod aurora jam processerit solque brevi sit subsecuturus. 3. Laetitia et harmonia amoenissima justis spiritibus angelicis in caelo, quod nata sit Mater Domini, per quem ruinae angelorum apostatarum instaurandae. 4. Laetitia et jubilatio quoque tibi, o inexhausta scaturigo omnis justitiae, Sanctissima Trinitas! quae hodie opus nobilissimum perfecisti; laetitia Patri aeterno, qui Filio tale praeparavit habitaculum; laetitia Dei Filio, qui matrem obtinuit, a qua nasceretur et lacte virgineo pasceretur; laetitia etiam Sancto Spiritui, qui hodie ejusmodi templum adeptus est, in quo semper quiete et absque turba-

tione requiesceret. 5. Denique laetitia et carmen laetitiae ac jubilus omnibus justis in mundo, quoniam post tenebras diuturnas aurora prodiit, quam sol justitiae Christus Dominus brevi subsequetur. Hinc Ecclesia merito canit: *Nativitas tua, Dei Genetrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est sol justitiae, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.*

Si itaque *carmen justis* omnibus; erit utique et vobis, charissimi: *Laetamini in Domino et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde:* Laetamini igitur hodie, quia in nativitate B. V. Mariae panditur liber generationis Jesu Christi et omnium electorum; laetamini, hodie aperitur vobis porta, qua caeli adyta ingrediamini, de qua Psal. 117, 20: *Haec porta Domini, justi intrabunt in eam;* laetamini, quia B. Virgo dux est vestra sicut et omnium justorum, deducens ad terram promissionis, assimilata columnae ignis et nubis, de qua Exodi 13.

Quapropter bene memoriae infigamus primam lectionem, quam ex libro generationis Jesu Christi didicimus: *Vae peccatoribus* omnibus, cujuscunque status aut conditionis, etiamsi ipsius Jesu Christi Regis aeterni fuerint progenitores et consanguinei. Et gratias agite sanctissimae Virgini, quod ejus intercessione ad Societatem Jesu vocati et ab hoc Vae liberati sitis. 2. Inscribite quoque cordi vestro lectionem secundam: *Lamentationes poenitentibus.* Peccatoribus omnibus aut poenitendum, aut ardendum; maximumque reputate beneficium, quod Virgo Beatissima vobis tempus et locum opportunum exercitiis vacandi, poenitentiam agendi et peccata per exhomologesin expiandi impetrarit; et statuite, ut proposuistis, firmiter nunquam amplius in aeternum in grave scelus consentire; et cum religiosa vita status sit poenitentiae, omnia opera virtutum, quorum in dies

occasio frequentissima, in satisfactionem peccatorum Deo offerte. 3. Insculpite denique menti vestrae lectionem tertiam: *Carmen justis.* Et cum hodie justi omnes, sive in caelo, sive in mundo, sive in limbo de nativitate Deiparae gaudeant; et vos laetamini et exultate, quod ope et precibus benedictae Dei Matris Societati Jesu, coetui justorum, aggregati sitis et tanto tempore, ut merito confiditis, in justitia praestiteritis, quod in mundo inter tot praecipitia et lubrica viarum vix aut ne vix quidem fecissetis. Quod si vero tentatio aut periculum perdendae justitiae denuo occurrerit, ne animis cadatis, sed fiduciam in Matre vestra habetote, respicite stellam, vocate et invocate Mariam; illa quae a Vae peccatorum vos liberavit, quae ad lamenta poenitentiae et ad justitiam vos adduxit, non deseret, sed victoriam obtinebit, ut triumphum et laetum carmen justorum et hic et in caelesti gloria aeternum concinatis.

EXHORTATIO II

PRO FESTO IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. M. VIRGINIS.

Qua declaratur B. Virginem esse templum Dei.

THEMA : *De qua natus est Jesus.*

Architecto prudenti ac perito domum aedificaturo, ante omnia ad incolam et inhabitatorem attendendum est, et quo is est nobilior et praestantior, eo quoque praestantiorem esse habitationem decet; alia enim domus rustico, alia principi aut regi competit. Hodie caelestis architectus, Sapientia aeterna, aedificavit sibi domum, quae est Beatissima Virgo Maria; incola erit Salvator mundi. Rex regum et Dominus dominantium, omnibus

mundi monarchis, omnibus caeli principibus longe major; de quo dudum ante vaticinatus Isaias Propheta c. 40, 9 sq. et 35, 4: *Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur. Deus ipse veniet et salvabit nos.* Qualis ergo et quanta domus ei praeparanda?

Salomon septem annorum spatio templum incredibili expensarum et operarum numero aedificavit: erant enim triginta millia operariorum, septuaginta millia portantium onera, octoginta millia lapicidarum in montibus, tria millia et trecenti praefecti operum. Tantum vero auri, argenti, aeris et ferri in opere expensum est, ut vix ullo in numero comprehendi queat. Quo tamen opere expleto rex sapientissimus adeo nihil divina Majestate dignum se fecisse judicavit (2 Par. 6, 18): *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si caelum et caeli caelorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam aedificavi?* In templo autem illo non Dominus, sed arca, quae ejus typum gerebat, collocata fuit. Quod si domus illa ad arcam Dei asservandam destinata tantis sumptibus et laboribus parata et ornata fuit, qualis ea domus esse debebit, in qua non arca, sed ipse Dominus humana carne vestitus collocandus erit? hanc certe nemo nisi solus Deus digne extruere et ornare potuit.

Quale igitur sibi templum, quam mundum, quam quietum, quam sanctum et ornatum Dominus omnium exstruxerit, modo explicabimus.

I. Templum Salomonis fuit sanctum et omnino purum; secundum quod David canit (Psal. 92, 5): *Domum tuum decet sanctitudo, Domine.* Hinc tabulis cedrinis erat incrustatum, quod lignum incorruptibile censebatur, auro purissimo tectum; sacerdotes, levitae et populus sacrificaturi in hoc templo purificari ante debebant. Templum hoc figura fuit Beatissimae Virginis immaculate conceptae, I. B. V. Templum mundum.

templum in quo habitavit Pater et Filius ut Creator in mundo, Imperator in regno, pater familias in domo, sponsus in thalamo, pontifex in templo. Prima hujus templi elegantia fuit sanctitas et puritas, ut ait S. Laurentius Justinianus serm. in Nativ. B. V. *templum immaculatum;* vel ut loquitur S. Joannes Damascenus: *Quam Deus sibi sacravit, templum pudoris, honestatis et puritatis.* Potuit caelestis architectus duplici modo hoc templum mundare, primo post lapsum eam statim liberando, vel secundo lapsum praeveniendo; qui modus posterior praestantior est, et magis Dei omnipotentiam et Redemptoris misericordiam manifestat: sicut enim nullum malum peccato majus est, ita ab eo praeservari summa est misericordia. Quare ad ipsius redemptionis gloriam et ipsius redemptionis dignitatem pertinuit, ut hac singulari misericordia erga futuram Matrem uteretur, et optimo quo posset modo eam redimeret: ut Mater Filio puritate esset similior. Quomodo itaque Deus eodem momento, quo solem creavit, eum cum lumine et absque tenebris creavit; atque ut Angelis ac primis parentibus simul cum natura gratiam dedit: sic B. huic Virgini, quo momento eam creavit, etiam animam ejus sanctificavit et ut solem electam fecit, nullis peccati tenebris affectam. Non decuit Regem caeli palatium foedatum, nec Pontificem summum templum immundum ingredi. *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* S. Anselmus de Concept. B. V. c. 18 (ML. 158, 451) docet: *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum... ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius.* Decens erat, 1) ratione Patris aeterni: ex quo enim ipse ordinavit Virginem hanc Matrem Filii sui, ex cujus utero is nasceretur, quoad fieri poterat, generatio haec Verbi ex utero Matris assimilanda erat generationis divinae

puritati, quae est ex corde Patris; 2) ratione Spiritus Sancti: cum enim ipse disponeret Virginem, ut esset digna Mater Dei, rationi conforme erat, ut ad ipsiusmet Dei puritatem, quantum purae creaturae patiebatur capacitas, proximius accederet; 3) ratione Filii, et propter honorem Christi, ut loquitur *S. Augustinus* de natura et gratia c. 36 (ML. 44, 267): *De qua (sancta Virgine Maria) propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.* Eccl[i] 3, 13: *Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore.* Fuit itaque B. Virgo pura ab omni peccato, tam originali quam actuali, tam mortali quam veniali. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in Te.* Cant.

Charissimi, et vos estis templum Dei, ut testatur Apostolus 1 Cor. 3, 16: *Nescitis, quia templum Dei estis* et 1 Cor. 6: *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti* et 1 Cor. 3, 17: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Vos ergo estis templum Dei vivi, et vivum, in quo Deus non solum per immensitatem et ubiquitatem suam praesens est, verum etiam in quo habitat per gratiam, per gubernationem et protectionem adest. In quo velut in throno residet; jam consolatur, jam inspirationibus ad bonum impellit, jam a malo retrahit, jam in tentationibus opem praebet. Ex quo sequitur, templum hoc cordis nostri oportere esse mundum et immaculatum 1) a peccato letali, quia per hoc Deus e templo cordis expellitur et diabolus succedit ejusdem possessionem capiens: sed hanc puritatem per gratiam Dei jam obtinuimus; tantum in eo esse debemus, ut deinceps eam conservemus; 2) a peccatis venialibus deliberate admissis; haec enim sunt veluti vermiculi, aranearum telae et pulveres: sicut ergo templa probe purganda et custodienda sunt, ne circumquaque pulveribus, bestiolis et aranearum telis inquinentur, ita templa cordis nostri: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.*

II. Templum pacificum.

II. Templum Salomonis fuit pacificum: tum quia a rege pacifico tempore pacis constructum; tum quia cum tanta quiete, silentio et modestia aedificatum fuit, ut in extructione nec ictus mallei sit auditus: omnes enim lapides ante erant aptati et quadrati, tantumque collocatione opus erat (3 Reg. 6, 7). Templum veri Salomonis B. Virgo habuit hoc etiam donum et privilegium, quod caruerit fomite peccati. Cum enim Deus eam liberaverit a peccato originali, quod causa est fomitis, etiam effectum illum ab ea abstulit, scilicet rebellionem carnis adversus rationem: ita ut tota illa anima cum omni sua interiore familia, id est, facultatibus, perpetua pace et concordia frueretur, ut quae esset futura habitaculum Principis pacis, juxta illud Davidis Ps. 75, 3: *Factus est in pace locus ejus.* Nunquam itaque Virgo benedicta pugnas interiores sensit, quas nos gementes sentimus, nec quicquam ejus caro adversum spiritum concupiscebat; neque spiritus carnem cum difficultate gubernat. Non appetitionum sensuumque lex rationis legi adversabatur, neque hujusmodi appetitionibus coercendis, aut sibi subjiciendis ratio laborabat; magna potius voluptate inter se concordes aeternae Dei legi sese subjiciebant. Magnum hoc profecto fuit Virginis privilegium, magnum hujus templi sancti ornamentum!

Nos e contra miseri mortales, quia peccato originali corrupti sumus, hunc fomitem tanquam effectum toties experimur. Fomes autem peccati ex mente theologorum nihil est aliud, quam motus actuales sensitivi appetitus, qui collimant et tendunt in bonum sensibile contrarium bono honesto, et qui sollicitant voluntatem nostram ad consensum. Motus isti ab Apostolo Rom. 7, 23 vocantur lex membrorum: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.* Motus isti sunt concupiscentia, sunt tentationes, sunt desideria mala, sunt allectamentum et invitationes ad peccatum, et facil-

lime in nobis oriuntur; quando enim proponitur tantum objectum aliquod sensibile, aut bonum jucundum, statim oritur concupiscentia. Sicut cera ad ignem applicata illico liquescit, ita nos statim movemur et tentamur; tam fragiles, tam infirmi, tam ad malum proclivi sumus quavis occasione, sicut vitrum ut frangatur, cera ut liquescat, lapis ut descendat. *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (Gen. 8, 21). Atque ex his oritur turbatio pacis in nobis, hinc bellum continuum, pugna et lucta. Unde bella in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris, quae militant adversus animam?

Et nos ut diximus, charissimi, templum Dei sumus; sed quam parum pacificum, quam plenum strepitu et tumultu? jam tentat luxuria, jam vana gloria et superbia pacem turbat, jam oppugnat ira et impatientia, jam vexant scrupuli, jam blasphemae cogitationes, jam contra fidem inquietant. Quid vero consilii? aut quid remedii? nihil efficacius mortificatione et oratione. Mortificatio vitia reprimit et subigit, oratio gratiam impetrat. Oravit Paulus, ut a carnis stimulis liberaretur templumque animae suae tranquillum foret, et gratiam obtinuit: *Sufficit tibi gratia mea.* Gratia haec est aqua illa, de qua Christus Joan. 4, 14, *quod salit in vitam aeternam,* quae sordes peccatorum abluit, quae fructus aeternae vitae profert, quae sitim desideriorum nostrorum dulcedine sua extinguit, atque ita demum carnalis concupiscentiae ardorem temperat. Hanc gratiam ex Christi meritis profluentem oratio impetrat, praesertim patrocinante Virgine benedicta, Dei parente, teste S. Bernardo: *Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis: respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit*

mentis, respice ad Mariam (Hom. super *Missus est* n. 17 ML. 183, 70). Et optata redibit malacia mentis, et cordis tranquillitas.

III. Templum ornatum.

III. Templum Salomonis fuit supra modum ornatum et splendidum, omni genere ornamentorum illustratum. Nihil erat in templo, quod auro purissimo non tegeretur, altare, Cherubini, Sanctum Sanctorum, ipsum adeo pavimentum. Unde vere affirmare potuit Salomon: *Dilexi decorem domus tuae* (Ps. 25, 8). Sic quoque alia templa variis ornamentis ornari solent; ita Constantinus primus Imperator christianus Romae duo praeclarissima templa exstruxit et eleganter exornavit. Ita Dagobertus rex Franciae in honorem S. Dionysii M. et Sociorum templum erexit, quod solido argento tegi curavit, et corpora S. Dionysii ac Sociorum aureo feretro inferri fecit, parietes tapetibus, gemmis et unionibus intertextis, tegi voluit, ut scribit Regino in Chronicis. Ita hodiedum templa altaribus, picturis, velis sericis, Sanctorum lipsanis exornantur.

Si templum Salomonis propter arcam Domini, et alia templa propter Sanctorum lipsana ita condecorantur, qua ratione Sapientia aeterna, verus Salomon, exornaverit templum illud, in quo ipse novem mensibus moraturus et carnem assumpturus erat? Hic enim vetustissimus ejus mos est, pro ratione munerum, ad quae homines destinabat, gratiam illis et caelestia dona impertiri. Sic prophetas admirabili rerum omnium cognitione illuminavit; sic Apostolos excellentissima charitate succendit; sic Martyres, quos fidei suae testes elegit, insuperabili fortitudine et constantia roboravit: cum ergo post Dei Filium nulla major, quam Matris Dei dignitas sit, efficitur sane, ut illius gratia et decora tantum aliorum Sanctorum gratiam et charismata antecellant, quantum ejus dignitas illorum dignitatem superat. Imo vero, quas virtutes et dona caelestis Spiritus in omnes Sanctos

liberalissime effudit, longe praestantius in hac sacra Virgine copulavit. Quod S. Bernardus locum illum enarrans: *In plenitudine Sanctorum detentio mea* confirmat his verbis: Vere in plenitudine Sanctorum detentio Virginis Mariae, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, sed nec ipsa puritas Angelorum.

O igitur templum ornatissimum, Virgo immaculate concepta, cujus columnae marmoreae sunt virtutes theologicae et morales, imagines et picturae sunt divinae contemplationes et meditationes; altare in hoc templo est cor B. Virginis, in quo ardet et lucet jugiter ignis divini amoris, semper enim eliciebat intensissimos charitatis actus; templum clausum et quoad omnes portas bene custoditum, ne per sensus species indecens irreperet. S. Cyrillus Alexandrinus homil. 6, contra Nestorium [hom. 4 vel 11 inter diversas] haec ornamenta Virginis describit. Sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura (scilicet perfectio earum), ideo microcosmus dicitur; sic in reformatione mundi, in Maria collecta est omnis Ecclesia, et Sanctorum perfectio, unde microcosmus Ecclesiae dici potest. Quidquid in quolibet Sancto illustre fuit, in illa fuit. In illa patientia Job, mansuetudo Moysis, fides Abrahae, castitas Josephi, humilitas David, sapientia Salomonis, zelus Eliae.

Charissimi, ut diximus, et vos Dei templum estis; an non igitur par est, ut exemplo B. Virginis virtutibus exornemini? At ubi fidei lux, spei robur, charitatis ardor? Ubi patientia, humilitas, aliaeque columnae virtutum? Ubi alia dona et charismata Spiritus Sancti? Quae desunt, omnia per Deiparam obtinere possumus.

Quapropter, dilectissimi, conemur templum cordis nostri emundare pro viribus a peccatis, ut sit purum; conemur illud liberare a passionibus, vitiis et pravis

affectionibus, ut sit pacificum et tranquillum; conemur illud per gratiam Dei exornare omni genere virtutum, ut sit ornatum et gratum Deo habitaculum, templo Salomonis et mystico D. Virginis quodammodo pro modulo nostro simile. Quodsi vero sive in munditia, sive in tranquillitate animi, sive ornatu interiori aliquid desit, ad hoc templum mysticum confugiamus, nec minus quam in templo Salomonis petita impetrabimus; nam ut ait S. Germanus Episcopus de Zona S. Mariae (MG. 98, 380): *Nullus est qui fiat salvus, nisi per te, Sanctissima! nemo est qui liberetur a malis, nisi per te, o purissima! nemo est cui donum concedatur, nisi per te, o charissima!*

EXHORTATIO

PRO FESTO ANNUNTIATIONIS VEL ASSUMPT.

VEL NATIVITATIS B. V. MARIAE.

Ostenditur B. V. fuisse auroram, lunam, solem.

THEMA: *Quae est ista, quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* (Cant. 6, 9).

Citati textus verba variis modis a SS. Patribus atque interpretibus exponuntur. Cum enim aurora sit lucis initium, luna augmentum, sol vero plenitudo, symbolis hisce varia significantur. 1. Honorius ea exponit de Ecclesia; quae sub lege naturae erat ut aurora, qui fuit initium legis et cognitionis Dei; sub lege scripta fuit ut luna, crescebat enim tunc illa cognitio, sed radiorum solis indiga erat; sub Evangelica lege fuit ut sol, omnes expellens tenebras. 2. Alii exponunt de lege Evangelica tantum; quae sub Christo et Apostolis fuit ut aurora, exorta recenter et tenuiter, occulte et latenter in Judaea tantum quasi aurora lucens; postea fuit ut luna sub

decem Imperatoribus, inter martyria et persecutiones pallida, usque ad Constantinum; denique ut sol lucis suae et imperii radios per orbem universum dispersit. 3. Alii explicant de Beatissima Virgine Maria, ut S. Bernardus, Rupertus Abbas et alii. Et quidem Rupertus ait eam in nativitate fuisse auroram, in conceptione Christi lunam, in assumptione ad caelum solem.

Mentem hanc seu expositionem Ruperti nonnihil dilucidabimus, simulque ostendemus, quomodo anima religiosa initio conversionis suae seu in tyrocinio sit velut aurora, in progressu luna, in fine sol.

I. Beatissima Virgo, teste Ruperto, in nativitate sua fuit *aurora: Quando nata es,* inquit, *O Beata Virgo! tunc vera nobis aurora surrexit, aurora praenuntia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana, finis praeteritae noctis et initium diei sequentis, sic nativitas tua... finis tristitiae et laetitiae nobis exstitit principium* (In cant. l. 6 ML. 168, 936 sq.). Vera nobis aurora surrexit, dum Virgo est nata; nam 1. Sicut aurora est terminus noctis et initium diei, ita B. Virgo mundo in tenebris constituto illuxit. 2. Sicut aurora vespertiliones, noctuas aliasque volucres nocturnas fugat, ita B. Virgo daemones expellit. 3. Sicut aurora aves diurnas ad cantum provocat, ita B. Virgo animas sanctas et Angelos ad Dei laudes excitat. 4. Sicut aurora semper crescit et sensim progreditur, ita B. Virgo licet a primo vitae momento perfecta fuerit, ita tamen profecit, ut initium respectu finis se habeat velut aurora et meridies. *Quae est ista, quae progreditur?* semper progressa est, nunquam stetit, nec ullo quidem vitae momento substitit. 5. Sicut aurora rorem spargit album, qui in gramen et flores decidit, ita B. V. gratiae rorem diffundit. O igitur Maria, aurora amoenissima et pulcherrima!

I. B. V. aurora in Nativitate.

Tironum Religionis, seu incipientium congregatio, quae a saeculari vita recenter ad religiosae vitae portum

appulit et viam purgativam ingressa est, est quasi aurora consurgens. Nam 1. ut ait S. Gregorius L. 16. Moral. c. 25 ord. nov. c. 63 (ML. 75, 1158): *Mens justi aurora, quae peccati sui tenebras deserens, ad lucem jam aspirat aeternitatis.* Et sicut aurora habet aliquid lucis, et aliquid tenebrarum: sic religiosi incipientes habent aliquid lucis et cognitionis, et aliquid tenebrarum, id est, vitiorum et cupiditatum inordinatarum. 2. Sicut aurora aves nocturnas fugat, sic anima religiosorum incipientium et in via purgativa versantium jugiter animam purgat, ignorantiam, culpam, torporem, acediam expellit, et quasi a facie colubri cuncta peccata etiam minina fugit, sicque daemones et eorum assultus et tentationes reprimit, Angelos laetificat atque ad Deum laudandum provocat. 3. Sicut aurora jugiter crescit et progreditur, ita *justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem* (Prov. 4, 18). Mentes enim tironum, ubi tenebras et frigus, ignorantiam et culpam, pigritiam et torporem pepulerunt, ope gratiae divinae lux et ardor charitatis virtutumque in dies crescit evaditque illustrior, ut aemulentur charismata meliora et per excellentiorem viam pergentes probent potiora, et charitas magis ac magis abundet in ipsis repleanturque fructu justitiae in laudem et gloriam Dei. Et sicut aurora crescit non subito, sed paulatim, accedente magis ad horizontem sole; deinde non cum strepitu, sed sensim et sine sono; denique tanta fortitudine, ut nullus ejus augmentum possit impedire; sic anima novitiorum crescit non subito, quia nemo repente fit summus, sed gradatim; nec tenebrae pelluntur simul totae, sed per partes, et sine strepitu atque in silentio, ita ut vix percipiantur quod crescant. Quod Christus Dominus declarat parabola sementis Mc. 4, 26-28: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terra, et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat, dum nescit*

ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde plenum frumentum in spica. Denique instar aurorae omnia impedimenta vincit. Segetem possunt multa impedire et laedere, ut gelu, nebula, grando, bestia conculcans et volucris granum rapiens. Sed gratia Christi et gratia vocationis, praeveniens et roborans tironum animas, tam est potens, ut omnia vincat.

Has igitur, charissimi, aurorae proprietates in novitiatu habere conemur, tenebras expellendo, vitia superando, in luce et cognitione crescendo: et cum ex nobis non simus sufficientes haec praestare, ab aurora mystica Virgine nata rorem divinae gratiae postulemus.

II. B. V. in Conceptione Christi pulchra ut luna.

II. Sanctissima Virgo, ex mente Ruperti, in Annuntiatione, in Incarnatione Christi, seu Conceptione Redemptoris nostri fuit sicut *luna. Quando autem,* inquit Rupertus l. c. *Spiritus Sanctus in te supervenit, et Filium Virgo peperisti, tunc tu et ex tunc pulchra pulchritudine divina, pulchra inquam, non quomodocunque, sed ut luna. Sicut enim luna lucet et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta, sic tu, o Beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia divina, gratia plena!* O quam fulgida luna est Virgo ab Angelo salutata! luna non falcata, non semiplena, non maculis ullis peccatorum obscurata, non modo plena modo dimidiata, sed semper integra, semper gratia plena, semper illustrata tota, stabilis et confirmata in gratia, illuminans mundi noctem et tenebras praeclarissimis virtutum exemplis.

Religiosorum animae proficientes in virtute lucent ut luna: quia sicut haec noctem, ita illi peccatores illuminant. Ita praeclare S. Gregorius M. dum ait: *Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat: sic nimirum quoque anima, quae tenebras dimittit, et in sanctam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis*

spargit. Haec itaque anima, dum peccantibus bona exempla praebet, quasi luna in nocte lucet.

Alterum hinc documentum: 1. Ut agnoscamus, exemplo B. V. Mariae, quidquid lucis, cognitionis, virtutis habemus, id nos non a nobis, sed a sole justitiae Christo Domino habere. Quid habes quod non accepisti, ait Apostolus, tam in naturalibus, quam supernaturalibus? 2. Studeamus esse sicut luna plena, ad imitationem B. V., alioquin anima non est tota pulchra; non igitur sit jam crescens, jam decrescens, jam proficiens, jam deficiens, sed semper et constanter plena. *Stultus enim ut luna mutatur*, ait Sapiens. 3. Ut autem hanc plenitudinem obtineamus, oculis irretortis Deum intueamur. Sicut enim luna tandiu integrum splendorem et decorem suum retinet, quam diu est objecta soli et directe ex opposito respicit illum; tunc vero decrescit lumen, quando illam obliquis et quasi transversis radiis respicit et illuminat sol: sic anima nostra semper progredietur pulchra ut luna, quoties semper satagit directe solem justitiae intueri et ita coram ipso comparere, ut directis eam radiis respiciat ac suo divino lumine compleat. Hoc praestabimus, si purissima intentione solem justitiae semper respiciemus et in illum omnes vias nostras dirigemus; nunquam terrena respiciamus, nec transitorium sive terrenum inter nos et solem interponi permittamus, alioquin sicut crevimus usque ad plenitudinem, sic ecclipsin patiemur et decrescemus usque ad defectionem, erimusque sicut stultus, qui ut luna mutatur, cum potius esse deberemus sicut thronus Dei, et sicut luna perfecta in aeternum.

III. B. M. V. Assumptione electa ut sol.

III. B. Virgo Deipara in assumptione, ut scribit Rupertus fuit *electa ut sol*. Ait enim l. c.: *Quando autem de hoc mundo assumpta atque ad aethereum thalamum translata es, tunc tu et ex tunc electa ut sol, electa inquam nobis, quia sicut ex te natum Dei Filium solem verum,*

solem aeternum adoramus et colimus ut Deum verum, sic te honoramus atque veneramur ut veri Dei Genitricem. Licet ergo, ex mente Ruperti, fuerit in Assumptione electa ut sol, et quidem ut sol fulgentissimus, erat tamen etiam in vita sua sol, electaque ut sol, quia plena erat lumine et ardore charitatis. Tria officia in mundo praestabat: Nam 1) sicut sol illuminat totum mundum, ita B. Virgo; 2) sicut sol exhilarat totum mundum, ita B. Virgo; 3) sicut sol vivificat, ornat, foecundat, inflammat haec inferiora, ita B. Virgo. Quae tria nunc praecipue praestat in caelo, ubi illuminat omnes Angelos et Beatos, exhilarat Patriarchas, Prophetas et Parentes suos, ornat caelum et haec inferiora foecundat, et inflammat.

Animae religiosae perfectae jam et sanctae solem repraesentant, ad quod tironibus aspirandum est. Ut enim triplicem sol in luce habet excellentiam, ita perfectorum animae: 1) summam intensionem ac magnitudinem, ita ut ipsas etiam stellas obscuret; 2) stabilitatem et perpetuitatem, quia nullum lucis patitur detrimentum in se, aut diminutionem; 3) miram efficacitatem, quoniam per lucem non solum illuminat mundum, sed calefacit et radios igneos exsufflans montes adurit atque in haec inferiora miras virtutes exercet. Quae tria aptantur et perfecte conveniunt animae beatae, quae plenam jam assecuta est Dei similitudinem: *Cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est* (1 Joan. 3, 2). At etiam aliquo modo aptatur illi in hoc saeculo, quando speciali electione elevatur ad perfectissimam similitudinem solis justitiae; et tales in sapientia et sanctitate permanent immobiles sicut sol, aliosque exemplo suo illuminant et inflammant.

Charissimi, tanta perfectio non statim requiritur a tironibus in conversionis initio, sed tamen paulatim ad magnam perfectionem aspirandum est illis; nam et

Christus ipse hortatur: *Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Matth. 5, 48, q. d. hic est scopus, hic finis supremus, ad quem pro viribus connitendum est.

Quocirca, dilectissimi, 1. Ad exemplum Dominae nostrae simus aurora consurgens et progrediamur, magis magisque in dies tenebras expellamus, sicut et ignorantiam, frigus, teporem, vitia et peccata; et crescamus in luce, cognitione et amore virtutum paulatim sine strepitu, omnia impedimenta perrumpendo. 2. Exemplo B. V. conemur esse pulchri sicut luna, omne lumen nos a sole justitiae habere libenter profitendo, semper crescendo, semper lumine pleno, ideoque respiciamus irretortis oculis solem justitiae, in ejus praesentia ambulando et intentionem pure ad eum dirigendo. 3. Exemplo B. V. tandem simus electi ut sol: 1) intense Deum amando, lucendo et ardendo, 2) stabiliter, 3) efficaciter, ut alios quoque verbis et exemplis accendamus. Ita aliquando in caelis fulgebimus sunt sol, ex promisso Christi Matth. 13, 43: *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

EXHORTATIO

PRO QUOLIBET FESTO B. M. V.

De B. V. Maria tanquam Matre Societatis.

THEMA: *Ego Mater pulchrae dilectionis* (Eccli. 24, 24); vel: *Ecce Mater tua* (Joan. 19).

Dum Christus Dominus in cruce moriturus videret Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dixit Matri suae: *Mulier, ecce filius tuus* (Joan. 19, 26). Quo dicto loco sui S. Joannem substituit tanquam filium adoptivum, ut ipse deinceps illi adesset, serviret, provi-

deret, et omne obsequium et solatium praestaret. In Joanne vero eidem etiam reliquos Apostolos, imo fideles omnes, quasi filios matri suae assignavit; maxime qui virgines sunt et casti et Christum in cruce sua consectantur.

Deinde dicit discipulo: *Ecce mater tua*, l. c., q. d. hanc ama, observa, juva ut matrem, ac vicissim ad eam, tanquam ad matrem, in omni difficultate, tentatione, persecutione, afflictione recurre, illa te materno affectu suscipiet, fovebit, solabitur, proteget, opem a Filio poscet. Ita exponit S. Augustinus serm. de Passione: *Ecce mater tua, curam illius habe; eam tibi commendo: suscipe ut matrem.* Et *S. Cyrillus* in Joan. 19 (MG. 74, 633): *Tradidit autem eam charo suo discipulo, Joanni videlicet... et eam domum deducere jubet, eam matris loco habere, matrique vicissim mandat, ut charum discipulum filii loco habeat, charitate nimirum et dilectione naturalis filii officium implendo.* Amore videlicet atque charitate non minus illos conjungi voluit, quam si naturae maxima propinquitate conjuncti essent. Et simul omnibus nobis eam in Joanne matrem dedit q. d. *Ecce mater tua* et tuorum collegarum, Apostolorum caeterorumque fidelium, quorum tu hic personam repraesentas: quare fideles omnes ad eam tanquam ad matrem confugere oportet, magna fiducia et amore, ut docet S. Bernardus hom. 4, super *Missus* (cf. imprimis n. 8, ML. 183, 83). Ipsa ergo est vera fidelium Eva, id est mater viventium, ita ad illam recurrere omnes sapientes et sancti omni aevo.

Ut ergo et nos Societatis filii ad B. V. majore cum fiducia et charitate recurramus, ostendam illam non solum omnium fidelium, sed peculiariter Societatis Jesu matrem esse, ac proinde prae aliis fidelibus, peculiari titulo ad eam nos posse confugere.

I. B. V. est Mater Societatis; quia Mater est Jesu.

I. Titulus primus amoris et protectionis B. V. erga

homines Societatis et vicissim amoris et fiduciae hominum Societatis erga Beatissimam Virginem est: quia est *Mater Jesu*, quem tenerrime diligit; ac proinde etiam diligit ejus Societatem sub Filii sui vexillo militantem et pro gloria Filii sui et salute animarum strenue decertantem: quemadmodum mater potentis cujusdam regis, non solum regem, verum etiam cohortem praetoriam, quae regem ejusque honorem defendit, diligit ac tuetur; praesertim cum Virgo Beatissima incredibili zelo gloriae divinae ardeat, non potest non diligere peculiari amore exercitum Filii sui spiritu imbutum et pro gloria Dei et salute animarum depraeliantem. Quem enim in finem instituta est Societas Jesu, nisi ut sub augustissimis Jesu signis perpetuum mundo, carni et daemoni bellum indiceret, semper in acie staret, ad cominus et eminus omni telorum genere dimicandum, auspice et Imperatore Jesu pugnandum, vincendum et moriendum in cruce ut redemptionis Christi Domini fructus in quam plurimos derivetur; ut Evangelii lux dissitissimis nationibus inferatur, adversus offusas haereticorum tenebras defendatur et propaletur; ut quovis morbo ac languore aegris animis medicina salutaris adferatur; ut quibusvis ac quoque modo proximis adjuvandis in salute consequenda opera impendatur, nulli nec labori parcatur, nec quieti indulgeatur, nec commodo attendatur, nec damno commoveatur, quoad sibi praestitutum majoris gloriae Dei scopum in sua proximique salute consequatur. Hanc igitur praesidiarum Filii sui cohortem ita praeclare animatam non potest non sua materna cura et providentia complecti clementissima Mater, pro eo quo ardet ipsa Divinae gloriae animarumque salutis provehendae zelo. Cum videt Filii vexillum in ultimas usque delatum orientis et occidentis oras, non potest non praeliantes sub eo milites benignissimis oculis intueri, et juvare ac animare ut non pedem referant, sed strenue pugnent, et spolia

animarum opima referant. Idem et quoad athletas in septentrione contra haeresin dimicantes.

Amat ergo B. Mater Societatem Jesu et protegit instar matris: quidni igitur et nos eandem tanquam Matrem diligamus; ad eam, ut tenelli filii solent, in omnibus difficultatibus, periculis et tentationibus ad eam recurramus; non deseret mater filios.

II. Secundus titulus amoris et protectionis B. V. erga homines Societatis, et vicissim hominum Societatis erga B. Virginem est, quia ipsa est in spiritu *mater S. Ignatii*, Societatis Jesu fundatoris, ac proinde hoc titulo quoque est Mater Societatis. S. Ignatius hujus reipublicae conditor est post Christum; is enim illam ad monarchiae formam, sed aristocratia temperatam, certis legibus regendam instituit; is certis eam membris et gradibus professorum, coadjutorum et scholasticorum distinxit et ad posteritatem transmisit stabilitam. Hunc igitur parentem nostrum Beatissima Virgo in spiritu peperit; et quantus quantus fuit Ignatius, totus Deiparae Virginis opus fuit: nam

II. B. V. est Mater Societatis, quia est Mater S. Ignatii.

1. Ubi constanter animum induisset Ignatius novam vitam auspicari, quadam nocte, ut refert Petrus Ribadeneira L. 1, c. 2, precandi incensus studio de cubili prosiluit totoque animo ac corpore prostratus ante Sacratissimae Dei Matris effigiem ferventes et humili mixtas fiducia preces effudit, se totum Salvatori Filio per purissimam Matrem offerens, ac spondens, desertis vanitatis castris, in ejus unius sacra militia ac potestate futurum: cum ecce tibi tota domus derepente contremiscit, cubiculumque a fundamentis terrae motu concutitur, tum ut hoc indicio Deum Ignatii preces per Virginem Matrem sibi gratas accidisse testaretur, ut Apostolo Paulo et Silae orantibus in carcere evenit; tum ut a Deipara pulsus fugatusque cacodaemon intelligeretur nunquam rediturus, nec in Ignatium, in cujus anima jam sibi Deus sedem fixerat, juris quicquam usurpaturus.

2. Deinde altera quadam nocte vigilanti ipsa Dei Mater parvulum Jesum in ulnis gestans, eximia specie et fulgore nitens, sese illi visendam longo spatio praebuit ea divinae lucis copia eoque exultantis animi gaudio ac commutatione voluntatis, ut superioris vitae summum eum caperet taedium ac fastidium rerum omnium, quas in primis summisque bonis ducunt mortales, earum praesertim, quae cum obscoena voluptate conjunctae sunt, quarum rerum imagines omnes unus hic B. Matris aspectus ex animo detersit, summaque illum castimoniae perpetuae colendae cupiditate inflammavit, atque ex eo tempore ad extremum usque vitae diem tam excellenti ornatus fuit castitatis dono, ut omni plane carnis titillatione libidinisque sensu caruerit.

3. Confirmatis jam satis viribus, suscepto Hierosolymitanae profectionis consilio, ad celeberrimam aedem B. Virginis, quae est in monte serrato, sacrae militiae tirocinium posturus contendit: quo in itinere perpetuo se castitatis obstrinxit voto, nominatimque hoc votum purissimae Virgini Reginae Virginum, in qua spes omnes suas defixerat, sibi ipsi diffidens, spiritu fervens sanctissime nuncupavit. Ad montem serratum veniens, Deipara religiose salutata, novam auspicaturus vitam, ab exordio veterem retexere statuit, generalemque totius vitae confessionem peregit, equum coenobio donavit, pecuniam reliquam pauperibus distribuit, et quia legerat, equites nobiles olim, cum initiarentur profanae militiae, totam noctem in armis excubare solitos, ritu persimili et ipse spirituali militiae cupivit inaugurari; gladium et pugionem, quibus mundo meruerat, ante aram B. Virginis appendit; tum in pervigilio Annuntiationis, detracta sibi pretiosa veste ad indusium usque, mendico cuidam eandem liberaliter est elargitus; talarem ex tela canabina tunicam induit, pro militari baltheo fune se praecinxit; calceo ex parte contexto, sed alterum tantum pedem ex

veteri plaga imbecilliorem, contexit; baculum cum cucurbita peregrinantis insigne assumpsit. His armis novus miles instructus, pervigil ante aram Virginis modo stans, modo genibus nixus noctem illam insomnem egit, maximo animi sui sensu superioris vitae peccata deflens, et totum se Dei Matris praesidio patrocinioque committens, ut exauctoratus a veteri novum coram eo susciperet spiritualis militiae sacramentum.

Videtis, charissimi, quam benevolam se matrem exhibuerit B. Virgo Ignatio, et quam devotum filium erga eam Ignatius: ut taceam quod ipsa docuerit illum modum meditandi in libello exercitiorum expressum; item quod scribenti Constitutiones saepius se visendam dederit et constitutiones ab ipso scriptas approbans et confirmans, uti ipse libello manuscripto notavit. Ob quae et alia beneficia et favorem, an non jure Mater spiritualis Ignatii nuncupari potest? ac proinde per consequens etiam Mater universae Societatis, ad quam et nos merito cum fiducia et charitate recurramus.

III. Quia primaevae Societatis Mater est.

III. Tertius titulus amoris et protectionis B. V. erga religiosos Societatis nostrae, et vicissim horum erga illam fiduciae et charitatis est, quod ipsa Dei parens mater quoque sit primaevae Societatis, et primorum ac primariorum S. Ignatii sociorum. Nam

1. Petrus Faber, Franciscus Xaverius, et reliqui numero septem anno 1534 die assumptae in caelum Deiparae sacro, in aede ejusdem Virginis Mariae, quae mons Martyrum vulgo dicitur, et ab Urbe Lutetia non procul abest, jacta sunt Societatis Jesu fundamenta cum jejuniis et voluntariis poenis praemissis, operante Sacris Fabro, sub sacrosancta Eucharistiae mysteria omnes sese Deo O. M. votis rite nuncupatis consecrarunt: atque haec prima fuere Societatis rudimenta. Eadem vota duobus sequentibus annis, sed aucto numero tribus aliis, Claudio Jajo, Joanne Codurio, Paschasio Broeto, eadem ipsa die,

eadem caeremonia et loco confirmarunt; atque ita B. V. in patronam et matrem elegerunt, ut annotat Orlandinus; et post Societatem conditam eum diem quasi primum ejus natalem singulari religione ac memoria coluerunt.

2. Cum electus esset, licet reluctans, Ignatius Praepositus Generalis, visitarunt omnes praesentes 7 templa illustriora Romana; cumque perventum ad templum S. Pauli, in Sacello B. Virginis, coram effigie ejusdem, B. Pater Sacris operatus est, et ubi ad communionem ventum est, conversus ad socios, provolutus in genua, dextra sacram de patena praeferens hostiam, laeva descriptam professionis formulam, cum lacrymis, caeteris quoque collacrymantibus, solemnem edidit professionem, conceptis verbis *coram Sacratissima Virgine Maria;* tum reversus ad altare communicavit, et rursum se vertens, reliqui eandem professionem nuncuparunt: ut obscurum esse non possit prima illa professorum primordia ipsamque adeo nascentem Societatem Sanctissimae Virgini Matri acceptam esse referendam, adeoque ejusdem Parentem merito nuncupandam.

3. Addo primum templum quod domui professae obtigit esse illud, quod anno 1540 S. Maria de Strada B. Ignatius elegit, in quo hodiedum, a Cardinale Farnesio aucto, eadem Imago B. V. miraculis celebris a populo Romano colitur (1). Hic primae Societatis functiones, primae catecheses, conciones, confessionis et Eucharistiae frequentationes habitae, hic pietas prope extincta et Sacramentorum frequentia ope auspiciisque Virginis Matris resurrexit.

Vere igitur beatissima Virgo mater et patrona est primaevae Societatis; ad quam uti illa, sic et nobis in omnibus cum fiducia et charitate confugiendum.

---

(1) Est ipsa ecclesia *al Gesù*, in cujus sacello etiam nunc praedicta imago summo honore habetur.

IV. Quartus titulus amoris et protectionis B. V. erga religiosos Societatis, et vicissim eorum erga ipsam amoris et fiduciae est, quod beatissima Virgo sit cujusvis nostrum benignissima mater, quia in spiritu nos peperit. Nam

IV. B. V. est Mater Societatis, quia cujusque nostrum in spiritu Mater est.

1. Si S. Ignatium fundatorem nostrum ac parentem sanctissima Mater in spiritu peperit, et nos omnes qui in ejus pectore, velut in Abrahae lumbis posteritas omnis, continebamur, peperisse censenda est. Si Ignatius tantum opus, quale est Societas, ejus ope potissimum inchoavit et perfecit, atque adeo tota Societas a S. Matre in suo parente condita et praeformata est: idem nos singuli beneficium Virginis participamus.

2. Si quisque vocationis suae primordia altius animo repetierit et perpenderit, ea Virgini sanctae in acceptis referre oportebit. Scimus, quo pacto a B. V. ad Societatem vocatus sit S. Stanislaus Kostka, cui B. V. se spectandam dedit et parvulum Jesum in lectulo ejus collocavit, corporis sanitatem restituit et discedens diserte admonuit, ut Societatem Jesu quamprimum ingrederetur: quod et admirabili constantia perfecit. Scimus B. Aloysio, cum sumpta Eucharistia Deum per B. V. rogaret, ecquod vitae genus sequeretur, clarum distinctamque vocem allapsum, ut Societatem Jesu, si Deo et B. V. gratus esse vellet, ingrederetur, anno 1583. Idem pluribus aliis accidit. Nobis quoque, licet non externa voce, interna tamen inspiratione, a B. V. eadem gratia obtenta evenit, ut ingrederemur Societatem Jesu. Itaque nostra in spiritu mater est, cui vocationem nostram jure adscribimus.

3. Denique omnes, quotquot in Societate degimus, sub protectione speciali Divae Virginis securi latemus, ut aliquando vidit venerabilis P. Martinus Guttierez Hispanicus, scilicet Deiparam eximia specie micantem, veste in magnam latitudinem expansa, ac sub ea veste Societatem nostram universam contineri collectam, quam

illa materno complecteretur affectu, eoque quasi suae gratiae et charitatis tegumento confoveret. Quo ostento Mater clementem et amantem, de omnium nostrum salute sollicitam, maternam curam ac benevolentiam demonstravit, qualem Salvator Hierosolymis se exhibere voluit (Matth. 23, 37): *Quoties volui congregare filios tuos, quemodmodum gallina congregat pullos suos sub alas.*

Quae cum ita sint, dilectissimi, cum et B. Virgo nobis in Joanne a Christo data sit in Matrem: *Ecce Mater tua,* et illa quod Jesu Mater sit, Societatis quoque Jesu, ob zelum animarum et gloriae divinae, quem tam illa, quam haec profitetur, mater sit; cum etiam in sancto Ignatio et primaeva Societate et in nostra vocatione propria matrem nostram se ostenderit: quidni eam, ut filii matrem, tenerrimo amore complectimur? Quidni in omnibus necessitatibus nostris, maxima cum fiducia, tanquam filii ad matrem optimam confugimus?

Animet nos S. Bernardus serm. 4 de Assumpt. n. 8 (ML. 183, 428): *Silcat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Idem serm. 2 Pentec. n. 4 (ML. 183, 328): *Quae (Virgo Maria), mirabili proprietate, terrae medium appellatur. Ad illam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium saeculorum, respiciunt et qui in caelo habitant, et qui in inferno, et qui nos praecesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis... In te enim Angeli laetitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in aeternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.* Nos igitur quoque ad eam respiciamus et confugiamus, qui sub protectionis ejus pallio latemus, eamque diligamus, quia, ut ajebat S. Stanislaus

causam amoris rogatus, *Mater mea est*, et quidem mater benignissima, sollicitissima, omnium matrum charitatem et curam multis parasangis superans et excedens.

EXHORTATIO I

PRO FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. MARIAE.

Quod sit mare gratiarum.

THEMA : *Ave, gratia plena.*

O gloriosissima Virgo Deipara! quo te initio sermonis mei alio exornem elogio, quam quo te initio sermonis sui condecoravit Archangelus e regia caelesti ablegatus! scilicet: *Ave, gratia plena! Ave*, graece χαῖρε, gaude, vive, laetare : quia *gratia plena*, graece est κεχαριτωμένη, quod quidem Tigurina et Erasmus cum haereticis novantibus frigide vertunt *gratiosam*, Beza haereticus frivole exponit gratis dilectam; sed aliter sonat vox hebraea (quo idiomate verisimile est Angelum Virgini hebraeae fuisse locutum): *Nechena* enim vel *muchana* vertit noster interpres latinus, uti et arabicus aegyptius, aethiopicus, persicus, syrus, una cum Sanctis Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Bernardo, Beda et aliis *gratia plenam*, gratia repletam.

Plenus gratia fuit Christus (Joan. 1), plenus gratia fuit S. Stephanus (Act. 6), plena fuit gratia Beatissima Virgo, sed diversa plenitudine atque mensura : *Christus*, ut ait, S. Bonaventura 3 sent. d. 13 art. 1, qu. 3, concl., *plenus fuit plenitudine superabundantiae, quoniam de ejus plenitudine nos omnes accepimus; Virgo plena fuit plenitudine praerogativae; Stephanus ac reliqui sancti pleni fuere plenitudine sufficientiae*. S. Thomas 3 p. q. 7, a. 10, duplicem ait esse gratiae plenitudinem, alteram ex parte gratiae, alteram ex parte subjecti habentis gratiam. Ex

parte ipsius gratiae plenitudo est, quando quis pertingit ad summum gratiae et maximam excellentiam quae haberi potest, et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus. Et talis gratiae plenitudo propria est Christo. Ex parte vero subjecti est plenitudo, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem. B. Virgo non habuit primam plenitudinem, sed secundam, scilicet sufficientem ad statum ad quem fuit electa, ut scilicet esset Mater Dei. Similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, ut esset idoneus minister et testis Dei, ad quod erat electus. Haec D. Thomas. Quanto autem superat officium matris officium ministri, tanto superat plenitudo matris plenitudinem gratiae ministri: quae tanta est, ut merito mare gratiarum vocitetur, ut in hac exhortatione dilucidabimus.

I. B. V. gratia plena. Gratiis gratis datis donis Spiritus S. et virtutibus ac gratia sanctificante.

I. Tanta fuit gratiae plenitudo in B. Virgine, ut merito mare gratiarum nuncupetur, in quod gratiarum flumina ingressa sunt, juxta illud Eccles. 1: *Omnia flumina intrant in mare.* Unde S. Bonaventura in speculo Virginis (op. spurio) c. 3: *Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam: flumen enim gratiae Angelorum intrat in Mariam: et flumen gratiae Patriarcharum et Prophetarum intrat in Mariam: et flumen gratiae Apostolorum, et flumen gratiae Martyrum: et flumen gratiae Confessorum, et flumen gratiae Virginum.* O quam latum! o quam vastum mare gratiarum! quo, quiquid in aliis Sanctis dispersum fuit et dispertitum, simul fuit collectum.

1. Eluxerunt et influxerunt in hoc mare virgineum omnes gratiae gratis datae, quae conceduntur in bonum proximorum. De quibus loquitur Apostolus: Divisiones gratiarum sunt, quas Deus non omnibus omnes, nec omnes singulis, sed pro arbitrio suo in varios dispertit: alii datur sermo sapientiae, alii prophetia, alii genera linguarum, alii gratia sanitatum, alii interpretatio ser-

monum; at in Virginem Deiparam omnium divisionum rivos, omnium gratiarum torrentes confluxisse, praeter Athanasium, Doctorem Angelicum, Albertum Magnum et Antonium, Chrysostomus aurea hac comprobat sententia: *Bene*, inquit, *gratia plena: caeteris enim per partes, Mariae autem simul se tota infudit gratiae plenitudo*. Ac primo quidem habuit donum prophetiae: de quo S. Basilius scribens in Isaiam in caput 8 post initium: *Quod Maria prophetissa fuerit, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariae, quae prophetico afflata spiritu elocuta est: Magnificat anima mea Dominum: Fecit mihi magna qui potens est: Beatam me dicent omnes generationes*. Deinde non defuere illi aliae gratiae gratis datae, ut probat Toletus, hic n. 67 et Suarez.

2. Influxerunt in hoc mare septem Spiritus S. charismata, aliaeque virtutes tam theologicae, quam morales, ut unanimis Sanctorum Patrum consensus confirmat. Excelluit Abraham patriarcha fide, Moyses populi dux mansuetudine, Elias propheta zelo, Jobus patientia, Joseph castimonia, alii aliis virtutum ornamentis effulsere: at Maria omnibus omni virtutum genere eminet. Inter praestantes quoque legis veteris heroinas, Abigail prudentia, Judith fortitudine, Ruth honestate, Anna religione, Jahel sapientia, Esther proximi charitate enituit. At quotquot dotes in aliis sparsae, in una Virgine fuere collectae. Influxere in eam quoque variorum Sanctorum gratiae singulares: Spiritus prophetarum, charitas apostolorum, constantia martyrum, innocentia confessorum, castitas virginum, humilitas viduarum, foecunditas conjugatorum, gratia et sanctitas omnium Sanctorum. Imo ascendamus altius: refulsit in ea ardor Seraphinorum, scientia Cherubinorum, magnificentia Thronorum, auctoritas Dominationum, potentia Potestatum, excellentia Virtutum, sublimitas Principatuum, sanctitas Archangelorum, et puritas Angelorum. Ita scribit S. Ephrem in

orat. de laudibus Virg.: Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, sublimior caelicolis, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, et nulla comparatione caeteris omnibus superis exercitibus gloriosior; et S. Bernardus: Quod vel paucis mortalibus constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini fuisse negatum, quae a nullo illustrium Sanctorum in gratiae privilegiis excellitur.

3. Influxerunt in Virginem fluenta gratiae sanctificantis: at quanta copia impetuque, quis verbis expressit? S. Anselmus in lib. de excell. Virginis ait: Immensitatem gratiae et gloriae et felicitatis tuae considerare cupienti, o Virga, sensus deficit, lingua fatiscit; et S. Bonaventura in speculo Virginis c. 5: Gratia Mariae gratia verissima, gratia immensissima, gratia multiplicissima, gratia utilissima: immensa fuit gratia, qua Virgo fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui caelo major est, continere potuit. Tu immensissima Maria capacior es caelo, quia quem caeli capere non poterant, tuo gremio contulisti; tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.

Neque id mirum videri debet: quia *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (Psal. 86, 1). Unde infert doctissimus Suarez fundamenta sanctitatis et gratiae Beatissimae Virginis locata fuisse, ubi alii consummantur, et plenitudo gratiae, quae in aliis finis fuit et terminus, illi initium extitit et fundamentum. S. Vincentius, ecclesiastes Virginis celeberrimus, exponens illud psalmi (45, 5): *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei; sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, applicat B. Virgini: Fluminis impetus laetificat Civitatem Dei, quia totum flumen gratiarum divinarum super eam in sanctificatione fuit effusum. In sanctificatione aliorum Sanctorum una gratiae divinae

gutta aspergitur, in Virginem Mariam fluminis impetus alveo pleno effunditur. Vere igitur Virgo beata gratia sanctificante plena fuit, quia omnis gratiae fluenta animae sinu recepit.

Atque in hac gratia, velut luna plena, et instar rupis in mari inconcussa stetit, ac vitae totius decursu perseveravit: non illum mundi fascinatio, non carnis titillatio, non daemonis tentatio flectere, non honoris umbra, non voluptatis illecebra, non ulla peccati macula emollire aut e culmine gratiae deturbare valuerunt.

Neque solum in gratia constanter perstitit, verum etiam omnibus vitae horis et momentis eandem mirifice auxit. Praedictus eruditissimus Fransiscus Suarez 3 p., disp. 18, sect. 4, ostendit B. Virginem in primo vitae momento gratiae plenitudine superasse Sanctorum et Angelorum merita. Secundo instanti, ex tota habitus latitudine operando, gratiae meritum duplicasse, instanti tertio quadruplicasse, quarto instanti octuplicasse, atque ita porro per singula amoris operationis instantia gratiam acceptam assidue duplicando usque ad 72^{m} vel 63^{m} aetatis annum, quo mortem oppetiit. Quos cumulos, quos montes, quos fluvios gratiarum collegerit? Sane, ut infert Suarez, omnis omnino homines et Angelos simul sumptos superavit.

O vere vastum! o profundum! o altum! o prope immensum pelagus! et ut cum S. Damasceno loquar oratione 2: *O abyssum gratiarum!* Cogor hic cum S. Anselmo l. c. repetere: Immensitatem gratiae tuae, o Virgo, considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit.

II. Exemplo B. V. repetamur gratia, perseveremus in gratia, crescamus in gratia.

II. Vidimus, charissimi, plenitudinem immensam gratiae Beatissimae Virginis et Matris nostrae dilectissimae; nunc tantisper mentis oculos a Virgine ad nosmetipsos reflectamus. Beatissima mater ac patrona nostra est gratia plena, et quid nos ejus filii? Illa est plena, nos

inanes coram oculis ejus comparebimus? absit: hoc nostrum deinceps in omni vita erit studium praecipuum, hic labor, haec industria, ut sane Primae Virginis exemplo non solum in gratia initio vitae religiosae acquisita perseveremus, sed etiam in dies per continua virtutum variarum exercitia augere studeamus, quo et in vita et in mortis hora et in divini judicii bilance positi gratia pleni pro capacitate nostra reperiamur. Neque desunt nobis in Societate occasiones, quibus in dies et in horas et in momenta, si volumus, nova licet gratiae capere incrementa; quod ut alacrius praestemus, juvat divinae gratiae valorem, dignitatem, praestantiam, ac nobilitatem intime perspicere: hoc enim mirifice tepescentes excitat.

Agedum igitur, videamus. Quid est gratia? Theologis profundissimis donum est supernaturale, quo formaliter sancti, Deo grati, et filii Dei adoptivi constituimur. Quid est gratia? Divinorum voluminum interpretibus est thesaurus absconditus in agro cordis, omnibus Mydae Croesique thesauris infinite praestantior. Est margarita pretiosa, omnibus Cleopatrae et Indiae gemmis unionibusque longe excellentior; pro qua reperienda et augenda merito quis expendat omnia, ut eam reperiat augeatque atque ita oculis Summi Numinis placeat magis. Est vestitus sponsae deauratus, quo si amiciatur anima, cor Sponsi caelestis mirifice recreat totamque Superum curiam in admirationem et amorem pellicit. Est arrha indubitata nostrae salutis, est futurae beatitudinis, est hypotheca securissima aeternae felicitatis, quam si in hora mortis repererit in anima caelestis Sponsus, eandem in regiam suam, in thalamum suum, velut amicam, filiam, sponsam introducet, honorum aeternorum titulis, bonorum maximorum thesauris, voluptatum immarcescibilium rosis coronandam.

Quod si saeculares tantam adhibent diligentiam labo-

remque tantum, ut gemnas, aurum, thesauros, gratiamque regiam erga se augeant : quanto studio filiis lucis laborandum erit, ut gratiae thesauros in dies magis magisque adaugeamus, cum vel unicus gratiae gradus, quem opere aliquo pio aut virtutis actu promeremur, omnes totius mundi opes gazasque quam longissime pretio et dignitate superet, cum sit semen perennis gloriae, quae gratiae respondet ?

Quae cum ita sint, charissimi, gratiosissimam Virginem, Dominam nostram augustissimam et Matrem dilectissimam, gratia plenam esse gaudeamus ; ex animo ei gratulemur, omnibus angelicis beatisque spiritibus gratia superiorem veneremur. Deinde ejus exemplo gratia quoque repleri conemur, pretiosam gratiae margaritam constanter tueri et conservare allaboremus. Si pro ea nobis auferenda aut minuenda mundus obtulerit fumum honoris, aut Plutus pusillum auri argentive rutilantis, aut Cupido stillam praeposuerit mellis aut venereae voluptatis : dicamus generose : Facessite stolidi nundinatores, nos tanti poenitere non eminus ; sumus gratiosi Mariae filii, *Jesu* socii, erimusque dum spiritus hos reget artus, nec vel momento gratiae exortes *Jesu et Mariae* hostes nos esse patiemur.

Denique exemplo Beatae Virginis et Filii ejus ut aetate ita gratia proficiamus, eandem in dies amplificare nitamur, quot preces fundimus, quot in caelum suspiria mittimus, quot vicibus exhomologeseos aut synaxeos Sacramenta frequentamus, quoties sacerdoti ad aram facienti Missae sacrificio adstamus, tot gratiae et gloriae gradus acquirimus ; imo quot pia intentione verba proloquimur, quot apices pingimus, quot pedum gressus, quot manuum motus, quot oculorum ictus, quot arteriae pulsus numeramus, tot hic gratiae, ibi gloriae gradus obtinebimus. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, augeamus gratiam, duplicemus gloriam, quo tota aeterni-

tate perfruamur : quidquid modo acquirimus, aeternum possidebimus ; quidquid modo negligimus, aeternum carebimus ; damnum hic pariter et lucrum aeternum est.

Cum vero nihil absque gratia divina valeamus : coram te, Maria mater gratiae, supplices prosternimur ; per te gratia plenam a Filio tuo, omnis gratiae auctore et fonte, veluti per canalem in nos gratiae fluenta deriventur, ut pro modulo nostro gratia repleti semper perseveremus in gratia, indies crescamus in gratia, donec tecum et cum Filio tuo gratiosissimo perennemus in gloria.

EXHORTATIO II

PRO FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. MARIAE.

Quomodo Dominus cum illa fuerit.

THEMA : *Dominus tecum* (Luc. 1, 28).

Quibuscumque laudum et encomiorum titulis Virginem Deiparam, gratiosissimam Patronam, Dominam ac Matrem nostram honoraverimus, eos omnes, si penitus inspexerimus, e praesentia speciali, assistentia et conjunctione Dei cum Virgine, velut e sole radios, e fonte rivulos promanare deprehendemus. Nuncupat Angelus Virginem gratia plenam ; pronuntiat Elisabetha benedictam inter mulieres ; ipsa se ab omnibus generationibus beatam praedicandam prophetat. Alia atque alia depromit Ecclesia e Scripturae divinae fontibus elogia : at omnia haec e praesentia, assistentia, et conjunctione Numinis peculiari, hoc biverbio : *Dominus tecum* significata pullulare, non est quod ambigamus. Unde enim tantam nactus benedictionem patriarcha Isaac, nisi e praesentia atque assistentia Dei Gen. 29 ei promissa : *Eroque tecum et benedicam tibi*. Unde tanta Jacobo patriarchae in laboribus prosperitas, successus in negotiis, robur in

adversis, nisi e promissa Gen. 26 divina praesentia et assistentia? *Ero custos tuus: quocunque perveneris.* Unde tot palmae et lauri, tot victoriae et triumphi a duce belli generosissimo Josue reportati, nisi ex peculiari praesentia et assistentia Domini per Moysen eidem promissa (Deut. 31, 8): *Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum?* Unde denique tot negotia prospera confecta, tot periculosa certamina, tot ardua praelia per Gedeonem, Davidem, Juditham, aliosque populi Israelitici duces feliciter gesta, nisi ex praesentia et assistentia Altissimi, ut paginae sacrae luculenter testantur? Ex hac igitur radice *Dominus tecum* omnis gratia, omnis felix expeditio, omnis victoria et adorea enascitur.

Consideramus proinde, in praesenti, qua ratione fuerit cum Virgine Beatissima Dominus, exponendo hoc Angelicum dictum: *Dominus tecum* 1) per modum adprecationis, 2) per modum affirmationis, 3) per modum individuae conjunctionis et societatis. Ipsamque Virginem demisse rogabimus, ut praesentiam assistentiamque divinam specialem et nobis exorare non dedignetur.

I. Angelica verba *Dominus tecum* per modum salutationis prolata esse docet Cajetanus. Apud Hebraeos enim olim haec usitata fuit salutandi, apprecandique formula: hac enim phrasi Gedeonem heroem strenuissimum salutavit Angelus (Jud. 6, 12): *Dominus tecum, virorum fortissime!* Hac ratione Booz messores suos in agro visitans, eisdem salutem impertiebatur, dicens: *Dominus vobiscum* (Ruth. 2, 4). Simili modo rex David Salomoni filio suo sub vitae finem benedicens precabatur: Nunc *ergo, fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare* (1 Par. 22, 11). Eadem loquendi formula etiam Saul ipsum Davidem contra Goliathum in certamen singulare dimittebat (1 Reg. 17, 37) *Vade, et Dominus tecum sit.*

I. Dominus tecum: vox salutationis.

O Virgo benedicta, liceat hodierna die nobis filiis tuis nostrum erga te affectum benevolentiamque contestari,

te amanter salutando benevoleque apprecando cum Angelo paranympho tuo: *Dominus tecum* Virginum sanctissima! *Dominus tecum* sit, o Maria! per operationem potentiae suae, tanquam Dominus cum ancilla sua (sic enim te hodie nominasti), sicut cum Moyse fuit, quo dicente: *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Aegypto?* respondit Dominus: *Ego ero tecum*, manu scilicet potenti ad populum e servitute Aegyptiaca vindicandum (Ex. 3, 11 sq.). Ne ergo dixeris, o Virgo: quae sum ego, aut *quomodo fiet istud? Ego tecum ero;* Dominus tecum erit: *Spiritus Sanctus superveniet in te;* ne timeas.

Deinde *Dominus tecum* sit per directionem, velut nauclerus cum nave; *Dominus tecum* sit per protectionem a periculis, veluti aquila cum nido suo, quem defixo oculo respicit; *Dominus tecum* sit per consolationem, velut nutrix cum infante; *Dominus tecum* sit per amicitiam et gratiam, ut amicus cum amico. Denique *Dominus tecum* per incarnationem tanquam filius cum matre.

Haec sunt, o Virgo sanctissima! vota et desideria nostra ex singulari in te amore profecta; haec sunt quae tibi apprecamur, matri filii, patronae clientes; haec, quoties verbis Angeli te salutamus, ex animo vovemus, id tantum optantes et humillime flagitantes, ut tu vicissim cuilibet nostrum benedicas. Apprecare igitur et precare efficaciter cuilibet e nobis dicendo: *Dominus tecum*, sit cum illo ut dominus cum servo, navarchus cum navigio, aquila cum pullo, frater cum fratre. Precare cuivis: *Dominus tecum* sit in studiis et negotiis, in laboribus et aerumnis, in dubiis et periculis, in prosperis et adversis; tecum sit in tentationibus, in afflictionibus, in persecutionibus, in somno et vigilia, in gaudio et tristitia, in solatio et angustia, in exilio et in patria, in vita et in morte, in judicio et in paradiso. Atque haec est prima vox apprecantis.

II. Dominus tecum: vox affirmationis.

II. Deinde *Dominus tecum,* ab Angelo prolatum, ex communiore Patrum sanctorum sententia est formula affirmationis, seu vox affirmantis. Veluti olim Deus affirmavit Gen. 26, 24: *Noli timere, quia ego tecum sum;* et Nathan propheta Davidi asseveravit 2 Reg. 7, 3: *Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est;* et Dominus ad Paulum: *Ego sum tecum* (Act. 18, 10); pari ratione hodierno festo Virginem alloquitur Angelus: *Dominus tecum,* pauca verba, sed quae multa continent mysteria, beneficia plurima complectuntur; nam o Virgo

1) *Dominus tecum* est, velut sol in caelo, ut radiis divinitatis suae te illuminet; velut sponsus in thalamo, ut arctissimo amoris vinculo se tecum uniat; velut Numen in templo, ut omni benedictione caelesti te cumulet. 2) *Dominus tecum* est in corde, vel ut Augustinus loquitur, in mente, unde *gratia plena* (Lc. 1, 28); tecum est in ore, unde *eloquium tuum dulce* (Cant. 4, 3); tecum est in operatione, unde manus tuae distillaverunt myrrham (Cant. 5, 5). *Dominus tecum,* id est SS. Trinitas tecum est: Pater tecum est, quia te elegit ut esses *pulchra ut luna, electa ut sol* (Cant. 6, 9); Filius tecum, quia se tibi desponsavit (cf. Os. 2, 19), et: *qui habet sponsam, sponsus est* (Joan. 3, 29); Spiritus Sanctus tecum, quia te consecravit, unde *benedicta:* Luc. 1, 28. 35, unde sacrarium Spiritus Sancti, ut canit Ecclesia. 4) *Dominus tecum,* i. e. tota SS. Trinitas, quia tecum potentia Patris te foecundans, ut, eundem gignens Filium, cum ipso dicere valeas: *Ego hodie genui te;* tecum sapientia Filii ad dignitatem Matris Dei te praeparans atque erudiens; tecum Spiritus Sanctus puritatem concipientis illibatam conservans. 5) *Dominus tecum,* quasi Pater cum Filia, quam vigilanter custodit; quasi Rex cum Regina, quam sublimi honore excolit; quasi Sol cum Luna, quam splendore virtutum illustrat, quam ab omni

peccato originali et actuali praeservat, quam ab omni formite et concupiscentia liberat. 6) Denique *Dominus tecum*, ut exponit Doctor Angelicus 3 p., q. 30, a 4, cum S. Augustino, Hieronymo, Petro Damiano et aliis: *Dominus tecum*, excellentissimo modo, quomodo cum nullo mortalium fuit, scilicet per conceptionem et incarnationem Verbi, nondum peractam, sed mox peragendam. Augustinus serm. 2, de Annunt: *Tecum*, inquit, *Dominus in corde; tecum in ventre; tecum in utero; tecum in auxilio.*

Ave igitur, gaude, plaude, laetare o Maria! Nos de hac Dei praesentia et assistentia, et vel maxime de dignitate materna ex animo tibi gratulamur. Auresque arrigimus, dum hoc a te documentum accipimus et cuilibet nostrum dicentem audimus: Fili mi, si peccati letalis expers es, ut omnem religiosum decet; si gratia Dei sis praeditus, cujus signa adeo luculenta in anima tua reperis: et *Dominus tecum* est, in anima et corpore, in memoria, intellectu et voluntate, in corde, ore et opere; tecum est velut sol in caelo, ut tenebras tuas excutiat, velut sponsus in thalamo, ut per charitatem te amplectatur, velut Numen in templo, ut te sanctificet (*Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* 1 Cor. 3, 17); tecum est potentia Patris ut te protegat, sapientia Filii ut te instruat, bonitas Spiritus Sancti ut suis charismatis te locupletet. *Dominus tecum* est, velut Rex in throno: Si quidem anima justi thronus est Sapientiae, *in quam se transfert.* Sap. 7, 27.

Gaude igitur et plaude, anima religiosa, quia Deus in te velut in solio suo residet. 1. In hoc animae tuae throno sedet Deus, dans tibi quolibet momento facilem accessum ad proponenda ac petenda quaecunque cupis; quod nullus regum concedit vel familiarissimo. 2. Sedet in hoc throno animae tuae Dominus sine intermissione cogitans de omni bono tuo, cogitans *cogitationes pacis*,

et non afflictionis (Jerem. 29, 11). 3. Sedet in throno dans decreta beatis spiritibus, ut te custodiant in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, et ut hostes stygios te potentiores arceant. 4. Sedet in throno animae tuae, tanquam caput in membra, tanquam vitis in palmites jugiter influens, ut fructus bonorum operum copiose producas. 5. Sedet in throno animae tuae, eandem virtutum cimeliis exornans, meritorum praemia promittens, consolationibus caelestibus te amplexans, in omnibus te juvans, in omnibus actionibus internis et externis tibi serviens magis quam ullum mancipium Domino suo deserviat. 6. Denique Dominus tecum est, residens in throno animae tuae, ibidemque, ut paucis multa complectar, cum S. Laurentio Justiniano: *Terret ut Dominus, protegit ut custos, hortatur ut Pater, docet ut Magister; cohabitat ut Frater, nutrit ut Mater, blanditur ut Amicus, amplexatur ut Sponsus, illustrat ut Veritas, praevenit ut Bonitas, se manifestat ut lux, loquitur ut Verbum, dulcorat ut Sapientia, salutemque praestat ut Vita.*

III. Dominus tecum: vox conjunctionis.

III. Tertio haud incongrue *Dominus tecum* exponemus per modum conjunctionis et individuae familiaritatis et societatis: in omnibus enim prope mysteriis Jesus cum Maria reperitur. 1. *Dominus tecum,* o Virgo, cum invenitur a pastoribus, cum adoratur a magis, cum fugit in Aegyptum: *Ecce Dominus ascendet,* inquit propheta Isaias c. 19, 1, *super nubem levem, et ingredietur Aegyptum.* Tu, Virgo, nubes levis es, aut brachia tua, inter quae in Aegyptum defertur, et per quae ex Aegypto in Judaeam reducitur. 2. *Dominus tecum,* o Domina, cum in templo praesentatur et a Simeone et Anna benedicitur; cum in templum duodennis progreditur; et licet brevi temporis intercapedine te reliquerit, ut amorem tuum probaret, tecum tamen erat, in tuo recumbens affectu et desiderio ardentissimo. 3. *Dominus tecum,*

o Mater, dum primum patrans prodigium in Cana aquam convertit in vinum, cum turbis Evangelium praedicat, cum arborem crucis conscendit, cum redivivus a morte resurgit, tibique desolatae dicere poterat: *Exurrexi et adhuc tecum sum.* Imo adhuc tecum est et erit per specialem gloriam tota aeternitate.

Quicunque igitur ex vobis, charissimi, vult esse cum Jesu, sit et ipse cum Maria, quia nec Jesus a Maria, nec Maria ab Jesu separatur. Concludam ergo cum religiosissimo Thoma Kempensi, sermone ad novit.: *Bonum est cum Maria Jesum adorare jacentem in praesepio; cum Maria Jesum in ulnis portare; cum Maria Jesum quaerere; cum Maria et Jesu in Nazareth habitare; cum Maria Jesum plorare; cum Maria Jesum sepelire; cum Maria et Jesu resurgere; cum Maria et Jesu caelos ascendere; cum Maria et Jesu vivere et mori desiderare.*

Ecce, charissimi, triplicem sensum verborum Angelicorum *Dominus tecum.* 1. Est vox salutationis et apprecationis; apprecemur hoc, ut dictum est, Virgini in dies, dum eam salutamus, ut et ipsa precetur nobis *Dominus tecum* in precibus, in studiis, in necessitatibus et omnibus actionibus: haec enim apprecatio non erit vacua, nec fructu carebit. 2. Est vox affirmationis: affirmemus, credamus et gratulemur, Dominum cum Virgine esse, praesertim per Conceptionem et Incarnationem, qua Dei Mater, et hominum Angelorumque Regina constituitur; et votum ipsius audiamus optantis, ut Dominus quoque nobiscum sit, per gratiam, assistentiam, et auxilium, et velut in throno in nobis resideat, nos exaudiens, custodiens, influens, consolans, docens, illuminans, blandiens, nutriens, amplexans et salvans. 3. Est vox conjunctionis; quia nec Jesus sine Maria, nec Maria sine Jesu reperitur: arcta est familiaritas, individua conjunctio et unio dilectionis. Simus ergo et nos conjuncti cum Jesu et Maria; et Jesus et Maria sint nobiscum:

Felix anima, inquit Thomas de Kempis l. c., *quae habet Jesum et Mariam familiares amicos in hac vita, sodales in mensa, comites in via, provisores in necessitate, consolatores in tribulatione, adjutores in periculis, consultores in dubiis, susceptores in extremis. Igitur age ut semper Jesus sit tecum sicut cum Maria; et hoc habe pro solatio, in hujus mundi exilio, Jesum et Mariam habere in cordis hospitio.*

EXHORTATIO I

PRO FESTO B. M. V. ASSUMPTAE.

Ostendit B. Virginem optimam partem elegisse, eamque eligendam esse a nobis.

THEMA : *Maria optimam partem elegit* (Luc. 10, 42).

Magnus propheta Isaias c. 7, 14 sq. claris disertisque verbis de Christo Salvatore nostro ejusque Matre benedicta vaticinatur : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium ; et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* In hac promissione prophetica spondet propheta (1) Filium Virginis inter alias operationes hanc quoque habiturum, ut ex omnibus eligat bonum sive optimum, deterius vero rejiciat. Pro quibus autem eliget optimum ? Utique non solum pro se ac nobis, verum etiam pro dilectissima Matre sua. Hinc non solum comedit

(1) Verba tamen in se sumpta tantum significant aetatem qua solent pueri incipere ratione uti seu discernere inter bonum et malum. Qua facultate anima Christi re ipsa a primo momento Incarnationis praedita erat, eaque in omnibus ita usa est, ut eligeret semper non solum bona, sed etiam meliora seu quae magis placebant Patri.

butyrum, quod est optimum lactis, et mel, quod est optimum floris; sed pro illa haud dubie optimum, quod in caelo terraque reperitur, eliget; optima dona ac gratias, quas in Angelis et hominibus reperit, illi impertiet.

Hujus rei figuram praeclaram suggerit 1 Reg. 8, 9 sqq., ubi Deus per Samuelem jus regis populo proponit, et ait: Hoc erit jus regis: Optima quaeque tollet sibi. Quod autem Deus regibus Israel concessit, illud utique Matri suae caeli terraeque Reginae non denegarit: Hoc erit jus caeli terraeque Reginae: *Optima quaeque,* quae in caelo ac terra reperiuntur, *tollet sibi;* ex omnibus donis, gratiis et favoribus, Mariae debentur optima. Hac de causa verba illa a Christo de Maria Magdalena dicta, Ecclesia B. Virgini applicat: *Maria optimam partem elegit.*

Ostendam itaque in dictione praesente, qua ratione B. Virgo optimam partem elegerit: et quomodo nos ejus imitatione et exemplo optimam partem eligere oporteat.

I. Virginitas res duas, sive duas partes complectitur: una est puritas, altera sterilitas seu infoecunditas. Nam ea ex una parte est pura, casta, modesta et immaculata; ex altera vero parte est sterilis, infoecunda et sine prole. Optima ex his duabus pars est puritas, ac propter hanc altera toleranda est. At *Mariam optimam partem elegit:* Virginitatem puram illaesamque servavit, sed simul foecunditatem habuit, infoecunditatem rejecit; verum id ex se non habuit, sed tanquam donum prorsus singulare a Divina Majestate ex ejusdem gazophylacio accepit. Ut Isaias diu ante praedixit: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium,* c. 7, 14. Religiosus Societatis in sensu morali imitetur B. V.; habeat virginitatem seu castitatem et simul foecunditatem, ut multos Christo et in Christo pariat filios; quemadmodum de se ajebat S. Paulus: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui* (1 Cor. 4,

15), et simul castitatem ut pupillam oculi puram et illaesam conservet.

II. Maternitas quoque duas habet partes, una est foecunditas, qua filios parit ; altera est incommoditas et tristitia, ut Christus Dominus ajebat : *Mulier cum parit, tristitiam habet* (Joan. 16, 21). *Maria obtimam partem elegit :* B. Virgo concepit quidem et peperit Filium, verum incommoditatem, tristitiam et dolorem aliis mulieribus reliquit. *Unum est,* ait *S. Bernardus* serm. 4, de Assumptione, *in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem : gaudia matris habens cum virginitatis honore..... Mariae privilegium est, non dabitur alteri,... singulare est, sed continuo etiam indicibile invenitur* (ML. 183, 428).

Religiosus Societatis in sensu morali hoc privilegium procurare nitatur : ut et mater sit, multos Christo gignens filios, sed sine tristitia et dolore : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (2 Cor. 9, 7). Sive concionando pariat filios Christo, sive catechizando, sive docendo in scholis, sive exhomologeses excipiendo in templis : sine tristitia, sine dolore, imo cum gaudio omnia faciat, et B. V. imitabitur.

III. Vita activa geminas habet partes, a qua Martha in Evangelio hodierno occupata fuisse legitur : una est occupatio, altera sollicitudo. Illa enim Dei et proximi amore strenue est occupata et laboriosa ; sed simul multis est molestiis, curis et distractionibus implicata : *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima* (Luc. 10, 4), ait Christus. Martha, placet mihi quidem occupatio et labor tuus, quem in coquendo, me meosque discipulos tractando exhibes ; at displicet nimia sollicitudo et turbatio. At *Maria* B. V. *optimam partem elegit.* Illa quidem Christo ministravit fideliter, sed nunquam sollicitudinibus et turbationibus locum dedit, semper Deo interius occupata et in eo defixa.

Religiosus Societatis imitetur Beatam Virginem, dedat

se vitae activae, sed sollicitudinem proscribat ; studeat, legat, rudes doctrina imbuat, missiones obeat, pro concione dicat, aegros et incarceratos invisat, sed perturbationes proscribat, Deo per meditationes, orationes et suspiria amorosa intime conjunctus.

IV. Vita contemplativa duas habet partes, negotium et occupationem cum Deo sed otium cum proximo. *B. V. Maria optimam partem elegit :* Semper enim fuit occupata cum Deo contemplationi Deitatis intenta, et simul Humanitati Christi serviendo, alendo, sustentando, vestiendo, occupata.

Religiosus Societatis rursum etiam in hoc B. Virginem imitetur, sit conjunctus cum Deo, et simul invigilet proximo : habeat contemplationes et meditationes, sed in speculatione divinae Majestatis non sistat, sed ad proximum quoque perficiendum salvandumque orationem dirigat. Ut enim D. Thomas docet : Perfectius adeoque Deo gratius est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari.

V. Passio, sive pati duas partes continet, dolorem et perturbationem. Patet id in nobis ordinarie, si adversa patiamur, nos ipsos regere nescimus, dejicimur, turbamur, querimur, lamentamur, et quandoque adversitatis auctoribus irascimur et imprecamur. *B. V. Maria optimam partem elegit :* scilicet adversitates, dolores, contemptus, ut praedixit ei S. Simeon : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (L. 2, 35) ; sed tanta resignatione et patientia de manu Domini acceptavit, ut nec minimam perturbationem senserit, nec minimam querelam protulerit, sed semper dixerit : *Fiat voluntas tua, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Religiosus Societatis imitetur Beatam Virginem, eligat pati pro et cum Christo, sed sine murmure, sine querela, sine vindicta, exemplo etiam Apostoli qui dicebat (2 Cor. 4, 8-9) : *In omnibus tribulationem patiamur, sed non*

angustiamur (non coarctamur, non suffocamur, ut vertit Syrus), *aporiamur, sed non destituimur* (aporiamur, id est ut explicat S. Ambrosius, scil. Ambrosiaster ML. 17, 291 : *in inopia positis adfuit pastor Deus) ; persecutionem patimur, sed non derelinquimur ; dejicimur, sed non perimus.* Vasa fictilia ex alta turri dejici et non frangi aut perire mirum est : q. d. licet simus vasa fictilia et ex altissimis persecutionum turribus dejiciamur, non tamen frangimur nec perimus. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* (Ib. v. 10).

VI. Gaudere et honorari, seu prosperitas, gaudium, dignitas et honestas, duas partes numerat, scil. ipsam prosperitatem, laetitiam et honorem et superbiam ac elationem animi. Nos homines in prosperitate et honore facile extollimur, evanescimus, alios contemnimus nosque illis meliores esse censemus ; *B. V. Maria optimam partem elegit.* Deus illam magnis donis et favoribus cumulavit, in Conceptione et partu Filii, in Magorum adoratione, in electione ad Maternitatem, in salutione Archangeli Gabrielis ; at illa constanter in humilitate sua stetit. Salutat illam Angelus gratia plenam, at illa se ancillam nuncupat : *Ecce ancilla Domini ; fecit mihi magna qui potens est ; fecit potentiam in brachio suo ;* sed ego minima ancilla Domini sum et maneo.

Religiosus Societatis B. V. imitetur, et optimam partem eligat : Si prosperum res ejus successum nanciscantur, deprimat se, Deoque gloriam tribuat : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Si plausum et honorem in studiis, disputationibus, concionibus, actionibus referat, humiliet se dicatque cum Apostolo : Soli Deo honor et gloria.

VII. In morte duas reperimus partes : una est unionis inter corpus et animam dissolutio, altera quae sequitur est corporis corruptio et incineratio, et consumptio a

vermibus. B. V. *Maria optimam partem elegit,* alteram rejecit. Mortem et unionis solutionem libenter de manu Dei acceptavit, eo quod summum Dei mandatum in omnes mortales edictum fuerat; teste Apostolo: *Statutum est* omnibus *hominibus semel mori.* Et quia hoc Dei mandatum Christus ejus Filius non detractavit, sic nec ipsa Virgo ab eo eximi voluit; estque mors bona, finis miseriae, initium felicitatis aeternae. Itaque Maria hanc optimam partem elegit; sed alteram, scilicet corruptionem et incinerationem carnis feliciter evasit. Sicut etiam de Christo Domino vaticinatus fuit propheta Ps. 15, 10: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem,* quia is expers fuit omnis peccati, et Sanctus, imo Sanctus Sanctorum. Ita quoque B. Virgo corruptionis et incinerationis et putrefactionis expers fuit, quia a peccato tam originali, quam actuali immunis extitit; corruptio autem est poena peccati, post Adae peccatum mox inflicta: *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (Gen. 3, 19). Ubi ergo cessat culpa, cessat poena. Ac proinde sicut arca, B. V. figura, ex lignis imputribilibus compacta fuit, ita pariter ipsa B. Virgo incorrupta permansit.

Religiosus Societatis hoc B. Virginis privilegium obtinere nequit: pulvis est, et in pulverem revertetur; sed hoc praestet, ut corpus in hac mortali vita a vitiis et peccatis praesertim foedis incorruptum servet, eligatque meliorem partem, non nimium illi indulgendo, sed fraenando, castigando, mortificando, ut post incinerationem et corruptionem temporalem ad incorruptionem resurgat aeternam in die judicii.

VIII. Gloria coelestis duabus constat partibus: una est gloria animae, altera gloria corporis. Plerique mortales, qui salvi fiunt, corpore in terra relicto, quoad animam solam beatitudine donantur, donec in novissimo die corpus resuscitetur et pariter gloria aeterna donetur. At B. Virgo *Maria optimam partem elegit,* quando in

coelum assumpta est non solum quoad animam, verum etiam quoad corpus, ut ultra mille et sexcentos annos tenuit et tenet S. Mater Ecclesia. Accipere sic liceat verba vatis regii Psal. 131, 8 dum ait: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae,* tu, et arca sancta, in qua novem mensibus requievisti et Ps. 44, 10: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quem locum expositum habemus inter opera *S. Athanasii* (op. spur. Serm. in annunt. Deiparae n. 14, MG. 28, 938): *Ut enim femina, Regina est atque Domina et Mater Dei; jamque ut regina adstans a dextris omnium Regis Filii sui, in vestitu deaurato incorruptionis et immortalitatis, circumamicta, varietate circumdata, sacris verbis celebratur; non quidem secundum simplicitatem spiritualem et quasi sine carne et corpore adstat, sed circumamicta, secundum suam sanctissimam carnem, incorruptione et immortalitate, et circumdata varietate, secundum ossa ejus sanctissima quae carnem ipsius fulciunt.* Consentit Athanasio S. Bernardus ita dictum textum explicans: *Astitit Regina in corpore glorioso, ut cujus splendore, post Filium, tota lucescit civitas Beatorum.* Adstipulatur *S. Augustinus* [i. e. incertus auctor in lib. de Assumptione B. M. V. c. 7; cf. ML. 40, 1146], secundum quem: Laetatur Maria corpore et anima glorificata per proprium Filium, quem genuit, quem fovit, quem aluit Dei Genitrix, Dei Ministratrix, Deique Servitrix, juxta illud Joan. 12, 26: « Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit: aequa quoniam aliter sentire non audeo, aliter dicere non praesumo. — Cum enim illa peculiari ratione Christo prae omnibus Sanctis serviverit, decuit etiam peculiari ratione esse cum Christo Filio suo in gloria cum corpore et anima.

Religiosus Societatis hanc gratiam, hoc Virginis privilegium habere nequit: sed hoc praestare conetur, ut

exemplo B. Virginis Christo fideliter ministret, serviat, gloriam ejus quaerat pro viribus et augeat, ita post aliquod tempus corpore et anima erit cum Christo et B. V. in gloria.

Quapropter finio, et cum Moyse dico (Deut. 30, 19): *Testes invoco hodie caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas.* 1. In virginitate sunt duo, puritas et sterilitas; elige exemplo B. V. optimam partem puritatem et spiritualem fertilitatem. 2. Maternitas habet duo, foecunditatem et dolorem; elige optimam partem, foecunditatem et gaudium spirituale. 3. Vita activa continet duo, occupationem et sollicitudinem; elige optimam partem, occupationem et laborem, sed sine sollicitudine. 4. Vita contemplativa complectitur duo, occupationem cum Deo et otium cum proximo; elige optimam partem, et meditationes tuas ad proximum quoque juvandum dirige. 5. Passio numerat duo, dolorem et perturbationem; elige tu optimam partem, pati pro Christo, sed absque animi perturbatione. 6. Prosperitas habet duo, exultationem et exaltationem animi; elige optimam partem, et in omni prosperitate et honore te humilem exhibe. 7. In morte reperiuntur duo, solutio unionis et corruptio; elige optimam partem, incorruptionem peccati, ut tota aeternitate maneas incorruptum. 8. In gloria inveniuntur duo, animae et corporis beatitudo; ita fideliter Deo ministres, ut post tempus aliquod anima et corpus tuum mereatur esse cum Christo in gloria. Elige igitur sed secundum regulas rectae electionis, a S. P. N. Ignatio propositas, hoc elige, quod in hora mortis et in die judicii te elegisse optares: ita non aberrabis, sed ita eliges, ut aliquando in caelesti gloria, cum Christo Domino, cum Beatissima Virgine, omnibusque Sanctis optima parte fruaris, quae non auferatur a te in aeternum. Amen.

EXHORTATIO II

PRO FESTO ASSUMPTIONIS B. M. V.

Ostendit Christum, sicut B. Virginem, ita animam religiosam vocare ad perfectionem et coronam.

THEMA: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis* (Cant. 4, 8).

Praedictus textus, uti et totum Canticum Canticorum, ex mente interpretum, triplicem continet sensum: primus est adaequatus ac totalis de Christo et Ecclesia, secundus principalis de Christo et Beatissima Virgine, tertius partialis de Christo et anima sancta. Alloquens igitur Christus sponsam suam: *Veni de Libano, sponsa mea,* 1. In primo sensu vocat ecclesiam gentium ad Christianismum, ut veniat de monte Libano, Amana, Sanir, et Hermon, qui siti erant in vicinia Judaeae in Phoenicia, ubi habitabant infideles et gentiles, ut veniant ad veram Ecclesiam in Jerusalem, ad montem Sion, ad montem Oliveti et Calvariae, ubi Christus captus et crucifixus est, quo in eum credant atque ita Ecclesiae Christianorum aggregentur. 2. In sensu secundo vocat B. Virginem ad summam perfectionem ac deinde ad caelum, ubi tanquam caeli terraeque Regina sit coronanda. 3. In tertio sensu Christus vocat animam a statu peccati ad poenitentiam et gratiam; a concupiscentia carnis, quam significat *Amana,* ad castitatem; a concupiscentia oculorum et avaritia, quam significat *Senir,* ad paupertatem; a superbia vitae, quam significat *Hermon,* ad humilem obedientiam.

Nos, relicto sensu primo, secundum et tertium exponemus ac declarabimus; sicut B. V. vocata ad perfectionem et coronam, ita quemlibet tironem a Christo ad perfectionem et coronam evocari.

I. *Veni de Libano, sponsa mea.* Christus Dominus Sponsus dilectissimus ac speciosissimus Beatissimam Virginem Matrem suam, tanquam Sponsam singulariter ab aeterno dilectam, ab initio usque ad finem vitae, per singulares illustrationes, per singulares inspirationes, per singulares excitationes et motus voluntatis, ac denique per singularissimas extraordinariasque gratias ad majorem et majorem perfectionem vocavit. *Veni de Libano, sponsa mea.* Ubi ter dicit *Veni*, excitans eam ad apicem perfectionis triplicis viae.

1. Vocavit eam ad summam animae puritatem ; atque illa sic vocationi et gratiae Dei est cooperata, ut tota vita nec mortale, nec veniale, nec originale peccatum habuerit ; ut ipse de ea testatur Cant. 4, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

2. Vocavit eam ad apicem omnium virtutum, in quibus illa singulis diebus horis et momentis ita profecit, gratiae Dei cooperando, ut plena fuerit altissimis virtutibus humilitatis, patientiae, obedientiae, paupertatis, castitatis, charitatis. Eaque de causa a Sponso vocatur *hortus conclusus*, omnium virtutum floribus exornatus. Cant. 4, 13 sq. vocatur *Paradisus malorum punicorum*, (ibidem) in quo *Cypri cum nardo ; nardus et crocus, fistula et cinnamomum,... myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis*, id est omnes virtutes perfectissimae atque excellentissimae, reperiuntur.

3. Vocavit eam ad summam perfectionem charitatis, quae apex est perfectionis. Hinc ipsa testatur : *Amore langueo*, id est aegra sum prae amore ; atque hoc amore cor Sponsi vulneravit et ad mutuum amorem quasi pellexit : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa* (Cant. 4, 9), *pulchra ut luna, electa ut sol.*

Atque hic est sensus principalis. Transeamus nunc ad partialem de Christo et anima sancta. Possent quidem haec etiam applicari in sensu totali toti Ecclesiae, quia et

ipsa vocatur a Sponso ; sed moralia melius percipiuntur in particulari. Ergo Sponsus est Christus, sponsa est mea, tua, et cujuscunque religiosi aut tironis anima. Hic Sponsus vocat te ad triplicem viam perfectionis, et quidem

1. Ad viam purgativam seu incipientium. *Veni de Libano* ad montem Sion, hoc est de infidelitate et idololatria ad Ecclesiam : Libanum graece et hebraice significat thus, quod idolis offertur ; *ad montem myrrhae et thuris,* id est, mortificationis et orationis. Deinde vocavit te de mundo ad religionem ; de capite Amana, Sanir et Hermon, quae sunt cubilia draconum, leonum et pardorum, id est, vitiorum, ad paradisum religiosi Ordinis ; de montibus ad scholam perfectionis, de montibus superbiae, avaritiae, luxuriae ad vallem paupertatis, castitatis et obedientiae. Vocavit te Sponsus, et tu secutus es ; domum probationis ingressus es, in primis exercitiis horrorem peccatorum concepisti et eadem cum dolore magno es detestatus et exhomologesi de tota vita expiatus : omnia haec sunt Dei vocantis et efficaciter ducentis beneficia. Nunc ulterius te vocat ad ulterius viam purgativam decurrendam, ut jam a gravioribus delictis liber, etiam veniales naevos deliberatos cavere studeas, vitia mortifices, passiones domes, mores mundanos exuas, ac religiosos induas, atque ita anima tua Christi Sponsa tota pulchra evadat.

2. Vocat te tanquam sponsam dilectam ad alteram perfectionis viam, quam illuminativam dicimus, atque ad progrediendum in ea inspirationibus, illustrationibus, sacris lectionibus, exhortationibus, colloquiis piis et exemplis te excitat. Jam jubet te *ascensiones in corde tuo disponere ;* jam cupit te *ire de virtute in virtutem* (Ps. 83, 6. 8) ; jam optat, ut *si justus sis, justificeris adhuc* (cf. Ap. 22, 11) ; jam desiderat te *crescere in salutem* (1 Petri 2, 2) ; jam petit te *transformari a claritate in*

claritatem (cf. 2 Cor. 3, 18), et *ad interiora te extendere* (Phil. 3, 13) et *probare potiora* (Phil. 1, 10), atque *ita currere ut comprehendas* (1 Cor. 9, 24); *justorum* enim *semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem* (Prov. 4, 18).

3. Vocat ad viam unitivam, seu charitatis, ut radicatus et fundatus in charitate omnia agas ex charitate, et ut sponsa dilecta Sponsum ames ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, atque ex omnibus viribus exemploque Benedictae Virginis Matris in charitate crescens, donec ad culmen pervenias.

Haec omnia ut praestes, vocantique obedias, obligat infinita Sponsi bonitas, amabilitas, suavitas, pulchritudo et excellentia; exigit hoc infinita summorum beneficiorum magnitudo et multitudo; requirit animus gratus ob maximum tam benevolae vocationis beneficium, et periculum si neglexeris.

II. *Veni de Libano sponsa mea, veni, veni coronaberis.* Ubi transacta jam fuit vita Beatissimae Matris, eandem ad praemium et coronam evocavit; et quia ter repetit: *Veni,*

1. Eam vocavit ad ultimum et excellentissimum actum amoris Dei, quo mensuram suorum meritorum, ad quam praeelecta erat, implevit et simul vitam finivit. Non enim ex aliqua infirmitate, sed ex languore divini amoris defuncta est: cujus vehementia animam ejus ita rapuit ad suum dilectum, ut eam non tantum a sensibus abalienaverit, sed etiam (ut ipsa S. Birgittae revelavit Lib. 6, c. 62) a corpore separaverit, ut cum ipso aeternum maneret conjuncta in caelis. Nec decuit eam, quae est *Mater pulchrae dilectionis,* alia morte mori, quam amoris, quia *fortis est ut mors dilectio.* Quam vero intensus fuerit hic actus amoris, nec mens concipere, nec lingua nostra exprimere valet. P. Franciscus Suarez Tom. 2, in 3 p. Disp. 21. Sect. docet, eum omnium Seraphino-

rum simul amorem superasse, quoniam immensa ejus virtus per tres et sexaginta annos continuo aucta ferventissimis actibus, tunc omnes vires suas exseruit, et singularissimo quodam Dei auxilio excitata omnibus praedictis excellentiorem produxit actum amoris, quem (quia *charitas*, ut ait Apostolus 1 Corinth. 13, *nunquam excidit*) in patria sub alio meliore modo erga Deum clare visum continuavit.

2. Hoc actu jam consummato, vocata est Beata Dei Parens ad coronam gloriae et beatitudinis essentialis. Ter eam vocat, ut det ei tres animae dotes seu laureas, nimirum *Dei* visionem, dilectionem, et fruitionem seu comprehensionem, quae tribus virtutibus theologicis respondent. Nam videt B. Virgo in caelis clare quidquid in via per fidem credidit; comprehendit seu tenet quod speravit; eoque jucunde fruitur, summo prosequens amore eum, quem hic amare coeperat. Atque haec est Beatissimae Virginis et omnium Beatorum corona, seu triplicis coronae tiara, qua juxta merita sua coronatur et exornatur.

3. Vocata est tertio (ut pie creditur) triduo post ad corporis resurrectionem, ut, secundum corpus et animam in caelestia regna assumpta et supra Angelorum choros exaltata, integrum suorum operum praemium reciperet et coronam non solum magnificentissimam beatitudinis essentialis lauream, verum etiam tres laureolas, Virginum, Martyrum, et Doctorum, ob difficilia certamina acciperet, et aliis condecoraretur. *Veni, coronaberis.* Triplici hac coronatione Pater ostendit suam omnipotentiam, Filius sapientiam, Spiritus Sanctus ardentem charitatem.

De hac igitur triplici vocatione, coronatione et gloria tanta, qua a Filio suo Virgo sanctissima est assumpta in coelum, ex animo gaudeamus; de tot coronis ex corde eidem gratulemur, eamque intime rogemus, ut nostra in caelis sit potens advocata, gratiamque nobis uberem

obtineat, qua ejus exemplo vocem Dei vocantis audiamus; in triplici via perfectionis ita imitemur, ut simili pro modulo nostro gloria in caelis coronari mereamur.

Charissimi, si haec quae dixi praestiterimus, et hanc triplicem vocationem exaudiverimus atque ardenter impleverimus, tandem in fine vitae nostrae caelestis Sponsus sponsam suam non secus ac Virginem Beatam triplici vocatione vocabit. Et quidem:

1. *Veni de Libano, sponsa mea:* Veni, ut anima tua mensuram meritorum, in vita jam prope completam, per ultimum et excellentem charitatis actum compleat atque ita attingat mensuram, ad quam Deus eam praeelegit. 2. *Veni de Libano,* ab ipsa morte animam vocat in ipso egressu a corpore, quae, si plene sit purgata, invitatur ad praemium beatutidinis essentialis, ad coronam gloriae, ad claram Dei visionem, dilectionem, fruitionem: *Veni, coronaberis.* 3. *Veni de Libano:* tertio vocat in generali resurrectione, cum anima vocatur ad recipiendum corpus gloriosum, summa gloria et honore coronatum.

O charissimi, si magnitudinem hujus gloriae et coronae penetraremus! quanto studio conaremur animam a vitiis purgare, virtutibus illustrare, accendere charitate, ut cum Beatissima Matre ter ad coronam gloriae vocari mereremur, maxime si ejus suavitatem et amabilitatem probe cognosceremus. Quis enim animo concipere aut verbis exprimere poterit, quanta futura sit vocationis hujus ultimae suavitas, amoenitas et dulcedo? Nam 1) suavis et amoena erit ex parte vocantis: non enim vocant Angeli, ut Matth. c. 25, 6: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei;* sed ipse Sponsus caelestis vocat: *Veni de Libano, sponsa mea, veni; coronaberis* corona, quam ego tibi praeparavi. 2) Suavis et amoena erit haec vocatio ex parte sponsae, quae sufficienter praeparata invenitur, et purgata atque ornata ad nuptias, dealbata ut Libanus nive tectus. 3) Suavis et amabilis erit ex parte mundi,

qui relinquitur, qui est cubile leonum et pardorum antrum. 4) Tandem suavis et jucundissima erit ex parte coronae sponsalitiae, qua sponsa in die desponsationis solet coronari. 5) Quoniam vero naturale est mortem timere, Sponsus sponsam suam consolatur verbis, quae habentur in hebraeo textu: *Mecum a Libano sponsa; mecum a Libano venies,* quasi diceret, ne timeas, ego tecum sum, ego tibi adero, mecum venies et ad me venies. Nunquid sponsa non libenter relinquit patrem et matrem, ut sit cum sponso? cur ergo tu non libenter relinquis omnia, ut ad me venias et in regiam meam introeas? An retinet te candor Libani, seu gloria hujus mundi? Sed longe candidior et gloriosior Libanus est in regno meo. Ego ero tibi Libanus; sic enim me Cantic. 5, 15 nominas: *Species ejus ut Libani.* Et quidquid in mundo deseris, in me infinite melius reperies. An forte times pugnam, quam in agone diabolus excitat, *sciens quia modicum tempus habet?* Non est cur timeas; ego veniam et protegam atque defendam; veni, non vinceris, sed vinces, et ideo coronaberis. Quid ergo detineris in cubili leonum et draconum? Confer locum, quem deseris, cum eo, ad quem venis: vallem lacrymarum cum paradiso deliciarum; cubilia draconum et montes pardorum cum mansionibus Angelorum et Sanctorum, principem et caput hujus mundi, qui est diabolus, cum capite Ecclesiae triumphantis, qui est Christus, a quo vocaris et coronaberis.

Quapropter, charissimi, si haec nos delectant, si ultimam vocationem desideramus, acceptemus primam: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Vocat hodie Sponsus ad puritatem animae exemplo B. Virginis; audite vocem ejus in diesque illam serio et pro viribus procurate. Vocat ad studium virtutum exemplo B. Virginis, quae fuit hortus omnibus floribus (virtutibus) refertissimus; audite Sponsi vocem et in iis

progressum facere studete. Vocat ad culmen charitatis, nolite obdurare corda vestra, sed aures inclinate, et B. Virginem praeeuntem alacriter sequimini. Quod si feceritis uti ipsa, ita et vos triplici amoenissima vocatione in morte vocabimini ad meritorum complementum, ad gloriam essentialem, et in die judicii ad resurrectionem corporis gloriosam; atque ita laeti in Patriam caelestem ibitis, ubi Deus pater est, Christus sponsus, B. Virgo mater, angeli fratres, Beati omnes amici et domestici, cum quibus aeternum coronabimini.

PARS III.

EXHORTATIONES DE SANCTIS.

EXHORTATIO I

DE S. ANGELO CUSTODE.

Explicat ejus erga nos beneficia.

THEMA : *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi* (Ex. 23, 20).

Minime necessarium arbitramur prolixius probare, D. O. M. unicuique nostrum Angelum tutelarem a primo nativitatis nostrae die deputasse, qui totius vitae decursu nos comitetur, deducat, custodiat, atque defendat: notum est enim regii vatis testimonium Ps. 90, 11 prolatum: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant et te in omnibus viis tuis,* et illud Salvatoris elogium, Matth. 18, 10: *Angeli eorum* (parvulorum) *in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Ingens sane est hoc Domini Dei nostri erga nos beneficium ex infinita ejus charitate profectum, quo dignatus est cuilibet homini nobilissimum ex aula sua caelesti principem destinare, qui diu noctuque advigilet, dirigat ac in manibus quodammodo portet. Typum Angelicae hujus custodiae exhibet Angelus ille, de quo legimus Exodi 23: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via.* Angelus ille probabilius fuit S. Michael, dux exercitus Israelitici, ut colligimus ex Daniele, cap. 10 ubi *princeps populi Israel* nuncupatur. Nam hic olim praeerat synagogae Hebraeorum, sic uti nunc praeest Ecclesiae christianae; et praeibat illis in columna nubis

per diem et in columna ignis per noctem; atque in Dei nomine Moysi et Hebraeis praecipiebat, tria praecipue obiens munia:

1) Praecedet te; 2) custodiet in via; 3) introducet in locum, quem paravi. Quo pacto S. Angelus custos noster eadem circa nos obeat officia, in praesenti exponemus.

I. S. Angelus Custos praecedit.

I. Primum S. Angeli tutelaris officium est *praecedere;* ait enim Dominus: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te.* l. c. Quod et fideliter praestitit. Nam dum Israelitae exirent ex Aegypto, Angelus in columna nubis et ignis constanter praecessit eos et deduxit.

1. Prima mansio, ex qua discesserunt, fuit Ramesses. *Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth* (Exodi 12, 37). Ramesses ex Sententia Origenis significat *commotionem tineae.* Congruit haec interpretatio mundo, ubi omnia in commotione sunt et veluti a tinea corrumpuntur, *quasi vestimentum, quod comeditur a tinea* (Job 13, 28). Tineas Origenes etiam interpretatur *vitiorum irritamenta,* quae instar tinearum corrumpunt animum. S. Hieron. tineas *peccata* interpretatur, quae nos exedunt. Igitur qui Aegyptum, id est, mundum deserit, primo loco et ante ex Ramesse proficisci debet, hoc est, ex *commotione tineae,* ut nimirum omnia corruptibilia repudiet et vitiorum omnium irritamenta ac peccatorum tineas conculcet. Sed quis deducet? Quis viam ostendet? *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te.* S. Angelus custos praecessit et eduxit nos ex Ramesse, e commotione et corruptione mundi, nos illustrando, excitando et animando.

2. Venerunt Filii Israel, Angelo praeeunte, ex *Ramesse in Socoth,* quod significat *tabernacula;* ibi enim fixerunt tabernacula, seu papiliones, in quibus quiescerent. Pari modo dum vos Aegyptum reliquistis, et a vobis totius corruptelae tineas et vitiorum irritamenta atque peccata abjecistis, in hac domo probationis tabernaculum fixistis.

Haec est vobis *Socoth* (tabernaculum) et quidem tabernaculum gratum et dilectum, de quo dicere jure queatis cum psalte regio: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit* (prae desiderio et gaudio), *et deficit anima mea in atria Domini* (Psal. 83, 2. 3). Hic igitur in loco adeo optato primum tabernaculum clavis trabalibus figendum est, hoc est, corpus et mens proposito vel decreto firmo roboranda est, nullum deinceps in omnis vitae via peccatum letiferum committendi. Sed quis opem feret? Quis viam ostendet? Angelus *praecedet te,* suisque inspirationibus viam modumque pandet. Tantum sequere, et constans ac stabile erit tuum tabernaculum.

3. E secunda mansione, Angelo duce, Israeliticus populus perrexit ad mansionem tertiam, appellatam *Etham,* id est, *Fortitudo.* Simili modo exeuntibus vobis ex Aegypto mundi magna opus fuit fortitudine, ne ab hostibus et impedimentis occurrentibus vinceremini. Armati ascenderunt filii Israel ex Aegypto. Sed quid prosunt arma, si animi robur non adsit? Et vos venistis huc armata, non dico jam gladiis materialibus, sed fide et spe, quibus in tirocinio et in omni reliqua vita jungenda est fortitudo. Neque enim unquam desunt adversitates, praelia et hostes, et semper de virtute in virtutem eundum est juxta illud Psal.: *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion* (Ps. 83, 6). Graece: de fortitudine in fortitudinem (ut vertit S. Hieronymus). Sed cujus auxilio ibitis? Praecedet Angelus et potente dextera auxilio erit, animando et confortando.

4. E tertia mansione Israel, Angelo comite, perrexit in quartam, dictam *Phihahiroth,* id est, *os nobilium.* Vos quoque, charissimi, tanquam viatores caelestes in hac mansione assumere oportet, et reipsa jam assumpsistis *os nobilium,* id est, os sanctorum virorum, qui vera nobilitate sunt inclyti, id est, Dei gratia, qua linguam Aegypti obliviscuntur et linguam sanctam addiscunt:

lasciva verba, mendacia, juramenta omnemque sermonem malum ex ore depellunt, sanctumque ac pietate spirituali respersum sermonem nobilium assumunt. At quis linguam vestram erudiet, aut jam erudiit ? S. Angelus, ut jam dirigere coepit, porro ulterius diriget et dabit sermonem rectum in ore vestro. Et velut olim Seraph calculo ignito labia Isaiae tetigit et purgavit, ita ulterius linguam et labia vestra ab omni vanitate et impuritate sermonis emundabit.

5. E quarta, Angelo ductore, Israel perrexit in mansionem quintam, nuncupatam *Marah*, id est, *amara :* ubi reperiebatur aqua amara, quae tamen per injectum lignum dulcedinem imbibit. In itinere vestro spirituali ad terram promissam, nonnulla occurrere quandoque solent sensui, carni et amori proprio amara, qualia sunt tentationes, molestiae, labores, mortificationes, degradationes. Sed viam istam dulcorandi et absynthium in mel convertendi S. Angelus vos edocebit, si nimirum in has aquas nonnihil de ligno crucis injiciatis, quod omne fel in saccharum vertit.

6. E quinta mansione, Angelo viam monstrante, populus ad sextam properavit *Elim* vocatam, ubi nullam reperit amaritudinem, sed omnia dulcia : erant enim in illo loco duodecim fontes aquae potabilis et septuaginta palmae ; fontes potum, palmae cibum subministrarunt. An non, dilectissimi, similem vicissitudinem experientia ipsa didicistis ? Jam datur consolatio et dulcedo. *Quam pulcher ordo virtutum !* (ait Hieron. hic) *post victoriam tentatio ; post tentationem refectio.* Tentatus est Dominus in deserto ; post tentationem allata est ab Angelis refectio. *Angeli accesserunt, et ministrarunt ei* (Matth. 4, 11). Simile quid vobis praestat S. Angelus ; post tentationum victoriam praebet consolationis manna, et merito vereque dicitis cum Apostolo : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat*

consolatio nostra (2 Cor. 1, 5), S. Angelo custode illuminante, animante, tristitiam abstergente et cor exhilarante.

7. Denique per vias varias diversasque mansiones venerunt tandem filii Israel in *Sin* et *Cades*, et denique ad terram *Chanaan* illis promissam. Sic vestri quoque sancti Angeli ducunt vos per *Sin*, id est per desertum vitae religiosae, in *Cades*, id est ad sanctitatem et perfectionem atque inde ad caelestem promissionis terram. Quid autem sanctis Angelis vestris pro tam multiplici beneficio rependetis? *S. Bernard.* in Psal. *Qui habitat* serm. 12, n. 6 (ML. 183, 233) suadet Angelis pro praesentia, assistentia et ducatu viae rependendam reverentiam, dum ait: *Reverentiam pro praesentia*, id est, ut illum in omni loco, in omni via, in omni occasione revereamur; istud igitur praesta, et gratum te exhibebis. *Caute ambula* in omnibus viis tuis. *In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo praesente, quod vidente me non auderes?* S. Bernardus l. c.

II. Alterum Angeli beneficium Israelicito populo exhibitum exprimit Deus hisce verbis Ex. c. 23, 10: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui* (non solum) *praecedat te*, (sed) *et custodiat*. Et quidem II. Angelus custodit.

1. Angelus iste Hebraeos custodivit atque defendit contra regem Aegypti Pharaonem cum exercitu suo eos persequentem, dum exirent Aegypto et mare transirent: aquae enim murorum instar sese utriumque erexerunt et transitum praebuerunt, hostes vero fluctibus involverunt atque submersos absorbuerunt. Ita pariter sanctus Angelus custos noster nos e mundi Aegypto ad Religionis portum transeuntes defendit, excitavit, adjuvit; impedientes vero, retrahentes, dissuadentes et persequentes coercuit, et feliciter nos in Religionis desertum perduxit.

2. Ut Israelitae terram promissionis possiderent, necesse fuit eos, Dei auxilio et Angelo duce, varios hostes debel-

lare ac vincere, quales fuere Sehon rex Amorrhaeorum et Og rex Basan et rex Idumaeorum. Simili ratione, ut nos promissum caelum possideamus, hostes tartareos Dei ope et S. Angeli praesidio profligare oportet. *(Sancti) per fidem vicerunt regna*, ait Apostolus Hebr. 11, 33. Exponit id Doctor Angelicus, ac tria a Sanctis regna vinci asserit : regnum diaboli, regnum mundi et regnum carnis, idque *per fidem* vivam, quoniam invisibilia atque aeterna bona proponit nobis fides, spemque ea adipiscendi ostendit, ex quo omnium caducorum ac temporalium bonorum contemptus enascitur, atque tria illa regna voluptatis, honoris, divitiarum, simulque omnium pravorum affectuum superamus. Haec autem est praestantissima victoria, quam Angelo duce reportamus, ut ait Philo in Lib. de agricultura. *Meliorem* (inquit) *perfectioremque victoriam invenire non licet quam illam, qua vincitur validum agmen vitiorum et affectuum.* Qua vero ratione S. Angelus nobis ad id subsidium ferat, paulo post insinuabimus.

3. Rex Arad fortiter oppugnavit in itinere Israelem. *(Num.* 21, 2 sq.): *At Israel voto se Domino obligans ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananaeum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus, et vocavit nomen loci illius horma, id est, anathema.* Oppugnat rex tartareus vel maxime tirones, tentat illos, offerendo tria illa regna, in quibus regnat mundus quae enumerat S. Joannes 1 Epist. 2, 16. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* Ex his regnis, ex his urbibus eos aggrediens victoriam sperat, eosque in urbes illas retrahendos confidit. Quid vero consilii capiant tirones ? Finito tirocinio, voto se obligant, atque ita tria illa regna vincunt et urbes solo aequant : per votum paupertatis concupiscentiam oculorum, per votum castitatis concupiscentiam carnis, superbiam vitae per votum

humilis obedientiae. Atque hoc est Horma, seu anathema perpetuum ad mortem usque perseverans, ita ut in omni vita fas non sit aliquid de anathemate sumere. Atque omnia ista non absque ope ac protectione sancti Angeli tutelaris efficiuntur. Quam vero variis mirisque id praestet modis, juvat cognoscere. Ille enim 1) Jam per specierum vel sensibilium vel intelligibilium motum et combinationem intellectum nostrum illuminat, rationes et veritates ad actionem rectam proficuas ultro proponit, instruit, difficultates explicat, perplexitates elucidat, in studiis, meditationibus, cogitationibus illustrat, primas cogitationes offert, et ad seria, utilia, bona cogitanda applicat. 2) Ille rursus memoriam vellicat, et quorum meminisse oportet, in tempore admonet, et ad agenda quae oportet excitat. Ille nonnunquam singularibus Dei amicis revelationem, per visum externum proponendo objecta, vel per internum movendo ipsius species, vel per locutionem ope specierum audibilium internarum vel externarum, aliisque modis efficit ; ille somnia format, per quae boni species instruuntur. 3) Ille concurrit et juvat nos ad victoriam, excitando voluntatem ad bonum et absterrendo a malo, idque rursus modis variis, quorum praecipuus est, qui fit per propositionem boni cum suis incitamentis, vel mali cum deterrentibus ; per diversionem ab aliis, quae possent a bono dimovere, aut ad malum inclinare ; per modum locutionis urgentis ad hoc vel illud prosequendum, faciendum, vel odiendum ; per aversionem objectorum nocivorum. 4) Excitat passiones timoris, verecundiae, terroris, cum de malo perpetrando cogitatur ; tristitiae, doloris, anxietatis, cum a malo exeundum est ; amoris, gaudii, quietis, cum in re gesta bonum inest ; desiderii, spei, audaciae, cum quid pro Dei gloria et ad salutem animarum agendum aut suscipiendum vel sustinendum est. 5) Multum juvat coercendo daemones, qui continuo imminent et ad malum a bono avertere nituntur,

aut saltem turbare, impedire, implicare, atque perplexos reddere student. Horum etiam ad vanitatem, voluptatem, cupiditatem, superbiam, vindictam, otium, libertatem trahere molientium conatus saepe retundit, vel avertendo animum, vel meliora suggerendo, vel deterrendo, vel mala detegendo. 6) Ad actiones externas et ratione status, officii, necessitatis obeundas frequenter operam suam confert: in politicis, privatis, oeconomicis, bellicis, et aliis quibusque officiis fideliter adest nobis, ut in finem salutis nos ordinet. 7) Angeli pro nobis orant apud Deum, et Christum Dominum, nobisque gratiam et auxilia opportuna impetrant. Saepe etiam Beatam Virginem interpellant, ut et ipsa pro clientibus suis intercedat. Deinde orationes, vota, suspiria, bona opera, afflictiones, passiones nostras etc. Deo offerunt, et vicissim dona referunt; a periculis et insidiis malis praeservant, corripiunt et puniunt, ac denique in morte assistunt: et omnia illi praestant nobis ad finem supernaturalis felicitatis et beatae aeternitatis.

Quid igitur pro tot tantisque beneficiis et custodia tam diligente rependemus Angelo nostro fidelissimo! *Fiduciam pro custodia*, ut hortatur *S. Bernardus* l. c. In omnibus tentationibus, praeliis, necessitatibus, ac periculis maxima cum fiducia ad illum recurramus. *Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus?* ait idem Doctor: *tantum sequamur eos, adhaereamus eis, et in protectione Dei caeli commoremur.*

III. S. Angelus in locum paratum introducit.

III. Tertium beneficium ab Angelo Israeli collatum est, *ut introducat in locum, quem paravi,* l. c. Scilicet in terram promissam. Idem beneficium, aut potius longe melius praestat pio clienti Angelus tutelaris, dum a morte animam, si tota munda fuerit, in terram promissionis caelestem deducit: quemadmodum Angeli animam pauperis Lazari deportarunt in sinum Abrahae. Quantum hoc est beneficium? Quanta fidelitas Angeli, usque ad

aeternitatis ingressum non deserentis, sed per aera, per caelum sidereum, usque in caelum empyreum nos illuc devehentis, ubi magnus nos carorum parentum, fratrum, filiorum spiritualium numerus expectat, et frequens ac copiosa turba videre nos desiderat! Quid rependemus pro fidelitate, pietate ac benevolentia tanta? Iterum suggerit mellifluus Doctor l. c.: *Devotionem pro benevolentia*, id est, ut singulari pietate tenerrimaque devotione illi addicti simus et pro viribus eum colere et observare studeamus.

Quapropter, dilectissimi, cum S. Angelus custos cujusque vestrum 1) non secus atque alter Angelus Israelitas in omnibus viis vestris praecedat vos, et hactenus praecesserit ostendendo viam e corruptione mundi ad desertum Religionis, in quo tabernaculum fixistis, et hactenus fortiter stetistis, linguam Sanctorum spiritualem didicistis, amara et dulcia experti estis, et ad montem perfectionis ipso duce contenditis; 2) cum vos, sicut Angelus Hebraeos, tam fideliter custodierit et protexerit contra insultus mundi, carnis, daemonis, quorum regna vicistis ejus ope et debellastis; dum ille adjuvit vestrum intellectum illustrando, memoriam vellicando, voluntatem permovendo, passiones in bonum vestrum concitando, daemonum phalanges coercendo, in omnibus opem ferendo, precesque fundendo; 3) cum denique vos tandem, tanquam fidus Achates, in caelestem paradisum deportaturus sit: tot tantaque beneficia grati agnoscite, et (ut Sanctus Bernardus monet) reverentiam pro praesentia, fiduciam pro custodia, devotionem pro benevolentia in omni vita vestra rependere pro viribus allaborate. Sic S. Angelus custos cum gaudio vos praecedet, custodiet in omnibus viis vestris, ac denique post mortalis hujus vitae ac viae terminum in locum a divina bonitate vobis praeparatum introducet.

EXHORTATIO II

DE S. ANGELO CUSTODE.

Et de triplici obsequio ipsi exhibendo.

THEMA: *Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes* (Ex. 23, 21).

Tribus excellentissimis a sancto Angelo tutelari cuilibet nostrum exhibitis beneficiis et officiis tria debentur a nobis obsequia et servitia, tanquam amoris reciproci animique grati testimonia. 1. *Praecedit* ille nos, deducit, assistit, comitatur, ac viam demonstrat in omnibus peregrinationis nostrae viis, quemadmodum S. Angelus Raphael Tobiam juniorem deduxit ac reduxit.

2. *Custodit* in tentationibus et praeliis, in persecutionibus et periculis contra mundum, carnem, et daemonem: quemadmodum Angeli Loth eduxerunt et custodierunt ab incendio Sodomae (*Gen.* 19). Angelos Hebraeos deduxit per mare rubrum salvos et incolumes; Pharaonem et exercitum ejus submergit (*Ex.* 14). Angelus Judithan custodivit, et ad caedem Holofernis direxit (*Judith* 13). Angelus tres pueros in fornace Babylonis a flamma ignis protexit illaesosque custodivit (*Dan.* 3). Angelus conclusit ora leonum, et non devorarunt Danielem (*Dan.* 6). Angelus tutatus est et vindicavit pudicitiam Susannae (*Dan.* 13). Similia nobis praestat beneficia Genius Tutelaris nos custodiens, atque ab hostibus visibilibus et invisibilibus defendens.

3. *Introducit in locum,* quem Deus nobis in caelo paravit, dum a morte animam nostram, si omnino munda sit, in caelestem patriam introducit.

Quare incumbit nobis, ut animum gratum demonstremus, ac tribus ejus eximiis beneficiis tria obsequia exhibeamus: 1) Ut eum observemus, 2) vocem ejus

audiamus, 3) non contemnendum putemus. Quae in praesenti exhortatione explanabimus.

I. Primum officium a nobis S. Angelo exhibendum est ab ipso Deo insinuatum his verbis: *Observa eum.* Verbum illud *Observa* duplici gaudet significatione. Primo idem est, quod *attendere* et prae oculis habere. Secundo significat *honorare.* Utrumque Israeli praecepit Deus; ait enim: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi* tibi. Hunc igitur ducem observa, attende ad eum et tanquam in viae monstratorem oculos conjice. Idem nobis praestandum est. Observandus est et prae oculis identidem habendus S. Angelus noster, illiusque ductus sequendus. S. Aloysius Gonzaga dicere solebat: Persuasum habe te Angeli ductum sequi oportere velut coecum quempiam, qui viarum discrimina ignorans, ejus qui baculo gressum regit, providentiae in omnibus confidit. Et hoc quidem ea amplius, quo Angelus tuus sublimiorem scientiam et majorem experientiam habet, et quo difficilior ac periculosior via est ad aeternitatem, ac quo major tua inscitia et caecitas est in cognoscendis rebus caelestibus atque divinis. Ergo observa eum, et sequere qua ducit. I. S. Angelus custos observandus.

Deinde *observa* idem quoque significat, quod *honora.* Honora illum 1. Propter excellentiam et dignitatem naturae suae angelicae, quae homines et omnia creata superat, et inter illa proxime ad celsitudinem naturae divinae accedit. 2. *Honora illum* propter innumera praestantia beneficia, quae tu a nativitate tua omnibus momentis obtinuisti in diesque obtines. Siquidem quod etiamnum sanus ac vegetus vivas, integra et vegeta membra habeas, quod divinam aeque ac humanam scientiam didiceris, tot sanctas cogitationes habueris; quod a mundo fallaci et blandiente carne non seductus fueris; quod ab illo e mundo, velut alter Loth e Sodoma

eductus, retro non respexeris : quod toties de hostibus tam visibilibus, quam invisibilibus triumphaveris : post Deum ac Beatissimam Virginem Angelo tuo in acceptis referre necesse est. Honora igitur illum tanquam benefactorem insignem. 3. *Honora illum* tanquam medicum tuum, velut Tobias Raphaelem Archangelum, qui toties morbos corporis et damna a te amolitus est, et longe saepius animae tuae vulnera curavit. 4. *Honora illum* tanquam ludimagistrum tuum, qui intellectum tuum illuminavit, tot tibi salutares instructiones et documenta praebuit. 5. *Honora illum* tanquam advocatum et patronum tuum, qui toties pro te apud Deum intercessit. 6. *Honora illum* tanquam patrem tuum amantissimum, qui tam sollicite de omnibus necessariis tibi providit. 7. Denique *honora illum* tanquam protectorem tuum, qui quovis tempore pro te pugnavit hostesque malignos, ne nocerent, compescuit. Verbo *honora illum* tanquam maximum benefactorem et amicum.

Atque exemplum cape a sancta Fransisca Romana : non sat credi potest, quam teneram ipsa affectionem semper erga Angelum custodem suum habuerit, quo honore et observantia eum prosecuta fuerit, qua ratione studuerit in dies novo modo eundem colere, quot obsequia illi ipsa indesinenter exhibuerit. Ideoque hanc a Deo gratiam obtinuit, ut ipsum instar formosi admodum septennis pueri semper videret, cujus capilli ex aureis radiis fulserunt ; vestis seu toga aliquando candidum, aliquando caeruleum, vel subrubicundum colorem praeferebat. Et licet ejusmodi nobis non contingat gratia eum videndi oculis corporeis, non tamen intermittere debemus illi omni tempore et loco honorem exhibere, exemplo S. Fransiscae. Uti monet mellifluus Doctor : *In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe.*

Observantiae hujus et honoris diversa potest esse

praxis. Sancta Fransisca et alii plures in more positum habebant, aliquoties per diem caput et corpus coram illo inclinare. P. Petrus Cottonus e Societate nostra, qui cum fama sanctitatis obiit in Gallia, solitus fuit in exitu et introitu Angelo suo praecedentiam et in ambulatione praecipuum locum cedere. Joannes Carrera, coadjutor Societatis nostrae, nunquam omittebat Angelum suum custodem omni hora, brevi aliqua oratione jaculatoria salutare. Alii non facile aliquid cujusdam momenti incipiebant, nisi ante id S. Angelo suo commendassent ejusque consilium exquisivissent. Optima et gratissima sancto Angelo praxis eum colendi est, ut in omni loco et tempore, in omni opere et omissione, in praesentia S. Angeli nos modeste, pudice et honeste geramus. Hac ratione eum vere honoramus.

II. S. Angelus custos est audiendus.

II. Alterum obsequium a nobis praestandum Angelo nostro tutelari est ejus vocem audire, qua nos a malo revocat, aut ad bonum impellit. *Audi vocem ejus*: mandabat Deus Israelitis; et merito. Si enim Angelus custos, ut diximus, nostrum agit medicum, magistrum, advocatum, patrem et protectorem, par est, nos ejus vocem et monita audire et illis prompta voluntate obsecundare. Deinde et vel maxime, quia Dei vicem obit, quod indicant illa verba Ex. 23, 21: *Et est nomen meum in illo*, q. d.: Angelus hic meum nomen, personam, autoritatem et voluntatem praefert; et quidquid Angelus hic praecipit, hoc nomine meo praecipit. Nobiscum non loquitur expressis externisque verbis, sed internis inspirationibus, quibus nos obtemperare decet.

O quoties tibi dicit Angelus (dum vel a superioribus, vel a fratribus nonnihil tibi sufferendum est, tuque propterea turbatus et male contentus libenter ab illis te separares) quod olim ancillae Agar, cum e domo Abrahae fugeret et in deserto ad fontem sederet: *Revertere..., et humiliare sub manu illius?* Humiliter audi vocem ejus,

et pacem invenies. O quoties tibi Angelus dicit quod Petro Apostolo, cum esset in vinculis in carcere: *Surge velociter?* Dum mane signum e lecto surgendi datur, audi vocem ejus et surge velociter; dum ad meditationem, examen, laborem vocaris, audi vocem ejus, et vade velociter. O quoties tibi inclamat, quod magno Antonio eremitae, dum in cella otiosus sederet et a diabolo fortiter tentaretur: *Lege et labora.* Audi vocem ejus: et si desolatus derelictusque tibi videaris, accipe Thomae Kempensis librum, et lege lectionemque cum labore alterna. O quoties tibi Angelus in aures insusurrat, quod olim Arsenio: *Fuge, tace, quiesce.* Audi vocem ejus, et fuge mundum, fuge nimis liberos, audaces atque imperfectos socios. *Tace* in occasionibus fragendi silentii; *tace* in reprehensionibus Superiorum; tace in adversis. Et *quiesce* ad pulpitum, ne circumvageris per domum vel hortum. O quoties tibi ingerit Angelus quod Loth, dum educeretur e Sodoma: *Noli respicere post tergum.* Noli tu respicere ad vanitates mundi et insanias; noli respicere retro ad fluxas foedasve mundi voluptates, nec denuo placeant tibi ea, quae semel pro semper reliquisti. *Quod si audieris vocem ejus..., inimicus ero inimicis tuis affligamque affligentes te; praecedetque te Angelus meus* (Ex. 23, 22 sq.). Haec praemia erunt obedientiae.

III. Non est contemnendus.

III. Tertium obsequium Angelo custodi debitum est, ut eum non contemnamus, aut quidquam indecens in ejus praesentia agamus. Hoc quoque mandavit Deus Israelitis his verbis: *Nec contemnendum putes,* rationemque addit: *quia non dimittet cum peccaveris.* Non dimittet impunitum. Hortatur ad hoc ipsum *S. Bernardus* in Psalm. 90, Serm. 12, dum ait: *Caute ambula, ut videlicet cui adsunt angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis... Tu ne audeas illo praesente, quod vidente me non auderes?* Ipse audit omnia, cernit omnia; quod frenum potens est continendi te, ut nihil indecens cogites,

loquaris, aut facias. Nonne hoc experimur in pueris studiosis, qui, si se omnino solos esse arbitrentur, incipiunt lusus, nugas ac petulantias ; quamprimum vero ludimagistrum advenire ac prae foribus stare audiunt, illico sese conponunt, lusus instrumenta abscondunt, quasi nihil horum accidisset. Et certe signum foret magnae impudentiae et audaciae, si in praesentia magistri insolentias ludosque vetitos continuarent. Quo igitur pacto novitius potest audetve etiam minimam regulam transgredi, aut contra conscientiam agere, cum certo credat, Angelum suum tutelarem prope et circa se esse, omnia opera spectare, passus omnes numerare, omnes corporis motus, oculorum nutus et minimas cordis cogitationes attendere?

Nec contemnendum putes. E vita S. Franciscae constat etiam minimos defectus Angelis praesentibus displicere; refertur enim in ejus vita, quod si illa vel ex fragilitate, vel ex inconsideratione exiguum quendam defectum quotidianum commisisset, Angelus ejus alias solitus aliquoties per diem invisere, aliquamdiu cunctaverit, nec videndum se praebuerit, donec defectum examinasset et veniam a Deo petiisset. Quid igitur facerent Angeli nostri custodes, quid cogitarent, si nos scandali quidpiam praeberemus fratribus nostris, aut discordias nonnullas, licet leves, in domo excitaremus? *Nihil* enim (ait *S. Bernardus*) *aeque offendit sanctos Angelos, et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala.* Ita in fest. S. Mich. s. 1, n. 6 (ML. 183, 450).

Quia non dimittet, cum peccaveris. Expertus est id suo damno Joannes Correra, qui in dies ab Angelo suo mane excitabatur ad surgendum, cumque semel tardius surrexisset, aliquamdiu non venit, donec ille de defectu poenitentiam egit prioremque gratiam recepit. Simili modo S. Francisca Romana cum diutius mundano colloquio interfuisset, Angelus custos ei austerum ac iratum vultum ostendit et in transitu alapam impegit. Non

absimile expertus est adolescens a pravis sociis redux, alapa tam forti percussus, ut in terram deciderit. *Non dimittet cum peccaveris.*

Ejusmodi igitur poenas ut effugiamus, optimum consilium est: 1) Ut Angelum nostrum custodem diligenter observemus et honoremus, ex oculis mentis non dimittamus; 2) voces ejus, inspirationes internas, monitiones, consilia prompte admittamus; 3) ne contemnamus, aut indignum ejus praesentia aliquid committamus. *Pensate,* ait *S. Bernardus* l. c. n. 5, *quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, et eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus,* ut docuit Abbas ille in Vitis Patrum l. 7, c. 44 (ML. 73, 1061), qui rogatus, quaenam esset quotidiana ejus occupatio, respondit: *Ego Angelum meum assistentem mihi juxta me exspecto, et custodio memetipsum, quod scriptum est reminiscens* (Ps. 15, 8): « *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear* ». *Timeo igitur eum ut custodientem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum et insinuantem omnes actus meos et verba.* Haec si imitabimur, S. Angelum observabimus, vocem ejus audiemus, et non solum non contemnemus, verum etiam maxime honorabimus, recreabimus et exhilarabimus.

EXHORTATIO I

PRO FESTO S. JOANNIS BAPTISTAE.

Ostendit S. Joannem fuisse Angelum.

THEMA: *Quis, putas, puer iste erit?* (Lc. 1, 66).

Tam admiranda ac stupenda in nativitate Sancti Joannis accidere, ut merito vicini et amici interrogarint: *Quis putas puer iste erit?* Cujus mutus parens loquitur, mater sterilis parit, filius in utero exultat, Archangelus Gabriel nomen insolitum imponit? *Quis, putas, puer iste erit?* Si parentem ejus Zachariam interroges, respondet, fore prophetam: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis.* Si Archangelum Gabrielem roges: reponit: *Erit magnus coram Domino.* Lucae c. 1, 15. Si ab ipso Christo Domino, qui praecursor ejus futurus sit, quaeras, mox affirmabit: *Lucerna ardens et lucens* (Joan. 5, 35), ardens per charitatem internam, lucens per externam doctrinam. Quod si vero Malachiae judicium requiramus, ex instinctu Spiritus Sancti ex prophetico spiritu asserit fore angelum: *Ecce, ego mitto angelum meum; et praeparabit viam ante faciem meam* (Malach. 3, 1). Prophetam vero hunc non de alio, quam de Joanne loqui ipse Christus diserte affirmat (Matth. 11, 10): *Hic est, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto angelum meum.* Non quod natura fuerit Angelus, ut erronee censuit Origenes; nam: *fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes* (Joan. 1, 6), et Evangelista Lucas ejus parentes, conceptionem, nativitatem et vitam fuisse describit; sed quod vitam angelicam moresque angelicos duxerit. Quod explicabimus in praesenti, ut pro modulo imitemur et angelicam vitam ducere statuamus.

I. S. Joannes fuit Angelus missione.

I. Prima proprietas Angeli est, quod sit legatus seu missus a Deo: *Angelus enim*, ut ait S. Gregorius, *non naturae, sed officii nomen est*. Angelus autem non descendit e caelo ministratum homini, nisi mittatur et ire jubeatur. Ejusmodi Angelus seu legatus fuit Joannes: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*. Joan. 1. Missus autem fuit, ut mortales ad Christum adduceret, Messiam illis ostenderet et digito monstraret, peccatores a via abductos prava in semitam justitiae reduceret, poenitentiam praedicaret et poenitentiae baptismum illis impertiret. Hic erat finis legationis et missionis ejus, quem ille mox strenue assequi et explere studuit. Nam e deserto, Deo jubente, egressus venit in omnem regionem Jordanis peccatoribus inclamans: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum*, et: *jam securis ad radicem posita est: Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et ignem mittetur*.

Religiosus Societatis, ut voluit S. P. Ignatius, debet in hoc puncto esse similis Angelo: ad hoc enim vocatus est, ut sit Dei legatus, ut mittatur ad conversionem animarum; et licet hoc apte conveniat iis, qui ad missiones sive inter infideles sive inter haereticos destinantur, convenit tamen etiam aliis, qui in collegiis degunt: *Nostrae vocationis est*, ait Regula III. Summarii, *diversa loca peragrare, et habitare in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium et animarum auxilium speratur*. Sed non imus, non praedicamus, nisi mittamur a Superioribus, sicut Angeli. *Quomodo enim praedicabunt, nisi mittantur?* ait Apostolus. Si vero mittamur, mox strenue praedicare, corda hominum ad Deum convertere atque ad agendam poenitentiam inflammare conemur: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum*.

II. Indifferentia et resignationis.

II. Altera proprietas Angeli est omnimoda indifferentia tam quoad loca, quam quoad personas: Angelus enim ad custodiam hominis a Deo missus aeque prompte et

alacriter volat in Africam atque in Europam, in Asiam atque in Americam, in pagum atque in magnam civitatem, nullum in hoc faciens discrimen. Similiter Angelus aeque libenter ac diligenter ministrat vili mendicabulo, atque regi potentissimo ac mundi monarchae.

Ejusmodi Angelus fuit S. Joannes Baptista, qui ad omnem locum et personam summa fuit indifferentia: missus a Deo ad regionem Jordanis, illico abiit, si missus a Deo fuisset in aliam regionem, aeque prompte iturus; nec solum ivit ad primarias civitates, sed ad quaevis viliora loca. Venit enim *in omnem regionem Jordanis*, et absque personarum discrimine omnibus poenitentiam praedicavit. Accedunt ad praedicationem ejus plebs et turba (Lc. 3, 10 sqq.), interrogantque: *Quid ergo faciemus?* Respondit illis: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, faciat similiter.* Quibus verbis hortatur ad opera misericordiae et eleemosynae, atque, ut declarat *S. Basilius*, hortatur ex omni quod affluit debere erogari ei, qui non habet. Venerunt et publicani ut baptizarentur, *et dixerunt ad illum, Magister, quid faciemus?* ut scilicet salutem consequamur. Agnoscebant enim foeditatem scelerum suorum et injustitiae. *At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod vobis constitutum est, faciatis*, videlicet in exactione vectigalium nolite plus, quam taxatum et ordinatum est exigere. Venerunt ad eum milites et interrogabant eum: *Quid faciemus nos?* et ait illis: *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris*, id est, nulli vim inferatis, nulli innocenti crimen impingatis, rapiendi et furandi libidinem cohibeatis. Venerunt denique Pharisaei; sed quanto lenius egit cum plebeiis, publicanis et militibus, tanto durius egit contra Pharisaeos et Sadducaeos, qui tunc temporis inter Judaeos instar religiosorum erant. Quibus vultu iracundo dixit: *Progenies viperarum: quis demonstravit vobis fugere a*

ventura ira ? (Matth. 3, 7). Verbo, absque discrimine personarum omnes ad poenitentiam hortatus est, omnibus, velut Angelus e caelo missus, annuntiavit fugere a ventura ira summi judicis; omnibus veniam praedicavit, si dignos poenitentiae fructus facerent.

Ejusmodi Angelos requirit S. Fundator noster, qui ad omnem locum omnesque personas indifferentes existant, quales fuere S. Xaverius, B. Petrus Faber, Claudius Jajus, B. Petrus Canisius, Gaspar Bazzaeus, Andreas Oviedus et sexcenti apostolici viri Societatis nostrae: qui quasi equi gloriae in bello nomen Christi defenderunt. Evangelium annuntiarunt et in fines orbis terrae protulerunt, majus Dei obsequium et gloriam semper intuendo et quaerendo, per quos Christus in hominum cordibus triumphat. Tales, inquam, esse conemur ; Christus in nobis regnet, et per nos vincat, non nostra voluntas, non voluptas, non commoditas, non honor, non gloria, sed Dei solius. Ita Angelis similes erimus, qui *potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus* (Ps. 102, 20), et instar fulminis quoquo versus volant ad Dei voluntatem implendam: *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos flammam ignis* (Ps. 103, 4).

III. Castitate.

III. Tertia proprietas angelica est castitas. Angeli enim purissimi castissimique sunt, et Beati in caelo hac in parte eis similes erunt. *In resurrectione,* inquit Salvator, *neque nubent, neque nubentur ; sed erunt sicut angeli Dei in caelo* (Matth. 22, 30). Talis Angelus fuit S. Joannes Baptista, qui mundissima fuit castitate, eamque quasi cum natura hausit, dum a senibus, sterilibus, et concupiscentiae carnali jam mortuis genitus fuit. Amorem vero castitatis singulari zelo et fervore demonstravit, dum Herodem ob adulterium cum Herodiade acriter reprehendit et pro castitate tuenda in alio martyr occubuit, ad hanc in se custodiendam in solitudinem

secessit, ab hominum consortio remotus, rigidam asperamque vitam duxit, jejuniis assiduis ita carnem domuit, ut Redemptor de ipso asseruerit Matth. 11, 18: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens.* Unde S. Basilius totam ejus vitam jejunium vocat. Et loco vestis pelle cameli aspera corpusculum contexit.

S. Patriarcha noster omnes Societatis alumnos voluit esse castitate Angelos ; unde in Regula 28 Summarii praescripsit : *Castitatem tam perfecte servandam, ut enitamur angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia.* Haec etenim virtus vel maxime nos Angelis similes reddit: Unde S. Athanasius lib. de Virgin. n. 24 (op. dub. MG. 28, 280) ait: *Virginitas est Angelorum vita.* Et *S. Cyprianus* in tract. de habitu Virginum scribit c. 22 (ML. 4, 462): *Cum castae perseveratis esse et virgines, angelis Dei estis aequales.* Sanctus vero *Ambrosius* de Virginibus l. 1, c. 3 (ML. 16, 191) inquit: *Quae non nubunt, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur quae angelorum Domino copulantur.* Amplius dicere audet *S. Bernardus* Epist. 42 seu tract. de morib. et offic. Epp. c. 3, n. 8 (ML. 182, 816): *Differunt quidem inter se homo pudicus et Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur.* In hac igitur virtute nos Angelos imitari oportet: cum enim alios e sordibus vitiorum turpium extrahere debeamus, omnino necesse est nos ejusmodi castitatis virtute munitos esse, ut ipsi hisce sordibus non inquinemur, ne, dum alios ex orci faucibus extrahere nitimur, ipsimet implicati cum impuris in damnationis barathrum abripiamur.

IV. Quarta proprietas est conjunctio cum Deo, contemplatio Dei et visio beatifica, quam Christus Dominus innuit dicens: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est* (Matth. 18, 10).

Nunquam enim, licet hominum custodia occupati, vel ad momentum temporis mentis aciem a Dei visione et amore ac laude deflectunt. Nonne et talis vita fuit S. Joannis Baptistae? Quid aliud in eremo egit, quam conversari cum Deo, ac coelestia divinaque contemplari? Audite S. Chrysostomum homil. 37 (al. 38) in Matthaeum (MG. 57, 421): *Joannes ita in terris, quasi in caelis versabatur: naturae namque necessitate superata, mirabile quoddam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit; nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua offerebat colloquia.* Vere igitur Joannes praecursor Domini Angelis similem vitam duxit, non solum in eremo, contemplando et orando, verum etiam dum baptismum poenitentiae conferret, pro peccatoribus eorumque conversione preces ardentes fundendo.

Ejusmodi conjunctionem cum Deo, tanquam instrumentorum cum causa principali, a suis exigebat S. Ignatius, asserens absque ea modicum in proximo fructum referri, e contrario autem ex familiaritate cum Deo omnem efficaciam operum apostolicorum dimanare. Si itaque operarius Societatis multa a Deo, quae efficiat ad ejus gloriam, obtinere cupiat, instar Angeli Deum respiciat atque oret. *Oportet semper orare et non deficere:* ait Dominus Luc. 18, 1. Si operarius versetur in angustiis, obruatur calamitatibus tam propriis, quam alienis, ad orationem confugiat, cum Juditha clamet ad Dominum, et auxilium impetrabit. Si sibi suisque auditoribus ac poenitentibus dona caelestia e caelo obtinere desideret, petat: *Petite et accipietis*, promissio Christi est. *Omne* enim *datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (S. Jac. 1, 17). Si contra hostes stygios, persecutores, tentatores in arenam descendendum sit, oret et cum Moyse manus in caelum levet, et quemadmodum Israel Amalecitas, ita ipse tam suos,

quam suorum hostes superabit. Mirum est, quod refert Ruffinus L. 2, de Theodosio Imperatore, qui Eugenium tyrannum precibus vicit; nam contra eum congressurus rupem ascendit, atque inde utrumque exercitum contemplatus, erectis in caelum manibus exercitum suum Deo commendavit. Mira res: vix preces fuderat, cum exortus ventus in hostium faciem, eorum tela, in ipsos rejecit: quod sic cecinit ipse Claudianus, licet ethnicus in panegyri ad Honorium Imperatorem:

Te propter, gelidis Aquilo de monte procellis,
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas: moxque subjungit:
O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et conjurati veniunt ad classica venti!

Theodoretus scribit, S. Joannem et S. Philippum Apostolos apparuisse in medio Theodosii exercitu ventum hunc excitantes, qui pulveres in hostium oculos conjecit et eorum sagittas reflexit, eaque ratione parta est victoria, ita ut ne unus quidem ex parte Theodosii desideraretur. Lege Baronium ad annum 446. Tanta vis est orationis contra hostes. Si itaque operarius vincere desideret, oret: si ambonem conscendere paret, oret et a Patre luminum lucem et ardorem postulet; si in tribunali sacro ad cor loqui cupiat, gratiam divinam imploret, ut animas peccatorum coeno inquinatas in sanguine Agni rite dealbare valeat; si peccatorem insignem aut haereticum convertere optet, preces ardentes praemittat, SS. Angelos tutelares sanctosque Patronos in subsidium evocet, alias Aethiopem lavabit. *Nunc*, ait S. Bernardus Epist. 201 (ML. 182, 370), *manent* itaque tria haec: *verbum, exemplum, oratio; nam etsi... vocis virtus sit opus, et operi tamen et voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. — Oratio humiliantis se nubes penetrabit...; et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Eccl. c. 35, 21.

Quocirca, charissimi, vidistis S. Joannem Baptistam Angelum fuisse, non natura, sed vita et conversione angelica. 1. Angelus fuit legatione seu missione divina ad poenitentiam praedicandam hominesque ad Christum adducendos. Eadem vestra est vocatio ; quare in tirocinio vos disponite, omnibusque virtutibus necessariis vos munite, ut suo tempore simili legatione rite fungi valeatis. 2. Angelus fuit resignatione et indifferentia ad omnia loca et personas absque discrimine. Eadem vestra est vocatio : *Nostrae enim vocationis est diversa loca peragrare, etc.* In noviciatu a parvis auspicemini, atque ita suo tempore ad majora prompti paratique stabitis, tanquam equi generosi in bellum, ut victoriam contra mundum, carnem, daemonem reportetis, et gloriam Dei quaquaversum dilatetis. 3. Angelus fuit castitate. Eadem est professio vestra, ut angelicam puritatem aemulemini ; absque hac virtute securi haud eritis, modicumque proficietis. 4. Denique Angelus fuit oratione et contemplatione. Hanc a viris apostolicis exigit S. Ignatius. Si quis igitur quapiam re indiget, oret ; si dona caelestia impetrare, si in necessitate auxilium obtinere, si ab hostibus visibilibus et invisibilibus victoriam reportare, si in ambone et exhomologeterio, in conversatione et colloquio cum proximis maximum fructum referre desideret, oret, petat, quaerat, pulset ad fores divinas. *Omnis enim, qui petit, accipit ; et qui quaerit, invenit ; et pulsanti aperietur* (Lc. 11, 10).

EXHORTATIO II

PRO FESTO S. JOANNIS BAPTISTAE.

Ostendit, eum fuisse magnum coram Domino.

THEMA : *Erit magnus coram Domino* (Luc. 1, 15).

Duplex in hoc mundo reperitur magnitudo, uno apparens et falsa, altera vera ; una coram servis, altera coram Domino ; una in oculis mundi, altera in oculis Dei. Magnitudo falsa et mundana a bonis extra nos positis oritur, de quibus Seneca Epistola 41. *Domum*, inquit, *pulchram habet, multum serit, multum foenerat, nihil horum in ipso est, sed citra ipsum.* Possidet rex sceptrum, coronam, purpuram, satellites, aurum, argentum, honorem, pompam, caeteraque bona externa, quae illum attolunt magnumque reddunt ; sed extra ipsum sunt, ac proinde tolle illa, et illico e magno parvum, e maximo minimum effeceris. Qua de causa mors sceptra ligonibus, Iros Croesis, pauperes regibus aequare dicitur, quia cum bona haec fucata detrahit, corpora cuncta in eundem pulverem redigit. Quare bona haec apparentia magnum hominem reddunt, at in speciem tantum, quemadmodum galeri aut tiarae ingentes capiti impositae. Si enim virtus desit, magnus est homo, seu potius magnus apparet, coram mundo et hominibus, non coram Domino et Angelis. Magnitudo autem vera e bonis internis, e donis spiritualibus, e gratia et virtutibus nascitur : quibus quia repletus fuit et cumulatus Sanctus Joannes Baptista, vere praedixit Zachariae patri ejus Angelus : *Erit enim magnus coram Domino.*

In hac igitur dictione S. Joannis magnitudines proferemus, ut ejus exemplo magni studeamus esse, non coram mundo, sed coram Domino Deo nostro.

I. S. Joannes magnus fuit gratia et donis internis.

I. Magnitudo vera et coram Domino consistit in bonis internis et spiritualibus, ut diximus, non in externis illis; non his dives fuit Baptista Domini. Conjice in illum oculos, vitam statumque ejus perpende, et externorum honorum nihil eum possidere deprehendes, adeoque apparentem et fucatam magnitudinem ab eo longe esse remotam conspicies. Nam primo, non palatium, non opulentam domum, sed eremum, sed antrum colit; non auro argentoque intertextas chlamydes, sed asperos cameli pilos induit; non exquisitis epulis, non delicatis bellariis, sed locustis et melle sylvestri pascitur; non vino massico aut falerno, sed lymphae potu sitim pellit; non satellitum famulorumque turma, sed Angelorum caterva stipatus incedit. Ac proinde, si externis duntaxat illum oculis metiaris, parvus tibi vel etiam minimus videbitur; at omnis gloria ejus ab intus, ubi vera est gloria et magnitudo. Gratia eminet singulari, unde et nomen trahit; fide splendet, spe attollitur, charitate flagrat, virginitate nitet, abstinentia fulget admirabili, paupertate ditescit, solitudine grandescit, oratione et contemplatione elevatur, omniumque virtutum incremento coelestis quidem gigas efficitur, cui illud Psalmi 18, 6 congruat: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Nec ullus dubitandi locus relinquitur, quin hunc gigantem diabolus ea in solitudine obstupuerit, tantamque virtutis molem exhorruerit, insidias quidem et certamina pararit; sed quotiescunque cum eo certarit, victus prostratusque abscesserit. Magnus igitur Joannes coram Domino, vera, non falsa ac fucata magnitudine.

Vultis et vos, charissimi, esse magni coram Domino? Ne quaeratis externa, non plausum et laudem hominum, non famen scientiae et doctrinae, non officia honorata et splendida coram mundo. Haec enim vere magnum non reddunt, sed virtus solida donaque spiritualia interna; proindeque haec sectamini, et magni coram Domino eritis.

II. Magnus fuit innocentia.

II. Altera magnitudo coram Domino consistit in vitae innocentia, puritate a peccatis. Hac mirifice fulsit Sanctus Joannes, qui in utero fuit in gratia confirmatus. 1. Peccatum mortiferum in omni vita non commisit. Unde Abbas *Guerricus* serm. in nativ. S. Joan. 1 n. 3 (ML. 185, 165) Joannis *sanctitatem* appellat *pene originalem;* quia in utero sanctitatem accepit, quam nunquam amisit. Mane ortus est tanquam lucifer, neque unquam e caelo, id est, gratia cecidit, quemadmodum de illo alio Isaiae 14, dicitur: *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris!* Ille mane ortus cecidit, noster mane ortus semper stetit. Singularis ergo fuit Sancti Joannis innocentia, singularis vitae puritas, singularis lucernae nostrae splendor, quem nulla peccati caligo potuit extinguere. *O rationalis lucernae inextinguibilis flamma!* exclamat *S. Laurentius Justinianus. Non enim humanis est extincta favoribus, neque temporalibus cruciatibus tepefacta; quin potius eo vehementius ardebat interius, quo exteriori amplius agitabatur impulsu.*

2. De peccatis levioribus, quae venialia dicimus, num in ea inciderit, quid asseremus? Galatinus L. 7, c. 9, et alii incidisse negant. Et Abulensis in Matth. 14, q. 40: *Communiter creditur Joannem nec venialiter peccasse; sicut Ecclesia cantat de eo: Ne levi saltem maculare vitam crimine posset.* Neque est a ratione alienum, tam singulari viro tam singulare privilegium esse concessum, tamen incertum (1): id vero certum, lucernam hanc ardentem et lucentem, minimum habuisse fumi, id est peccatorum venialium, si quae habuit. At de summa Joannis innocentia Summum Pontificem audiamus.

---

(1) Immunitatem ab omni peccato veniali certo confitetur Ecclesia de sola B. Virgine Maria; credibile tamen est, S. Joannem Baptistam caruisse quolibet peccato veniali pleno deliberato.

S. Gregorius Moral. l. 3, c. 7 (al. 5 v. ML. 75, 604): *Nunquid,* ait, *credimus aliquid fuisse, quod in ejus vita illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo et mel silvestre comedit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui disjunctus longe ab hominibus fuit? Quando illum vel silentii culpa attigit, qui venientes ad se tam vehementer increpavit, dicens: Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* S. Gregorio adstipulatur Venerabilis Beda, dicens: *Etsi principali sententia constat, quia in multis offendimus omnes, quis tamen nostrum dicere audeat beatum Joannem in actu, vel dicto, vel habitu, vel victu peccasse?* Homil. de Decoll. Joan. (ML. 94, 242).

Si volumus, dilectissimi, exemplo S. Joannis, esse magni coram Domino innocentia vitae: pergamus, ut coepimus, omne peccatum letale cane pejus et angue declinare, et simul pro viribus peccata venialia deliberate committenda evitemus. Hoc enim est quisque apud Deum major, quo est in oculis ejus perspicacissimis purior et innocentior.

III. Magnus austeritate et poenitentia.

III. Tertia magnitudo coram Domino, qua praecursor Christi excelluit, fuit admirabilis vitae austeritas et poenitentia: quae sane tanta extitit, ut vitam illius S. Chrysostomus angelicam nuncupet, et S. Petrus Damianus perpetuum martyrium, S. Basilius perpetuum jejunium appellet. *S. Chrysostomus* hom. 10 Matth. n. 4 (MG. 57, 188) *Joannes,* ait, *nec tecto indiguit, nec lecto; nec mensam, vel aliqua hujusmodi requisivit, sed angelica quadam vita in carne mortali resplenduit.* Et idem hom. 38 (ord. nov. 37, n. 2, MG. 57, 421): *Neminem vidit unquam conservorum; neque ab aliquo horum visus*

fuit: non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto, non foco, non alia re humana usus erat. Item: *Joannes ita in terris, quasi in caelo versabatur, natura namque omni necessitate superata, mirabile quoddam peregit iter; semper in hymnis, semper in orationibus fuit; nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua offerebat colloquia.* Ista vivendi ratio stupenda ita populum in admirationem rapuit, ut undique rebus propriis relictis, in desertum confluueret, praedicantem baptisma poenitentiae auscultaret, captusque ac persuasus Jordanis unda tingeretur, poenitentiam ageret, ac depravatos mores in melius commutaret.

Non est cuivis datum austerum ejusmodi rigidamque vitam auspicari, nisi a Numinis supremi efficace trahatur gratia. Quoniam vero Ordo religiosus status est poenitentiae, illi leviores saltem non desint poenae; easque assumat quisque, quas cum approbatione Superioris ad spiritus sui profectum existimat conducere; eaque sese consideratione animet: si magnus praecursor Domini, ea innocentia vitae et sanctitate coruscans, perpetuum jejunium perpetuumque subiit martyrium, quod mihi homini multorum criminum reo subeundum erit? Quid arduum ac difficile reputandum?

IV. Magnus officio.

IV. In hoc quoque egregia ejus magnitudo eluxit: quia magnus fuit *praecursor Domini;* cujus officium erat praeparare viam Domino et plebi adventantem Dominum praedicere. Fuitque expeditissimus Christi nuntius et ad ferenda Domini mandata, abjectis omnibus hujus vitae oneribus, paratissimus. Quamobrem *Rupertus* in Joannem l. 1 (ML. 169, 215): *Singulariter,* inquit, *missus est Joannes, cui nunquam subsistere, nunquam divertere, nullum vacuit cum saeculo sermonem habere, non domum, non agrum possidere, non affines agnoscere, sed urgente sermone Domini, urgente negotio mittentis pariter et subsequentis, nudus et expeditus currere habebat*

ante faciem ejus (Christi). Admirandus sane praecursor: intuere ejus vultum, habitum, victum, amictum, et expeditissimi praecursoris imaginem cernes. *Joannes,* inquit Matthaeus 3, 4: *habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erant locustae, et mel silvestre.*

Quam belle ob oculos hic nobis ponitur vitae apostolicae imago et delineatio! Si Domini praecursores esse, vitamque apostolicam suo tempore agere, ac viam Christo adventuro praeparare aveamus; paupertatem S. Joannis, nuditatem, omnisque sensualitatis mortificationem attendamus, et pro modulo nostro imitari studeamus, ut ad discurrendum in quaevis loca et regiones expediti inveniamur.

V. Magnus aliis favoribus extraordinariis.

V. Denique inquam plurimis aliis officiis, favoribus ac praerogativis magnitudo S. Baptistae eluxit: 1) Magnus fuit genere et natalibus, utpote a parentibus virtute et Aaronico sacerdotalique sanguine illustribus. 2) Magnus fuit nativitate, ex sterili utero parentibusque aetate provectis per miraculum genitus. 3) Magnus fuit, quia in utero sanctificatus et Spiritu Sancto repletus: *renatus antequam natus,* ait S. Gregorius in Job c. 2. 4) Magnus fuit, quia in utero et infantia rationis usu donatus Christum praesentem cognovit, et prae gaudio exiliit. 5) Magnus fuit, cui magnum nomen ab Angelo mirabiliter impositum: *Joannes est nomen ejus.* 6) Magnus fuit, quia a pueritia hominum consortia fugit admirabilemque in solitudine vitam egit: *Recessus montium, silvarum anfractus, et vallium subterjacens vastitas puero patriarchae domicilia praebuerunt,* ait S. Petrus Damianus. 7) Magnus fuit prophetiae dono, quia major illo propheta non surrexit, teste ipsomet Christo Domino Luc. 7, 28: *Dico vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.* 8) Magnus fuit Baptista a Deo ad baptizandum missus: *Qui misit me*

baptizare, Deus scilicet, *ille mihi dixit* (Joan. 1). 9) Magnus fuit doctor, 10) magnus martyr, 11) magnus humilitate, quia in corde suo minimus, licet officio, virtute et dignitate esset maximus. 12) Magnus fuit charitate et zelo animarum omnigenaque perfectione et sanctitate: *lucerna ardens et lucens,* et quaquaversum sanctitatis radios diffundens. Quae omnia stupenda, laudanda, et in laudem Conditoris ac S. Joannis vertenda.

VI. Atque ex praedictis omnibus illud resultat Christi Domini excellentissimum, sublimissimum maximumque praeconium, nulli Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum aut Sanctorum reliquorum concessum: *Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista.* Quae verba licet S. Hilarius et alii explicent non surrexisse prophetam majorem Joanne, nihilominus universim exponit *S. Ambrosius* [scil. Ambrosiaster] serm. 51, n. 5 (ML. 17, 709). *Praecellit,* inquit, *cunctis Joannes, eminet universis, antecellit prophetas, supergreditur patriarchas; et quisquis de muliere nascitur, inferior est Joanne. S. Augustinus* serm. 3, de Baptista n. 5 (ML. 38, 1310): *Missus est ergo summus homo, qui perhiberet testimonium ei qui plus esset quam homo. S. Chrysostomus,* praedicta Christi verba exponens serm. in Matth. 37 (al. 38, MG. 57, 421) ait: *Non peperit mulier Joanne majorem. S. Theodorus Studites: Et Prophetis, et Apostolis, et aliis omnibus revera prior est magnus praecursor.* Denique Cardinalis *S. Petrus Damiani: Eleventur omnes, et meritorum praerogativis ante consistorium Majestatis exultent; non erit tamen, qui ad Baptistae Joannis privilegium audeat aspirare.* Ita serm. 23 (ML. 144, 627). Et paullo ante: *Unus est et secundum non habet, qui choris intertextus angelicis, sublimioris coronae titulis, universitatis humanae transcendit ascensum.* Vere igitur magnus S. Joannes, imo maximus, quo inter natos mulierum major non surrexit.

Quae cum ita sint, charissimi, si et vos coram Domino magni esse cupiatis : 1) Omnia terrena quae caduca sunt et mundus magni ducit, despicite, interna vero, gratiam, virtutem, perfectionem, maximi aestimate ; 2) vitae innocentiam et a gravioribus aeque ac levioribus deliberatis peccatis puritatem sectemini ; 3) carnis mortificationem, austeritatem et poenitentiam, quantum sanitas et Superiorum sinit facultas, nunquam deserite ; 4) ut et vos praecursores Domini evadatis, et viam Domino in mortalium cordibus praeparetis, allaborate ; 5) denique praerogativas quam plurimas S. Joanni proprias admiramini, at virtutum decora, animi demissionem profundissimam, charitatem ardentissimam, zelum animarum invictissimum pro vestro modulo imitari satagite. Hac ratione magni coram Domino eritis, et cum magno Baptista in caelesti patria aeternum triumphabitis.

EXHORTATIO I

PRO FESTO S. JOSEPH.

Duodecim ejus honoris et gloriae titulos exponit.

THEMA: *Hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare* (Esther 6, 11).

Quodsi ea, quae sparsim de S. Josepho Beatissimae Virginis Sponso Scriptura Evangelica commemorat, in unum colligamus, eum profecto magnis laudum praeconiis commendatum ac multiplici gloria et honore coronatum esse reperiemus. Haec autem omnia cum Petro de Juliano Cameracensi Episcopo, ac postmodum, S. R. E. Cardinali ad numerum duodenarium redigemus, et veluti duodenos lapides pretiosos aureo velleri innectemus, eoque D. Josephum exornabimus. Vel coronam

stellarum duodecim (quomodo in Apocalypsi Virgini) Sancto huic fabricabimus, eaque regali stemmata satum coronabimus. Vel e rosis, liliis, cariophyllis, aliisque floribus duodecim sertum contexemus, quo floridum Deiparae sponsum redimitum exhibeamus. Vel honores duodecim e caelesti Assuero huic Mardochaeo mystico large liberaliterque concessos referemus, iisque patriarcham hunc gloriosum celebrabimus.

Age igitur, haec duodecim praeconia seu encomia velut duodecim cimelia, aut sidera, aut flores, aut honorum fastigia recenseamus, eo fine ut S. Josephum magnum, eximium ac sublimem Sanctum esse luce meridiana clarius cognoscamus, eumque singulari honore, amore, obsequio et cultu prosequamur. *Hoc* enim *honore condignus est, quem rex voluerit honorare.*

I. S. Joseph e stirpe regia oriundus.

I. Primus itaque sancti Joseph honor et gloria est, quod antiquissima nobilissimaque stirpe regia prognatus sit, et non duntaxat patriarchas Deo dilectos Abraham, Isaacum et Israelem, verum etiam Davidem, Salomonem, Manassem, Ezechiam, aliosque reges progenitores numerarit, teste Evangelista, qui librum generationis Jesu Christi Filii David ab Abrahamo inchoans, ita demum concludit: *Jacob genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (Matth. 1, 16). In quae verba Doctor mellifluus homil. 2, super *Missus est* n. 16 (ML. 183, 70): *Vere* (inquit) *de domo David, vere de stirpe regia descendit vir ille Joseph nobilis genere, mente nobilior.* Magna haec est S[i] Joseph gloria nobilitas generis; sed longe major nobilitas mentis, qua eximie floruit. *Nobilitas apud nos inventa est ad similitudinem illius, quae est apud Deum. Ille apud Deum nobilis est, quem Deus sua gratia sibi gratum facit. Ita in foro civili nobilis est, quem princips sua gratia gratum sibi et nobilem facit. Dubitare autem an dignus sit, quem princeps elegit, sacrilegii instar est,* inquit

Juris-Consultorum Dux Bartolus in L. 3, C. de crim. sacril. Utraque nobilitas conjuncta major utique gloria et honor est, quae sanctae patriarcha nostro effulget.

II. Christi et B. V. M. consanguineus.

II. Alter S^i Joseph honor et gloria, qua a Deo coronatus extitit, est quod non solum Virginis Matris Mariae, sed et Jesu Christi Redemptoris nostri sit consanguineus; nam et Virgo Beata descendit e Davidis sanguine, et Christus Davidis filius nuncupatur, et Joseph ex eodem stemmate et cognatione ortum ducit, Evangelista teste: *Missus est Gabriel Angelus a Deo... ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David* (1) (Lc. 1, 27). Si tantus honor est in Francia esse prognatum sanguine regio: quanta erit S^i Joseph gloria. Reginae caeli, ac caeli terraeque Monarchae Jesu Christo sanguine junctum esse? Sed et haec sanguinis conjunctio nihil ipsi utilitatis peperisset (uti nec Achaz, nec Salomoni, nec aliis regibus impiis profuit) (2) nisi gratia divina, justitia, et amicitia ac cognatio spiritualis accessisset; utraque viro associata duplex est gloria, quae in sancto Joseph mirifice elucescit.

III. B. V. M. Sponsus.

III. Tertius hujus Sancti honor et gloria, quibus exornatus fuit, est quod sacratissimae Dei Matris sit sponsus, ipsi matrimonii vinculo desponsatus, ut Evangelista commemorat. *Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*, et rursus: *Joseph virum Mariae*, non quidem more aliorum virorum carnaliter copulatus, sed casto virtuosoque amore ac matrimonio junctus. S. Gregorius

---

(1) Num *illa* verba enuntient S^i Joseph originem Davidicam, non est certum. Sunt, qui verba « de domo David » referant ad *Virginem*, quo Mariae ortus ex Davide pronuntietur. Ceterum S^mi Joseph ex Davide ortum esse, praeter genealogiam Matth. 1, 1-16 testantur clarissima verba Angeli ib. v. 20 « *Joseph, fili David, noli timere accipere conjugem tuam* ».

(2) Neque tamen certum est, Salomonem, vel etiam Achaz in sua impietate perseverasse in eaque mortuos esse.

Nazianzenus laudaturus Gorgoniae sororis suae maritum in panegyri funebri, ait: vultis uno verbo virum describam? *Vir erat illius.* Neque enim scio quid amplius dicere necesse sit, scilicet tam piae et sanctae conjugis. Simili modo, vultis uno verbo Josephum depraedicem? *Vir erat illius*, scilicet *Dei Matris*, qua nulla in terris, nec in caelis major, excellentior, atque sanctior excogitari potest; nec scio quid amplius dicere necesse sit. Tanta enim ea est gloria et felicitas, ut major reperiri nequeat.

IV. Quartus sancti hujus Patriarchae honor et gloria, qua fuit exaltatus, est quod fuerit Christi Domini nutritius et pater legalis, et Filii et Matris obsequiis deputatus. *Pater tuus et ego* (inquit B. Virgo) *dolentes quaerebamus te* (Luc. 2, 48). Si praeclarus existimatur titulus S. Joannis Evangelistae, omnium ore celebratus, et Christi ore pronunciatus: *Ecce filius tuus:* cur non etiam omnium ore celebretur titulus Joseph, Virginis ore prolatus: *Ecce pater tuus?* Quid majus est filium esse Virginis, an conjugem esse Virginis? Quid mirabilius filium dici Virginis Deiparae, an patrem Christi Optimi Maximi? De rege Macedonum Philippo Sabellius Orator disertissimus asserebat: Philippe, omnia reliqua tacitus praeteribo; *hoc unum dixisse sufficiat: filium te habere Alexandrum.* O gloriosissime Joseph! omnibus aliis omissis praeconiis tuis, hoc unum dixisse sufficiat: Filium te habere Deum, filium (inquam) infinita potentia, sapientia, clementia, opulentia, bonitate ac pulchritudine praeditum. O quid huic honori et gloriae adjici poterit. IV. Christi nutritius.

V. Quintus Christi nutritii honor et gloria, qua sublimatus fuit, est, quod virgo sit et virginitatis titulo decoratus. Quod enim Beata Virgine consentiente S. Joseph perpetuae virginitatis propositum votumque servarit, ex responso Gabrieli dato post desponsationem liquet: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Unde V. Virginitate conspicuus.

recte *S. Bernardinus* Serm. de S. Joseph ait: *Credo Joseph fuisse mundissimum in virginitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, ut esset adjutorium simile Virgini.* O quantus decor! quantur honor et gloria!

VI. Conscius arcanorum caelestium.

VI. Sextus Sancti hujus honor et gloria, quod ipsi, tanquam secretario intimo, arcana caelestia per Angelum revelata sint: de Incarnatione, de fuga in Aegyptum, de reditu in Nazareth, de redemptione mundi. Apparens enim ei trepidanti Angelus in somnis ajebat: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est* (Matth. 1, 20). Si tantus honor est intima regum consilia penetrare, quanta Josephi gloria est sublimissima caeli Monarchae arcana rimari?

VII. Justitia et sanctitate clarissimus.

VII. Septimus caelestis hujus Secretarii honor et gloria est justitia: *Joseph autem cum esset justus*, ait Evangelista. Quo nomine non una duntaxat justitia virtus specialis intelligitur, sed justitia generalis seu sanctitas vitae cum fide, spe, charitate omniumque virtutum honestate intelligitur. Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Credidit et Joseph Deo, Messiam nasciturum ex Virgine et Spiritus Sancti spiramine, et reputatum est ei ad justitiam. Vere Eusebius Caesariensis Lib. 7 de Praep. Evang. c. 8 (1): *Aderat* (inquit) *Joseplio libertas animi, pudor eximius, justitia, modestia, prudentia summa; sed pietate in Deum maxime praestabat.* Atque in his secundum nominis sui etymon semper crescebat: cui benedictio illa Joseph filii Jacob apprime convenit: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens.* Genes. 49 Paginus vertit: *ut ramus crescens Joseph; ut ramus fructificans juxta fontem*, et proferens flores et fructus omnigenae perfectionis et justitiae.

(1) Haec vero de Joseph Aegyptiaco dicuntur (MG. 21, 521).

Nonne Infans ille, quem Joseph amplectebatur, cujus pedes saepe osculabatur, juxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, et virtutibus crescebat, omnium bonorum fons erat uberrimus?

Quam bene ergo juxta fontem crevisse censendus est in justitia et sanctitate Joseph filius accrescens, plus quam alter Joseph filius Jacob? o quanta laus! quanta gloria!

VIII. Nominis Jesu promulgator.

VIII. Octavum Joseph justi decus est, quod sanctissimum Jesu nomen, ab aeterno decretum atque impositum, ab Angelo Gabriel in tempore revelatum, ab ipso Joseph hominibus solemniter sit promulgatum. Nam ut perhibet Evangelium, dictum ipsi ab Angelo est: *Vocabis nomen ejus Jesum* (Matth. 1, 21). Quod et ipse fidelissime praestitit; subjungitur enim (Lc. 2, 21): *Postquam consummati sunt dies octo,... vocatum est nomen ejus Jesus.* O quantus honor! Quantum tibi debemus, o Joseph! quod nobis hoc venerabile Nomen, in quo omne genu flectitur, caelestium, terrestrium, infernorum, promulgaveris! Quantum tibi debemus, quod hoc amabile nomen, quod est in ore mel mirificum, in aure dulce canticum, in corde nectar caelicum, patefeceris?

IX. Particeps mysteriorum fidei.

IX. Nonum viri hujus sancti ornamentum est quod particeps mysteriorum fidei extiterit, et in ejus praesentia tot ac tanta fidei mysteria declarentur. Christo enim et nato, et a pastoribus invento, et circumciso, et a Magis adorato, muneribusque honorato, et in templo praesentato, et in medio doctorum reperto praesens adfuit Joseph. *Invenerunt* (ait Evangelium Lc. 2, 16) *Mariam et Joseph, et Infantem positum in praesepio. Tulerunt illum* (puerum Jesum) *in Jerusalem* (scilicet Joseph et B. Virgo), *ut sisterent eum Domino* (Lc. 2, 22). Ipse quoties Jesum tulit in brachiis? quoties amplexatus? quoties pectori appressit? O quanta gratia! Semel Simeon Christum in ulnas accepit, miroque exhilaratus gaudio

canticum Deo cecinit; at Joseph non semel, sed saepissime eundem optatissimum Messiam brachiis tulit et amplexatus est: quaenam ergo cantica, quas gratiarum actiones corde et ore retulerit? Recubuit semel duntaxat caput Joannis Evangelistae super pectus Christi; recubuit pectus et caput Christi, imo totus Christus super Joseph saepe. Si igitur Joannes in signum amoris dictus est *discipulus, quem diligebat Jesus;* quis titulus, quae laus, quis honor Joseph debebitur, ad cujus pectus toties piissimus Jesus recubuit et in cujus ulnis toties requievit? cumque non solum digito monstravit ac semel, ut Sanctus Baptista, sacrum ejus verticem tetigit : sed humeris innixum, in Aegyptum fugiens, deportavit ac sollicitudine paterna praesentissimo discrimini subduxit?

X. Veterum et novorum Prophetarum oracula edoctus.

X. Decimum Si Joseph encomium et laus fuit, quod non solum veterum, sed et novorum prophetarum oraculis de his edoctus, quae Salvatori mundi veroque Messiae in vitae decursu erant eventura: nam Simeon Spiritu Sancto afflatus benedixit eis, et prophetans de Christi Passione ad Mariam Matrem Jesu dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius,* doloris scilicet et compassionis in morte Filii. *Et positus est hic in signum, cui contradicetur.* Haec ipse non solum audire meruit, sed et ex parte impleri conspexit: non enim duntaxat primus post Virginem caelestem Sponsum e thalamo prodeuntem in praesepio Bethlehemitico vidit, primus adoravit, primus caelestis mannae e caelo venientis dulcedinem degustavit, primus post longissimam noctem Solem orientem intuitus est, natumque postea enutrivit, coluit, amavit; sed et Herodis persecutionem patientem in Aegyptum detulit, manuum labore sustentavit, paupertatem molestiasque inter barbaras gentes sustinentem experientia didicit.

XI. Familiaritate Angelica donatus.

XI. Undecima Joseph laus et gloria est quod non solum prophetica allocutione, sed etiam angelica fami-

liaritate et alloquio saepe fuerit recreatus: 1) quidem cum Incarnatione peracta dubius fluctuaret, audiit: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* 2) Imminente Herodis persecutione apparuit ei Angelus in somnis dicens: *Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum.* 3) Defuncto Herode, rursum Angelus: *Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel.* 4) Redux in Israel Archelaum pro patre regnantem veritus, et ab Angelo admonitus, secessit in partes Galilaeae. Si honor est vel semel cum Angelo loqui, quantus erit toties ab Angelo moneri et edoceri?

XII. In Jesum et Mariam potestate praeditus.

XII. Duodecimus honor et gloria Joseph est, quod non solum Dei Mater et caelorum Regina ac Domina Angelorum, sed et Dei Filius Rex regum et Dominus dominantium ac monarcha Angelorum ipsi subditus fuerit. De Virgine Matre quis dubitat? cum vir sit caput mulieris et sponsa sponso sit subdita ac ejus potestati subjecta? De Filio quoque adstruit Evangelista: *Et erat subditus illis.* Mirabile quidem fuit solem in caelo stare (Josue c. 10), *obediente Domino voci hominis.* Sed multo fuit mirabilius justitiae Solem in terras retrogredi ac descendere, incarnatumque Deum voci Joseph veluti patris obedire, *erat* enim *subditus illi* (cf. Luc. 2, 51). *Haec subjectio* (ait Gerson) *sicut inaestimabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Joseph et Maria.* O mira et stupenda novitas: subditur servo Dominus, humiliatur homini Deus!

Ecce, charissimi, hi sunt duodecim honores a caelesti Assuero Joseph, tanquam alteri Mardochaeo, decreti; haec sunt duodecim cimelia aureo Josephi velleri infixa; haec sunt duodecim sidera in diademate Josephi radiantia; hi sunt duodecim flores purcherrimi et odoratissimi, in ejus serto fragrantes. Sic honorabitur, sic gloria et honore coronabitur, quem Rex caelestis voluerit hono-

rare. Cuinam Sanctorum similia evenere? Plures Sancti oriundi fuere e prosapia regia; sed non e familia et consanguinitate Jesu et Mariae, veluti Joseph. Plures Sancti fuere virgines; sed non Virginis virginum sponsi, ut Joseph. Plures Sancti fuere prophetae et conscii arcanorum caelestium; sed non adfuere praecipuis fidei nostrae mysteriis, ut Joseph. Plures Sancti fuere justi ac sanctitate illustres; sed non fuere Christi Domini nostri nutritii; servi fuere, non patres, ut Joseph. Plures Sancti Angelis fuere familiares, sed non domestici Jesu et Mariae, nec hos subditos habuere, ut Joseph. Omnia charismata, in aliis sparsa, in uno Joseph fuere collecta. Imo reliqua, quae aliis negata, uni Joseph fuere concessa. Joseph e stirpe regia oriundus; quid clarius? Joseph Jesu et Mariae sanguine junctus; quid honestius? Joseph Deiparae sponsus; quid amabilius? Joseph Jesu Christi Redemptoris nostri nutritius; quid optabilius? quid majus et excellentius? Joseph arcanorum caelestium conscius; quid illustrius? Joseph virginitate, justitia, sanctitate, in Jesum et Mariam potestate inclytus; quid gloriosius? Quid igitur Sanctorum reliquorum Josepho erit comparandus, aut anteponendus? O quantus Sanctus! Quam in caelo gloriosus! Quam Jesu et Maria carus! Quam potens patrocinio apud Jesum et Mariam! de quo Sancta Theresia dicere ausa (in vita c. 6). *Non memini me aliquid ab eo petiisse, cujus me compotem non reddiderit.* Sic igitur honorabitur, quem Deus voluerit honorare. Hunc et nos honoremus, colamus, amemus, invocemus, et opem ejus in die tribulationis certo certius experiemur.

EXHORTATIO II

PRO FESTO S. JOSEPH.

Ostendit S. Josephum peculiarem esse Societatis Jesu Patronum.

THEMA: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph* (Matth. 1, 18).

Facile applicabitur alteri Ordini Religioso.

Si post Virginem sanctissimam Dei Matrem ullum Sanctorum peculiari devotione populus christianus prosequitur, jure merito is est S. Joseph Sanctae Virginis Mariae sponsus, Christi Domini nutritius. Omnes enim gratiae, favores, dona et charismata in aliis Sanctis sparsa, in uno Joseph fuere collecta: imo quae reliquis fuere negata, uni Joseph fuere concessa. Plures Sancti fuere oriundi e prosapia regia, sed non e familia et sanguine Jesu et Mariae. Plures Sancti fuere virgines, sed non Virginis virginum sponsi, ut Joseph. Plures Sancti fuere prophetae, et conscii arcanorum caelestium, sed non adfuere praecipuis religionis nostrae mysteriis, ut Joseph. Plures Sancti fuere justi ac sanctitate illustres, sed non fuere Christi nutritii; servi fuere, non patres, ut Joseph. Plures Sancti Angelis fuere familiares sed non domestici Jesu et Mariae, nec hos subditos habuere, ut Joseph. Sic honorabitur, quem Rex caelestis voluerit honorare. Ob quae praestantissima et sublimissima charismata merito omnis populus christianus singulari honore et obsequio tantum Sanctum prosequitur. Ut vero nos in ejus cultu et devotione crescamus, causas nonnullas proferam, quae illum peculiarem Societatis nostrae patronum esse, adeoque singulari a nobis devotione colendum ostendent.

I. S. Joseph Societatis patronus, quia fuit nutritius Jesu.

I. Titulus primus colendi S. Joseph tanquam peculiarem Societatis patronum est, quia fuit nutritius et pater

dictus Domini nostri Jesu Christi, Societatis Jesu Imperatoris, Ducis et Archistrategi, sub cujus vexillo militat. Ac proinde quidquid obsequiorum in Deum nostrum contulit, a quo et *Esse* et nomen et omnia habemus, id merito sibi quodammodo collatum grata agnoscit Societas Jesu. Quid enim? S. Joseph Christum nondum natum una cum Virgine Matre in Bethlehem deduxit, natum adoravit, in brachiis gestavit, amissum dolens quaesivit, ut Herodis furori eriperet in Aegyptum deportavit, et septennio manuum suarum labore aluit, ab injuriis populi barbarici defendit, Dei monitu, Herode mortuo, in terram Israel et in Nazareth reduxit. Quae omnia ingentia cum sint beneficia et obsequia Jesu Regi nostro et Capitaneo ac Capiti Societatis Jesu cohortis praestita, quis non videt eadem quoque membris ac militibus ejus fuisse exhibitia, ac propterea singulari devotione hunc Sanctum esse colendum? Et quidem (quod omnino peculiare est) ipse sanctissimum Jesu nomen, quo honoratur et gloriatur Societas, ab aeterno ei decretum, atque impositum, ab Archangelo Gabriele in tempore revelatum, hominibus solemniter promulgavit : nam (ut testatur Evangelium) dictum ipsi ab Angelo est: *Vocabis nomen ejus Jesum*. Quod et ipse fidelissime praestitit; subjungitur enim: *Postquam consummati sunt dies octo,... vocatum est nomen ejus Jesus*. O quantum igitur debet Societas Jesu huic Sancto, quod hoc venerabile nomen, in quo omne genu flectitur, caelestium, terrestrium et infernorum, et quo Societas quoque gaudet, ipse promulgaverit? Quantum ipsi debemus, quod hoc amabile nomen, quod est in ore mel mirificum, in aure dulce canticum, in corde nectar caelicum, patefecerit, et Christo indiderit? Quo facto Societas hoc venerabile nomen et ore et calamo et in literis et in insignibus praeferre valet.

Laus igitur et gratiarum actio tibi, sanctissime Joseph, quod tot obsequiis Jesum Ducem, Societatis Auctorem et

supremum Archistrategum educaveris, eique nutriveris, curam paternam gesseris, quodque gloriosissimum Jesu nomen Infanti Divino imposueris, cujus excellentia eandem ut plurimum delectat, ita ad maxima quaeque pro Nominis hujus gloria orbe toto agenda animatur; ac propterea tibi, o sancte Joseph, vel maxime devinctam se profitetur, teque ut tutelarem suum praecipua devotione veneratur.

II. Quia sponsus Deiparae.

II. Alter titulus, ob quem Societas merito S. Joseph tanquam patronum peculiarem colit, est, quod sit sponsus sanctissimae Dei Matris, ipsi matrimonii vinculo desponsatus, ut Evangelistae commemorant: *Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph,* et: *Joseph virum Mariae,* non quidem more aliorum virorum carnaliter copulatus, sed casto virtuosoque amore junctus. Atque hoc titulo: quia sponsus est Deiparae, quae est 1) Mater Jesu Imperatoris nostri, cujus tota est quanta, quanta est, Societas; 2) quae Mater quoque spiritualis fuit S. Ignatii fundatoris Societatis, qui novae vitae tirocinium positurus B. Virgini se commendavit, sub ejus invocatione castitatis voto se obstrinxit, in monte Serrato ad ejus aram se sacrae militiae tironem ei stitit atque obtulit; 3) quae Mater quoque fuit primaevae Societatis atque primorum decem Patrum, qui Parisiis in monte Martyrum in ejus templo ante ejus effigiem festo Assumptionis prima Societatis Jesu incunabula et fundamenta sub ejus invocatione jecerunt, dum castitatis voto sese obstrinxerunt; postmodum Romae in templo S. Pauli ante aram ejusdem sanctissimae Virginis professionem solemnem, hac formula: *coram Sacratissima Virgine Maria,* emiserunt, non sine singulari erga Virginem devotione ac tenerrimae pietatis lacrimis, tum ab Ignatio, tum ab aliis profusis: his, his, inquam, de causis omnino par est, sanctum Joseph tanquam Virginis sanctissimae, Matris suae spiritualis, sponsum maxima

veneratione ut peculiarem tutelarem coli. Et quidem eo magis, quo insigniori castitatis honore Sanctus Joseph refulsit; virgo enim fuit, et virginitatis titulo decoratus, et virginitatis Dei Genetricis defensor et custos, ut ex responso Virginis Gabrieli dato post desponsationem liquet: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ex quibus verbis constat, Virginem, consentiente Sancto Joseph, perpetuae virginitatis votum ac propositum servasse. Cum igitur Sanctus Ignatius singularem a Beatissima Virgine castitatis gratiam et spiritum obtinuerit, ab eo in universam Societatem quodammodo propagatum, patet, quo honore et devotione castissimae Virginis castissimum sponsum et virginitatis ejus tutorem prosequi debeat.

III. Quia patronus S. Ignatii.

III. Tertius titulus peculiaris erga sanctum Joseph venerationis est, quod S. Ignatius patriarcha noster facem nobis filiis praetulerit, ac solidissimo eundem honore prosecutus, familiae suae patronum visus sit adscivisse: fuit quippe in ejus cubiculo imago, sanctum Joseph unaque cum Jesu et Deiparam referens; ante hanc et sacrificabat ipse et preces fundebat, imo coram hac ipsa sancti Joseph icone suas in charta annotationes altari imponebat, et dubiis suis consilium, obscuris lumen flagitabat: ibi filiis observanda annotabat, Deipara scilicet consultrice et S. Joseph consiliario, auspice et sequestro. Testis pariter Ignatianae in Joseph pietatis est aureus ille exercitiorum libellus, qui Deipara Josephi sponsa adjutrice ac Magistra conscriptus, saepius Joseph actus mores, officia et affectus accurate perpendendos proponit, atque ad eosdem pro viribus imitandos (qui optimus hujus Sancti colendi modus est) hortatur et impellit.

Amavit igitur Josephum Ignatius, nec otiose, sed verbo amavit et exemplo, dum post Christi ac Virginis imitationem sibi filiisque suis caeleste hoc exemplar Josephum imitandum non uno in loco praescripsit.

IV. Quartus titulus est, quia ab innumeris ex universa Societate cultus et peculiaris venerationis exemplum praebetur erga sanctum Joseph. Neque enim degener a praecelsis sancti parentis cogitationibus reliqua fuit familia Societatis, quae praecipuam semper in eo locavit operam, ut non solum nominis, sed et amoris in Joseph Jesu socia fieret; ut hunc Jesu Nominis promulgatorem amandum celebrandumque omnibus, quaqua posset, divulgaret. Nec irritus cecidit conatus. Praeterquam enim quod in plerisque, quae copiosa per Europam sparsa sunt, domiciliis, templa vel sacella vel adolescentum seminaria ejus nomine insignita recenseat, vel in hac nostra Rheni inferiori provincia, quot ejusmodi honoris et amoris reperiuntur insignia? ab hoc Sancto nomen praeferunt eidemque consecrata sunt templum Novesiense, gymnasium Embricense et Hildesiense, sacellum Aquisgranense, aliaque. Quin et ut ejusdem Sancti cultum in Asiam, Africam et Americam transferret, studiosissime laboravit Societas, et eo quidem fructu, quem publico bonorum omnium solatio litterae ex ultimis alterius Orbis partibus in annuas litteras relatae renunciarunt. Ex America ita legimus: Locus nullus sub caelo est, ubi majore solemnitate ac laetitia S. Joseph natalis, quam in Canada Americae provincia celebratur, ignibus festivis, tormentorum explosionibus, conventuque hominum quam unquam frequentissimo dies hic agitur. Primus gentis hujus regulus salutaribus undis ablutus Joseph nomen accepit. Tanta in Paraguariensi provincia erga sancti Joseph nomen veneratio, ut tota illa e gentilitate ad fidem orthodoxam traducta provincia sancti Joseph colonia nominetur. Ita quocunque graditur Jesu Societas, graditur autem quo sol pertingit, cum nominis hujus gloria etiam nutritii ejus cultum indefesse propagat.

IV. Quia patronus virorum illustrium Societatis.

Longum foret retexere seriem eorum, qui e Societate Jesu peculiari Sanctum hunc cultu et amore fuere

prosecuti. Unus omnium loco memorandus venit venerandus P. Balthasar Alvarez usque eo provectae sanctitatis, ut sancta virgine Theresia, quae eum a confessionibus venerabatur, teste, nemo ex aetatis illius hominibus altiorem perfectionis gradum tenuerit ; huic sacram aedem Lauretanam pie visitanti Virgo Deipara coram aspectabilem se praebuit, utque speciali sponsum suum Joseph amore et cultu prosequeretur commendavit. Ita nempe Dei Filius sui amantibus amorem etiam suae Genitricis insinuat, et Deipara pariter valentes apud se gratia sui sponsi facit amatores. Et quid minus ea, quam pallio suo fovere visa est, Mariae filia, Jesu socia (Religio) agere queat, quam ut hujus nutritium, illius sponsum, peculiari conatu ac devotione colendum susciperet ?

Illa etiam ingeniosa prae reliquis Jesu Sociorum in propagando S^i^ Joseph cultu industria laudem meretur, quod verbo et exemplo populos ad ejus amorem vocare non contenti, plurimis idipsum libris de ejus laudibus, praerogativis, et gloria conscriptis et posteritati relictis etiam mortui agere non desistant. Taceo Suarios, Canisios, Barradios et Raynaudos, Salmerones et Bolandos, Morales et Coretos, Barrios et Nadasios, Jaquinotios et Allozios, Masollos et Binetos, aliosque quam plurimos, qui omnes expedito calamo piae mentis sensa et destinata Josephi amoribus alimenta conscripsere, ut quo ipsi pertingere non possent, ibidem in sui ingenii monumentis Josephum amandum colendumque proponerent.

Quapropter horum Josephi cultorum exemplo Sanctum hunc tanquam peculiarem Societatis nostrae patronum veneremur, ut qui non solum Jesu Redemptoris, Salvatoris et imperatoris nostri, curam gessit, nobis eum educavit et mille obsequiis prosecutus est ; verum etiam sanctissimum Jesu Nomen, quo gloriatur Societas, eidem in circumcisione imposuit. Deinde hunc castissimae Virginis castissimum sponsum, et Deiparae

Matris nostrae Societatis amantissimae conjugem ejus exemplo amore singulari complectamur. Exemplo sancti patriarchae nostri in dubiis, in obscuris atque perplexis ad eum velut consiliarium et lumen nostrum cum fiducia recurramus. Ac denique cum tot illustribus Societatis nostrae viris magni hujus Sancti cultum, honorem et venerationem verbo et exemplo, scriptis et libris, quaqua licet, propagemus. Ita vicissim S. Joseph primus Jesu in terris degentis socius, qui Jesum in terris commorantem tuitus est, educavit, protexit, defendit, cum Jesu in Jesu Socios curam, oculos, et affectum dirigere, eosque sibi devotissimos paterna sua protetectione protegere, regere atque defendere non dedignabitur.

EXHORTATIO I

PRO FESTO MAGNI ECCLESIAE DOCTORIS S. AUGUSTINI.

Anima religiosa ejus exemplo serum suum erga Deum deplorat amorem. Per modum meditationis, aut modi secundi orandi.

THEMA: *Vos estis lux mundi* (Matth. 5, 14); vel: *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, sero te amavi.* S. Augustinus in Soliloq. [scil. illis non genuinis] c. 31).

Quod aeterna Veritas de Apostolis pronunciavit (Matth. 5, 14): *Vos estis lux mundi,* ut nimirum mundum errorum, ac vitiorum tenebris obscuratum luce doctrinae, vitaeque evangelicae illuminetis, veluti S. Hilarius exponit, idem merito de magnis Ecclesiae sanctae Doctoribus asserere licet: *Vos estis lux mundi* l. c. Quemadmodum sol illuminat cloacas putridas, sed ab iis non sordidatur: ita Angelus homines, vir puerum,

ita Doctores sancti homines carnales instruunt ; sed nullam ab eis maculam contrahunt ; mente velut sol in caelo versantur, sed inde radios in terram spargunt, quibus eam illustrant et verbis atque exemplis calefaciunt et accendunt. Ejusmodi lux mundi, ejusmodi sol vere fuit sanctus Pater Augustinus, qui totum mundum doctrinae et vitae suae radiis illuminavit. Sol et lux fuit Africae, in qua episcopatui summa laude praefuit. Sol et lux fuit Asiae, Americae et Europae, totiusque Ecclesiae, quas sua eruditione instruxit, haeresibus liberavit, erroribus purgavit, sanctitatis fulgore perstrinxit. Sol et lux fuit duplici Ordini suo Canonicorum Regularium et Eremitarum, quibus regulas sanctissimas praescripsit, quas deinde alii Ordines quadraginta amplexi sunt. Sol et lux est nobis quoque, quotquot hic praesentes sumus. At quid haec lux ostendit ? Quid magnus hic Doctor nos docet ? Innumera omnis perfectionis tradit documenta, quae magna et multa ejus volumina complectuntur.

At omnibus illis hac vice praeteritis, unicum duntaxat ex libris Confessionum proferemus, quo religiosam animam serum suum ergo Deum amorem lamentari et deplorare, exemplo suo, ac verbo hortatur atque docet, dicens : *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua.* (ML. 40, 890). Quam sententiam per partes exponemus.

I. Sero. 1. *Sero te amavi.* Si in Sanctos Deum in caelesti gloria perpetuo faciem contemplantes dolor quispiam cadere posset, eo vel maxime tangerentur dolore, quod vel momentum vitae suae mortalis absque Dei tam amabilis, tam pulchri, tam boni amore praetermisissent. Ita Sancti in hac vita mentis oculos aperientes caecitatemque priorem agnoscentes Deique bonitatem clarius intuentes, dolent ac deplorant, tot vitae suae dies, menses et annos absque Dei sui adeo boni ac pulchri amore esse praeterlapsos. Ex his fuit magnus Augustinus: natus is

est Tagaste in Africa patre Patricio, matre Monica femina sancta, a qua pie et catholice quidem educatus, at lapsus est in haeresin Manichaeorum, in qua usque ad annum trigesimum tertium perseveravit, adeoque hos omnes annos male impendit, Deum non amavit, quod unice deplorat, dum Soliloq. c. 31 exclamat: *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, sero te amavi: vae tempori illi, quando non amavi te!*

Sero te amavi. Quia 1. Non amavi te in infantia, quando defectu usus rationis, quemadmodum et alii infantes, amare te non poteram. *Tu Domine Deus meus, dedisti vitam infanti et corpus* (Lib. 1 Confess. Cap. 7, n. 12, ML. 32, 666), *quod... instruxisti sensibus, compegisti membris, figura decorasti... Hanc ergo aetatem, Domine, quam me vixisse non memini..., piget me annumerare huic vitae meae, qua vivo in hoc seculo... Quod si in iniquitate conceptus sum, et in peccatis me mater mea in utero aluit, ubi, oro te, Deus meus, ubi, Domine, ego servus tuus, ubi aut quando innocens fui?* Hoc ergo tempore (toto septennio) non amavi te, quia non cognovi te; ideoque *sero te amavi.*

2. *Sero te amavi:* Non enim amavi te in pueritia, a septimo ad quartum decimum aetatis meae annum; quando Tagaste grammaticae aliisque liberalibus artibus operam dabam. *Ab infantia veni in pueritiam:* (Lib. 1, Confess. c. 8). *Deus, Deus meus* (Lib. 1, Confess. c. 9), *quas ibi miserias expertus sum et ludificationes!... Inde in scholam datus sum, ut discerem literas, in quibus quid utilitatis esset, ignorabam miser, et tamen si segnis in discendo essem, vapulabam..... Et peccabamus minus scribendo, aut legendo, aut cogitando de literis, quam exigebatur a nobis..... Et delectabar ludere.* Atque ita amore lusus et literarum odio instar pueri me gessi, te parum amavi, quia parum cognovi. *Sero te amavi.*

3. *Sero te amavi.* Nam tam in adolescentia, quam in

juventute mea te non amavi. Illo enim tempore *quid me delectabat nisi amare et amari* a creaturis? (L. 2. Confess. c. 2 l. c. col. 675). *Sed exhalabantur nebulae de limosa concupiscentia carnis et scatebra pubertatis et obnubilabant et obfuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis a caligine libidinis. Utrumque in confuso aestuabat et rapiebat imbecillem aetatem per abrupta cupiditatum, et mersabat gurgite flagitiorum.* Et quando postmodum coepi habere nonnullam Dei cognitionem, illum timere quidem coepi, sed nondum perfecta dilectione complecti. *Nec me revocabat* (Lib. 7, Confess. c. 16) *a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii tui?* Ac proinde eo tempore te nondum dilexi: *Sero te amavi.*

4. *Sero te amavi;* quia sero te cognovi, donec tandem circa tricesimum aetatis meae annum, post pium cum Alipio intimo meo colloquium habitum, ita lacrimas solutus sum, et ut liberius lacrimas funderem ab eo secessi, sub arbore ficus stravi me: ubi *dimisi habenas lacrimis, et proruperunt flumina oculorum meorum. Jactabamque voces miserabiles: Quamdiu? cras, et cras? Quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meae? Dicebam haec et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis et crebro repetentis...: Tolle, lege; tolle, lege. Statimque...represso impetu lacrimarum, surrexi... Concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei* (Rom. 13, 13 sq.). *Non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione; sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere; nec opus erat. Statim quippe cum fine hujus sen-*

tentiae quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebrae diffugerunt. Conf. l. 8, c. 12 (ML. l. c. 762). Et dixi: *Dirupisti vincula mea:* et novam, accedente etiam B. Ambrosii instructione, vitam auspicatus sum; et sic in dies magis magisque coepi divino amore inardescere.

Charissimi, haec est lamentatio Augustini dolentis et deplorantis tota vita usque ad annum sextum et septuagesimum protracta, quod primos triginta tres annos amori divino non impenderit. Hinc exclamat: *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua: pulchritudo tam nova, sero te amavi.* Et mox veluti damnans ac detestans hanc vitam, subdit: *Vae tempori illi, quo non amavi te.* Examinate nunc vos vitam quoque vestram; et clare perspicietis, vos eadem verba ingeminare posse: *Sero te amavi.* Non enim amavistis Deum in infantia, quia eum non cognovistis; non in pueritia, quia eam in nugis puerilibus, in lusu, inobedientia, iracundia, vanitate transegistis. Docet quidem Doctor Angelicus Quaest. 89, Art. 6, hominem circa annum septimum, ubi primum rationis usum nanciscitur, teneri actus amoris divini elicere, sub peccati gravioris poena. Sed elicuistisne vos ejusmodi amoris Divini actum? Si juventutem vestram expendatis, quod vitiis et peccatis, quot cupiditatibus et vanitatibus illam traduxistis, quando cum aetate semper crevit malitia? Considerate reliquam aetatem usque in hodiernum diem. An non exclamare cum Augustino potestis: *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, sero te amavi?* Sed quid remedii? Non aliud nisi ut cum eodem Sancto dolorem concipiatis et desideriis actibusque ferventioribus compensetis damnum.

O Deus meus, pulchritudo summa et omne bonum meum! O si te amare potuissem primo vitae meae momento, quo a te corpus et animam obtinui! O si te amare potuissem illa hora, qua sacra Baptismi lympha

tinctus et ab originali macula ablutus sum! O si te amare coepissem saltem septimo aetatis anno, quo usu rationis a te dotatus sum! O si te amassem toto juventutis meae tempore, et loco scelerum et affectuum pravorum in ardentissimos amoris actus erupissem! O si saltem amorem serio auspicatus essem, dum Ordinem religiosum ingressus sum! Verum cum id neglexerim, *sero te amavi*, doleo, negligentiam damno, et omni meliore modo cum gratia tua compensare allaborabo.

II. Tr. II. *Sero te amavi.* Ab adverbio *sero* veniamus ad objectum amoris, scilicet Deum O. M. Quem si accuratius meditemur, ac consideremus, longe majorem dolendi causam deprehendemus neglecti amoris. *Sero* itaque *amavi te.*

1. *Te Deum Patrem ingenitum, Te Filium unigenitum, Te Spiritum Sanctum Paracletum, Te sanctam e individuam Trinitatem.* (Cf. medit. c. 11 op. supposit., ML. 40, 909) omni omnium mortalium et Angelorum amore longe dignissimam, *sero amavi.*

2. *Te, Deus pie, Deus bone, Deus omnipotens, Deus ineffabilis et incircumscriptae naturae, institutor rerum omnium:* principium et finis, Alpha et Omega (in meditat. c. 17), Conditor et auctor meus, *sero amavi.*

3. Te Deum meum *sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio verum, sine loco ubique totum, sine sito ubique praesentem, sine extensione omnia implentem... In magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inaestimabilem* (in medit. c. 12), te talem ac tantum ah! *sero amavi.*

4. *Te, pulchritudo tam antiqua* (Soliloq. cap. 31) pulchritudo aeterna, quia ab aeterno floruit et in aeternum florebit, nec unquam marcescet! O me caecum et stolidum! qui terrenam brevem et evanidam mortalis cujus-

dam pulchritudinem dilexi, quae instar floris cito evanescit, instar cadaveris brevi putrescit, instar aurae mox mutatur et levi morbo contabescit; et te, pulchritudo tam antiqua, tam longa, tot annorum millionibus perennans, *sero amavi.*

5. *Te, pulchritudo tam antiqua et tamen* tam nova, quae non, ut in hominibus accidit, veterascit, sed veluti sol semper manet nova, quam quoties in hac vita consideramus, semper novas et novas pulchritudines invenimus. *Pulchritudo tam nova,* tam recens, ut licet Beati, homines et Angeli, Cherubini ac Seraphini tota aeternitate aspiciant, nova et nova sine fine intueantur; tam nova, ut post millenas annorum myriades tam recens atque nova Beatis videatur, ac si hodie primum intuitum auspicarentur; *tam nova,* tam admiranda, tam amabilis atque desiderabilis, ut nunquam tota aeternitate ejus aspectu sint satiandi. Et ego, o pulchritudo tam nova, tam mirabilis, tam *sero* ac segniter *amavi!*

6. *Te pulchritudo tam antiqua,* tam nova. In qua quidquid pulchritudinis est in sole, luna et stellis, in auro ac metallis, in smaragdo, adamante et gemmis; quidquid pulchritudinis invenitur in rosis, liliis et floribus, in cedris, herbis et plantis; quidquid pulchritudinis cernitur in bestiis terrae, in piscibus maris et volatilibus caeli, in leonibus et pantheris, in triglis et balaenis, in pavonibus et cygnis; denique quidquid pulchritudini elucet in hominibus formosis, juvenibus et virginibus, in Angelis, Cherubinis et Seraphinis et cunctis speciosissimis et gloriosissimis caeli incolis, perfectissimo et eminentissimo modo continetur. Et ego *sero te amavi, te bonum, sine quo nihil bonum,* in quo omne bonum. Soliloq. c. 1.

Sed nunc quam doleo, tot horas, tot dies, tot menses, tot annos absque tui amore effluxisse! Non erit sic deinceps. Sed diligam te, fortitudo mea; diligam te, pulchritudo mea; diligam te, o bonum super omne

bonum, o pulchrum super omne pulchrum, ex totis viribus meis et ex intimis medullis meis.

III. Amavi. III. *Sero Te amavi.* Excutiamus denique particulam tertiam et voculam *amavi*. Non amavi, quia non cognovi: *Nihil* enim *volitum, quin praecognitum*, et *Ignoti nulla cupido*, nullus amor.

1. Non amavi: amare enim est bene alicui velle. Per amorem conjungimur Deo, ut docet S. Aug. in Manuali c. 7 (op suppos. ML 40, 955). O quam sero coepi bene velle tibi! Quamdiu contra voluntatem tuam mihi bene volui, non curans utrum tibi esset male! Id toties feci, quoties peccatum admittendo te offendi. 2. Amare est aliquem magni aestimare. O mi Deus! quam parvi te feci? Dum toties voluptatem spurcam ac momentaneam, aut vilem creaturam tibi omnis boni inexhausto fonti praetuli? 3. Amare est laudare, ac proinde semper laus tua esse debebat in ore meo. Sed o mi Deus! quam parum laudavi te! quam tepide, quam distracte hactenus laudes tuas deprompsi! quoties plus me, quam te vane et inaniter depraedicavi? 4. Amare est de amato identidem cogitare et spiritu conjungi. *Anima, quae amat Deum, nihil aliud potest cogitare, nil loqui, caetera contemnit.* Sanctus Augustinus in Manuali c. 20 (ML. l. c. 960). Quam autem raro de te ego cogitavi! 5. Amare (ut paucis multa complectar) est de amato crebro et cum voluptate loqui: *ex abundantia* enim *cordis os loquitur*, aut cum amato crebros miscere sermones: *Amor* tamen *facit unum spiritum de duobus* (S. Augustinus in Man. c. 18). 6. Amare est pro amato strenue laborare; 7. et pro eodem ardua pati. *Amor facit idem velle et idem nolle.* S. Aug. l. c. In amore enim non vivitur absque dolore. Ego vero quam raro de te locutus sum? quam modicum laboris suscepi? quam parum sustinui? Et ex his liquet, quam parum te amarim. Itaque *sero te amavi.*

Charissimi, hic est affectus dolentis, lamentantis,

et deplorantis Augustini. Examinate nunc vos quoque vestrum amorem ; discutite, num juxta consilium, petitum, imperatum, promissum divinum ac minas ad amorem Numinis adeo boni cor et affectus inclinaveritis. *Amor* enim *in se omnes traducit et captivat affectus* (Sanctus Augustinus loc. cit).

Et fortasse cum Augustino quilibet merito lamentari poterit : *Sero Te amavi*. Tu, mi Deus, suasisti mihi a te *emere aurum ignitum* amoris (*Apoc.* 3). Sed ego hactenus consilio tuo non parui et emere nolui. Petivisti cor meum : *Praebe, fili mi, cor tuum mihi* (Proverb. 23). sed ego illud creaturis dedi, tibi ad amandum praebere nolui. Declarasti voluntatem tuam mihi, quod velles a me amari : *Ignem veni mittere in terram ; et quid volo, nisi ut accendatur* (Luc. 12, 49) ? Ego autem voluntatem tuam non implevi, et velut lignum viride ignem tuum concipere nolui. Tu mandasti mihi, ut amarem te. In Deuteronomio : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo ;* at ego hoc mandatum tuum prevaricatus sum, nolens amare. Promisisti caelum amanti, minatus es infernum amare recusanti ; at ego et promissiones et minas tuas flocci feci, adeoque vere lacrimari me et lamentari par est cum Augustino : *Sero te amavi*.

Quapropter, dilectissimi, si errorem, defectum negligentiamque vestram in amando Deo agnoscatis, nihil aliud restat, nisi dolor et propositum. 1. Quisque dolorem eliciat, quod tam sero unicum et summum Bonum suum amarit, dicatque ex intimis cordis sui medullis : Doleo, mi Deus, quod tam sero te amaverim. Neque enim amavi te in infantia, neque in pueritia, neque in juventute ; neque debite id praestiti in Religione. Transierunt tot horae, tot dies, tot menses et anni absque tui dilectione, in quibus si voluissem, tot millenos amoris actus elicere et respondentes illis caelestes coronas promereri valuissem. Sed nunc transiit occasio illa et tempus

pretiosum avolavit. Quid igitur superest, nisi ut illud, quod restat, breve temporis mei spatium in amore tui transigam ? Hoc itaque nunc est firmum animi mei decretum. *Dixi, nunc coepi.* Diligam deinceps te, fortitudo, pulchritudo, et beatitudo mea ! Diligam te, et tu eris semper in memoria mea, ut tui recorder : tu eris in intellectu ut te cognoscam, in voluntate ut tibi bene velim et te diligam, in ore ut de te et tecum loquar, in manu ut pro tua gloria operer et patiar. Cum vero sine te nihil valeam, dico cum Augustino : *Jubes te diligi,* Domine, *da quod jubes : et jube quod vis. O amor, qui semper ardes et nunquam extingueris, dulcis Christe, bone Jesu, charitas, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, dilectione tua, desiderio tuo, charitate tua, jucunditate et exaltatione tua..... ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma tuae charitatis vaporatus, diligam te Dominum meum dulcissimum et pulcherrimum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis.* Quod omnibus et mihi largiatur Deus Pater, et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

EXHORTATIO II

PRO FESTO S. AUGUSTINI.

Proponit ejusdem S. Doctoris cor vulneratum sagitta duplici timoris et amoris.

THEMA : *Vulnerasti cor meum* (Cant. 4, 9).

Veteri majorum more receptum et celebri pictorum usu expressum est, apostolos et martyres, confessores ac doctores, aliosque Ecclesiae Dei principes et heroas symbolo aliquo appicto adumbrare, quo eorum fortitudo et victoria, vel virtus aut doctrina, qua excelluere, demonstraretur. Sic Apostolorum Principi crucem

aut claves ; Gentium Doctori gladium fulgurantem, Joanni aquilam, Jacobo fustem, Bartholomaeo cultrum, Stephano lapides, Laurentio ignitas crates, Catharinae rotam, Luciae ignem, Barbarae turrim, Theclae leones ; pari modo magno Ecclesiae Doctori Augustino alii aquilam, alii palmam, alii solem, alii puerum cochleari instructum et mare scrobi infundere tentantem, alii substratos pedibus ejus Pelagium, Faustum, Donatum, Fortunatum, aliosque haereticos delineavere. Nobis in praesenti ex omnibus placet symbolum, quo cor duplici sagitta transfixum manibus ejus inseruerunt.

Per cor hoc, cor Augustini; per duplicem sagittam, timorem et amorem significari ducimus; quibus duabus sagittis cor hujus Doctoris sancti sauciatum fuisse ostendemus, ut eundem imitari in his virtutibus satagamus.

I. Sagitta timoris.

I. Norunt anatomiae periti tam artificiose ac dextere cor humanum aperire pelliculasque adnatas detrahere, ut venae et meatus, auriculae et aditus, per quae sanguis ingreditur et egreditur corque per systolen et diastolen contrahitur et dilatatur, intuentibus ad oculum pateant. Si cor S. Augustini aperiremus spirituali anatome, ejus systolen et diastolen, id est contractionem, quae fit per timorem, et dilatationem, qua fit per amorem, perspicue cerneremus.

Incipiamus a timore, quem prima adumbrat sagitta cordis Augustiniani: *Initium sapientiae timor Domini* (Ps. 110, 10). Ab hoc auspicatus est viam salutis, hunc petiit lib. Meditat. cap. 34: *Confige timore tuo carnes meas. Laetetur cor meum, ut timeat Dominum. Utinam sic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus, qui dixit: Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum* (Job. 31, 23). — *Confinge timore tuo carnes meas,* ajebat et suspirabat cum Davide Augustinus, ut, quemadmodum nauclerus in navicula in mari, intumescentibus fluctibus, jamjam se hauriendum et

mergendum cum cymba existimans, timore ingenti percellitur, ita ego quoque pertimescam a judiciis tuis: A judiciis enim timui. Et quis, o Deus, non timeat te, qui non tantum occidere potes corpus, sed animam quoque mittere in gehennam? Quis non timeat te: per omnipotentiam es invincibilis, per omniscientiam infallibilis, per justitiam inflexibilis. Quam timoris causam allegavit David et pariter Augustinus; ita enim exclamat in meditationibus (cap. 4, ML. l. c. 904):

Deus deorum Domine praestabilis super malitia, novi quia manifestus venies, novi quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet, et in circuitu tuo tempestas ingruerit valida, cum advocaveris caelum desursum et terram discernere populum suum. Ecce tot millibus populorum denudabuntur omnes iniquitates meae, tot agminibus Angelorum patebunt omnia scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. *Tot judicibus inops adstabo, quot me praecesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi praebuerunt bene vivendi exempla; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos justis dederunt actionibus. Domine meus, non suppetit quid dicam, non occurrit quid respondeam!*

Deus deorum, haec sunt quae me terrent, judicia tua; hoc *timore tuo confige carnes meas* et intimum spiritum meum, ut magis magisque timore compungar. Ac deinde loco citato subdit ea, quae coram tribunali tremendo consistenti angorem et confusionem parient, vitia scilicet et peccata plurima eaque gravissima, quae vir humillimus in libris Confessionum consignavit, totius mundi confusionem non metuens, modo in die judicii confusionem evadat. *Et ecu jam* (inquit) *illi intersim discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflammat*

concupiscentia, infestat luxuria; dehonestat gula, confutat ebrietas; detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas objurgat; discordia dissipat, ira perturbat, levitas dissolvit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit... Hi sunt quibus acquievi amici, quibus parui magistri, quibus servivi domini, consules quibus credidi, cives quibus cohabitavi, domestici quibus consensi... Firmamentum meum Deus, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Spes mea, non est in filiis hominum, quem, si remota pietate judicaveris, justum invenies; et nisi praeveneris miserando impium, non erit quem glorifices pium (ML. l. c. 904).

Hoc modo judicia Dei formidabat David, dum peteret : Confige timore tuo carnes meas ; a judiciis enim tuis timui (Ps. 118, 120). Sic formidabat Dei tribunal Paulus Apostolus, carnemque castigabat : Ne forte, (inquiebat) cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar (1 Cor. 9,27). Sic formidabat diem novissimum *S. Hieronymus* dicens : Sive comedam, sive bibam, semper insonat auribus meis tuba illa terribilis. Surgite mortui, venite ad judicium. Ita pariter formidabat Augustinus. Sed quid ex hoc timore fructus extitit ? 1. Timor Domini expellit peccatum, teste Salomone. Eccli. 1, 27; nam qui sine timore est, non potest justificari. Fatetur, id se expertum S. Augustinus, seque initio non alio fraeno a peccandi licentia retractum, nisi timoris : Nec me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii tui (Lib. 7. Confess. cap. 16.) Hic timor fuit ipsi initium sapientiae, principium melioris vitae, ac justitiae exordium. Hic timor ad poenitentiam traxit. Hic timor lacrimarum flumina produxit. Hic timor ad vitae emendationem promovit.

Quare, charissimi, a sancto Doctore hunc discamus timorem. Hic timor Domini expellet peccatum. Hic

enim timor est clavus, quo Jael Sisarae caput confodit; est lancea, qua rebellis Absalon a Joab occiditur; est sagitta Jonathae, quae nunquam rediit retrorsum, sed daemonem et carnem configit. Recte S. Bernardus Sermone 29. in Cantica n. 7 (ML. 183, 932): Optima timor iste sagitta, qui configit et interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit. Hunc ut obtineamus, cum Davide et Augustino saepius ingeminemus: *Confige timore tuo carnes meas.* Primò timore servili, deinde filiali, qui alterum pone subsequetur atque ad amorem divinum feliciter perducet.

II. Sagitta amoris

II. Altera sagitta est sagitta amoris, quae cor Augustini vulneravit, ut merito cum sponsa dicere potuerit: *Vulnerasti cor meum* (Cant. 4, 9). Et hoc vulnere amoris cor velut per diastolen dilatatur, et instar rosae aperitur et expanditur. Hunc amorem instantissime petiit Augustinus in Medit. c. 37 (ML. l. c. 935): *Rogo te per illa salutifera vulnera tua,... vulnera hanc animam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es. Vulnera eam igneo et potentissimo telo tuae nimiae charitatis... Tu sagitta electa, et gladius acutissimus, qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales, confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: Charitate tua vulnerata sum.* Et quemadmodum saepius hunc amorem petiit, ita etiam impetravit; fatetur enim lib. 9, Confess. cap. 2, n. 3, hac se sagitta percussum, dum ait: *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua* (ML. 32, 764).

Neque id mirum: Timor enim ad amorem viam sternit, ut inquit *S. Franciscus de Sales*, L. 11 de amore, cap. 17. *Sicut virgines opera Phrygia facientes, acum panno infixam non habent, sed per illam fila traducunt in pannum; ita et Deus utitur timore ad charitatem introducendam.* Idem docuit ipse *Augustinus* Tractatu 9, in Epist. 1. S. Joannis, n. 4 (ML. 35, 2047 sq.): *Sicut* (ait)

videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Quomodo vero id in corde Augustini sit effectum, ex amoris actibus clare elucescit, qui in summo gradu in eo exarsere.

1. Actus et effectus amoris divini est, ut animam a terrenis affectibus purificet, ut non nisi caelestia capiat. Hoc asserit ipse Augustinus in Manuali Cap. 18: *Amor in se omnes traducit et captivat affectus.* Et Cap. 19: Qui autem diligit, oculos semper habet ad Deum quem diligit (ML. 40, 959). Ita Josaphat conversum a Barlaam tanto amoris igne aestuasse narrat Damasc. Histor. c. 37, ut relicto regno, opibus, deliciis, honoribus, in solitudinem secedens exclamaret: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus.* O quoties idem ingeminavit S. Augustinus! quam potenter amor divinus ab omnibus terrenis abstraxit, quas tanquam nugas repudiavit, Deoque adhaesit. *Scis* (inquiebat) *occultorum cognitor Deus, quia caelo et terra, et omnibus quae in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es: diligo enim te super caelum et terram et cetera omnia, quae in eis sunt.*

2. Effectus secundus divinae charitatis est omnes potentias, sensus, affectus, amores, operationes, cogitationes, intentiones trahere ad Deum, ut non nisi Deum cogitet, intendat, suspiret. Jugem tibi imprime memoriam Dei, quasi indelebile signum, ajebat S. Basilius. Quid enim extra quaerat, qui Deum intra se habet? Deo enim abysso omnis boni se immergit. Ita faciebat S. Augustinus, quando exclamabat in medit. c. 33 (ML. 40, 26): *O aeterna veritas et vera charitas et chara aeternitas, tu es Deus meus; tibi suspiro nocte ac die, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desiderio,* te amo, te

cupio, tibi vivo, tibi operor, te cogito et me totum tibi dedico.

3. Effectus tertius est, ut anima optet pro Deo dilecto suo magna et heroica agere, multaque pati. *Dilectus meus mihi et ego illi* (Cant. 2, 16). *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi ; inter ubera mea commorabitur* (Cant. 1, 12). Quanta non egit Augustinus ? Quanta non est passus ? Quantum in fundando duplici Ordine laborem impendit ? Quot volumina, quamque ingentia et quanto labore conscripsit ? Quot conciones habuit ? Quot concertationes et certamina cum haereticis ?

4. Effectus quartus : facit amor ut anima crescat in amore, est enim quasi flamma jugiter ascendens. O quantos in dies in amore fecit progressus Augustinus ! Jam exclamat in Man. c. 10. *Amo te, Deus meus, amo te, et magis atque magis amare te volo.* Da mihi Domine Deus, speciose prae filiis hominum, ut desiderem Te, ut amem te, quantum volo, quantum debeo. *O amor qui semper ardes et nunquam extingueris, accende me totum igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, exultatione tua, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma tuae charitatis vaporatus diligam te ex toto corde et ex tota anima mea et ex omnibus viribus meis.* Loc. cit.

5. Effectus quintus : ut etiam anima Dei amore succensa, eodem alios, totumque mundum accendere satagat. S. Bernardus de natura divini amoris : Qui non zelat, non amat. Idem fatetur S. Augustinus in Manuali cap. 28 (ML. 40, 963) : *In quo amor Dei est... omnes ad amorem Dei exhortatur, omnibus amorem Dei commendat, et quam dulcis sit Dei amor, et quam malus et amarus sit amor seculi, corde ore et opere omnibus demonstrat.* Hinc omnes quotquot poterat ad amorem *Dei* trahebat ; hinc aliis suadebat, ut quotquot possent ad Deum traherent ac raperent. Atque in tantum quin-

tuplex hic amor in S. Doctore exarsit incendium, ut merito censeamus verum esse elogium Ribadeneirae in ejus vita, dum ait : *Augustinus Doctor doctorum, inter doctos sanctissimus, et inter sanctos doctissimus, Cherubim per scientiam, Seraphim per amorem.*

O charissimi, si haec sagitta amoris nostrum quoque cor vulneraret ! O si timor ad amorem corda nostra disponeret ! O si quinque antedictos charitatis divinae effectus experiremur ! Quod ut fiat,

Concludamus, charissimi, et statuamus omni ratione satagere, ut timorem cum amore conjungamus. « Timore et amore » symbolum est moderni regis Romanorum. Timore tanquam systole cor constringamus ; amore tanquam diastole illud dilatemus atque explicemus. Timore et amore tanquam duobus axibus vitae nostrae rotam trahamus. Timore et amore tanquam polis duobus vitae nostrae orbita volvatur. Timore configat cor nostrum et carnes nostras Deus, ut omne peccatum expellamus, peccata pristina plangamus et plangenda denuo non admittamus, sed admissa emendemus et defleamus, sancti Augustini exemplo. Atque ita cor nostrum transfixum erit sagitta timoris. Deinde studeamus acquirere sagittam veri et sinceri amoris divini, qui cor nostrum transfigat, et vulneret, ut charitate vulneratis amor divinus omnes affectus nostros a peccatorum scoria emundet, omnes cogitationes, locutiones, operationes et intentiones ad unum Deum evehat. Quidquid laboris Deus obtulerit, quidquid adversitatis immiserit, animo libenti sustineamus; nunquam non per suspiria, preces, motus anagogicos et actus internos externosque in amore progredi studeamus. Denique quot-quot possumus, exemplo sancti Augustini omniumque vere amantium, ad Deum cognoscendum et amandum impellere, trahere, rapere connitamur; atque ita duplici timoris et amoris sagitta cordis nostri intima penetrabit, vulnerabit et transverberabit.

EXHORTATIO

De uno ac multiplici sanctorum fundatorum Ordinumque religiosorum spiritu.

THEMA : *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus* (1 Cor. 12, 4).

Unum ac multiplicem Ecclesiae spiritum vates regius spiritu prophetico illustratus adumbravit, dum eandem tanquam reginam ad sponsi dexteram consistentem in aureo varioque ornatu conspiciens edixit : *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (Ps. 44, 10). Astat Ecclesia ad sponsi dexteram, in signum honoris, *in vestitu deaurato,* charitatem dilectionisque spiritum indicante ; ut enim inter metalla aurum, ita inter virtutes charitas eminet. Astat quoque sponsa (Ecclesia) *circumdata varietate* vestimentorum et colorum ; est enim alba per fidem et puritatem, caerulea per spem, rubicunda per martyrium, pallida per poenitentiam, fulgens ac splendida per doctrinam. *Circumdata varietate* sacramentorum, *varietate* statuum, *varietate* linguarum ; Graecos, Latinos, Scythas, Indos, Aethiopes, Chaldaeos, aliosque per fidem et Baptismum sub paludamentum regium recipiens.

Quod de Ecclesia sensu ampliore vates regius cecinit, idem Doctores permulti de Religione, tanquam parte Ecclesiae nobiliore, pressius interpretantur. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Astat namque Religio ad Sponsi dexteram in vestitu deaurata perfectionis et charitatis, *circumdata varietate* vestimentorum, colorum, sacramentorum, statuum, linguarum, gratiarum, ministrorum, et operationum. Unde merito de utraque intelligendus est Apostolus, dum ait : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiri-*

tus. Divisiones Ordinum sunt, idem autem spiritus ; divisiones ministrationum et operationum sunt, idem autem spiritus. Quod exhortatione praesente explanabimus, ut uno spiritu mutuae dilectionis conjuncti gratiae multiplici a Domino nobis concessae ferventer cooperemur, ac Deo O. M. ex toto corde unanimiter famulemur.

Spiritus Sanctus omnis religionis, omnis gratiae et charitatis auctor virtutis suae radiis ita mentes vestras illustret, et ignis sui flammis accendat voluntates, ut verbi divini, et in hac, et in sequentibus exhortationibus a me proponendi sensum ac veritatem clara perspiciatis, perspectaque opere fideliter expleatis, Amen.

I. Unus et multiplex spiritus in diversis functionibus.

I. De Ecclesia loquens Apostolus ait : *Divisiones gratiarum sunt... Divisiones ministrationum sunt... Divisiones operationum sunt* (1 Cor. 12, 4 sqq.). Atque ut id clarius exponat a partium enumeratione demonstrat. *Alii quidem* (inquit) *per Spiritum datur sermo sapientiae*, et mysteria fidei altissima explicandi facultas tribuitur ; *alteri autem datur sermo scientiae*, et ad mores spectantia explicandi donum conceditur ; *alteri fides in eodem Spiritu*, seu gratia fidem intrepide profitendi datur ; *alii gratia sanitatum in uno Spiritu*, ac potestas morbos depellendi, infirmosque sanitati pristinae restituendi confertur ; *alii operatio virtutum*, seu virtus majorum miraculorum, animum concernentium, mortuos excitandi, daemones expellendi, donatur ; *alii discretio spirituum*, cogitationum scilicet, intentionum, et affectionum cordis, utrum a Deo an ab homine, a bono an a malo genio oriantur ; *alii interpretatio sermonum* obscuriorum Divinae Scripturae variorumque idiomatum. Omnium harum *gratiarum*, ut theologi nominant gratis datarum, *divisiones sunt :* uni enim haec, alteri alia conceditur. *Unus* autem *atque idem Spiritus* Sanctus, eas donans, distribuens, ac *dividens singulis, prout vult* (l. c. ℣. 11).

Quod asserit Apostolus de Ecclesia, idem nobis de

Religione dicere licet : *Divisiones gratiarum*, donorum, charismatum, virtutum, et talentorum *sunt ;* non secus atque ingenia, complexiones, vires, diversa sunt, quibus providentia divina fundatores Ordinum diversos diversasque Religiones ac leges attemperavit, singulisque aliquid de spiritu suo uno ac multiplici dispertiit.

Numerorum II. ℣. 16. mandabat Dominus Moysi : *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel... : auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentet tecum onus populi.* Spiritus hic Moysis unus erat ac multiplex : unus erat ; ait enim Dominus : *auferam de spiritu tuo,* non de spiritibus ; multiplex simul erat : erat enim spiritus prophetiae ad prophetandum, spiritus prudentiae ad regendum, spiritus doctrinae ad docendum, spiritus consilii ad consulendum, spiritus justitiae ad suum cuique tribuendum et recte judicandum, spiritus mansuetudinis ad onus ferendum, spiritus charitatis ad omnes supportandos ac diligendos. Non absimili ratione videtur Bonitas divina cum diversis diversorum Ordinum fundatoribus processisse, quibus de spiritu suo, de spiritu Christi, veri Moysis ac populi christiani ducis, large liberaliterque communicavit ac dispertivit. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi,* scilicet populi totius Religionis ; dabo illis spiritum divinum, Spiritum Christi, unicum et multiplicem, cumque in omni ejus multiplicitate excellere nequeant, singulis portionem tribuam, in qua aliis praecellant. Hoc modo divina Majestas suum singulis fundatoribus et Ordinibus specialem spiritum, virtutem, fervorem atque impetum, a spiritu Christi uno ac multiplici haustum ac desumptum, indidit et impressit.

Alii siquidem dispertiit *spiritum gratiae et precum,* spiritum solitudinis, orationis, et contemplationis ; alii spiritum rigoris et austeritatis ; alii spiritum fortitudinis et magnanimitatis, alii spiritum chori et divinae laudis,

alii spiritum misericordiae et commiserationis; alii spiritum spei et fiduciae singularis; alii spiritum zeli et charitatis. *Divisiones gratiarum sunt;* divisiones ministrationum et operationum sunt; *idem autem spiritus* divinus, Spiritus Sanctus, Spiritus Christi, omnia pro beneplacito suo distribuens. Non secus atque idem spiritus in homine, seu eadem anima diversis membris diversimode sese contemperat actionesque omnino diversas producit. Et idem spiritus, seu ventus in variis organi fistulis ac tubis varie se insinuat; et dum concordem sonorum discordiam et discordem concordiam reddit, gratam auribus symphoniam excitat.

Quodnam vero, dilectissimi, ex hoc discursu documentum capiemus? Quam ex praemissis conclusionem deducemus? Hanc in primis: Si uno omnes Religiones spiritu, licet multiplici, animantur, cor unum et anima una in omnibus sit oportet; nec unius duntaxat Ordinis asseclae mutuo se complectantur amore, sed charitatis phylacteria extendant ac dilatent omnes ad Ordines, cujuscunque sint instituti et coloris. *Unum corpus* (inquit Apostolus Ephes. 4, 4) *et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* Omnes Religiones *unum corpus* sumus: sunt quidem in iis multa membra, sunt distinctae regulae et instituta, sunt varii habitus et indumenta, sunt diversi actus et exercitia; sed unum corpus. *Sicut enim* (pergit idem Apostolus 1 Cor. 12, 12) *corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus* unum corpus mysticum habet, scilicet Ecclesiam et Religionem, cujus varia sunt membra, varia ministeria et exercitia; sed ipse omnium auctor est et caput. Sicut ergo in corpore uno et membris diversis summa reperitur concordia, unio, pax et charitas, ita omnes nos *solliciti* simus *servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* (Eph. 4, 3) cum omnibus. *Si quid patitur unum membrum,*

compatiuntur omnia membra; ita et nos. *Sive gloriatur* (seu gloria et honore afficitur) *unum membrum, congaudent omnia membra* (1 Cor. 12, 26); ita et nos. Pro invicem sollicita sunt membra; ita et nos. Quodlibet membrum suo ordine, gradu, loco, functione acquiescit; ita et nos nulli invideamus, neminem spernamus, altiora non ambiamus, sed opitulemur et solatio simus omnibus.

Neque solum unum corpus, sed et *unus spiritus* sumus. Ideoque *solliciti simus servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Et si forte inter nos aut cum aliis ex fragilitate humana nonnulla charitatis laesio obrepserit, extemplo sarcire et in gratiam redire laboremus, exemplo *S. Bernardi,* qui ad Abbatem Praemonstratensem, ei offensum ob quendam e suis Religiosis ab eo receptum, ita scribit Epist. 253, n. 10 (ML. 182, 458): *Ego, fratres, quidquid faciatis, decrevi semper diligere vos, etiam non dilectus..... Adhaerebo vobis, etsi nolitis: adhaerebo, etsi nolim ipse. Olim me alligavi forti vinculo, charitate non ficta, illa, quae nunquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum irae, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obsequiis. Invitis praestabo, ingratis adjiciam, honorabo et contemnentes me. Et nunc tristis est anima mea, quod quacunque occasione offenderim vos; eritque tristis usque dum vestra indulgentia relevetur.*

II. Unus et multiplex Spiritus in variis ordinibus.

II. Quo clarius et in particulari unum ac multiplicem Christi Domini spiritum in variis Ordinibus relucentem perspiciamus, septena diversa ac praecipua Instituta religiosa, tanquam septenas columnas in domo Sapientiae increatae et incarnatae erectas, breviter perstringamus.

Primus spiritus est Ordinis anachoretarum vel eremitarum hominum consortia fugientium, in desertum concedentium et pro instituti sui fine contemplationem habentium. Imitantur hi Christum quadraginta diebus in

deserto agentem, deinde S. Joannem Baptistam, S. Paulum, Antonium, Hilarionem, Macarium, Simeonem et alios.

Secundus spiritus est monachorum coenobitarum, seu in communi sub praelato viventium: quorum finis est, teste Cassiano Coll. 9, c. 8, voluntatem propriam mortificare, nimiam sui ipsius sollicitudinem deponere, et per continua obedientiae et fiduciae de gubernatione ac providentia Dei per Praelatos ad contemplationem sese disponere, Christum imitando. Hunc Ordinem priore tutiorem in Oriente constituit S. Basilius, in Occidente S. Benedictus, multiplicatione, et utilitate Ecclesiae maxima.

Tertius spiritus priori affinis est, pro fine perfectionem propriam habentium, atque ex instituto cum proximis non agentium. Hi autem perfectioni suae variis modis attendunt. Alii excellunt in divini cultus exercitiis, alii in canticis et choris prolixioribus, alii in pedum nuditate, vestitu grossiore aliisque corporis asperitatibus: *Semper mortificationem Jesu in suo corpore circumferentes* (cf. 2 Cor. 4, 10), *et stigmata Domini Jesu in corpore suo portantes* (cf. Gal. 6, 17).

Quartus spiritus est religiosorum, pro fine proprio, opera misericordiae corporalia sibi praestituentium, sive in xenodochiis curam infirmorum gerendo, sive peregrinos hospitio excipiendo, sive captivos redimendo, sive laborando aut eleemosynam pro indigentibus conquirendo, sive alia Marthae officia in bonum proximorum obeundo et in illis Christum Dominum respiciendo.

Quintus spiritus est Religionum militarium, Teutonicorum, Melitensium, et aliorum Ecclesiam ab hostibus visibilibus armis defendentium, ut fideles in pace rebus spiritualibus intendere Deoque in tranquillitate servire valeant.

Sextus spiritus est religiosorum, vitam mixtam pro-

fitentium, activamque cum contemplativa copulantium: opera misericordiae spiritualia in bonum animarum exercendo, exhomologeses poenitentium excipiendo, verbum Dei praedicando, doctrinam Christianam docendo, consiliaque spiritualia suggerendo.

Septimus denique spiritus est Religionum clericalium, seu religiosorum clericorum, eundem cum praecedentibus finem sibi praefigentium, ut non propriae duntaxat, sed etiam alienae perfectioni invigilent ac Praelatos Episcoposque in officiis quibusdam ipsorum propriis adjuvant. Atque hic Ordo, ut Bulla Pii V. Canonicis regularibus concessa testatur, ab Apostolis in Ecclesia institutus, et a S. Augustino in dioecesi sua renovatus est. Atque his annumeratur minima nostra Societas a S. Ignatio fundata, quam Concilium Tridentinum sess. 25, de Regul. c. 16. Religionem clericorum nuncupat.

In omnibus hisce Ordinibus *divisiones gratiarum*, ministeriorum et operationum sunt, idem autem spiritus Christi, a quo spiritum suum peculiarem quique hauriunt, et cui in spiritu serviunt. Septem hae religiones diversae sunt, unus autem omnium spiritus, unus spiritus Christi et charitatis. *Septem columnae* sunt in domo sapientiae aeternae pulchro ordine collocatae, sed uni fundamento Jesu Christo Domino nostro insistentes et innixae. *Septem candelabra aurea* sunt in domo Domini lucentia, sed uni stipiti seu basi Jesu Christo infixa (Apc. 1, 12). *Septem stellae* sunt, sed in una Jesu Christi dextera collocatae (Apc. 1, 16). *Septem oculi* sunt, sed in uno lapide Jesu Christi repositi (Zach. 3, 9), uno spiritu Deum respicientes, ejus gloriam quaerentes, eum amantes, laudantes, benedicentes et depraedicantes : cujus auxilio et gratia, unam vocationis suae spem, aeternam felicitatem, se consecuturos confidunt.

Ex hoc multiplici religionum variarum spiritu quid documenti capiemus, dilectissimi ? 1. Ut in tanta varie-

tate spirituum, nihilominus, solliciti simus cum omnibus et singulis servare unitatem spiritus in vinculo pacis. 2. In qua vocatione quisque vocatus est, in ea permaneat, in ea se perficiat, et secundum spiritum sibi a Deo communicatum munia vocationis suae propriae sedulo exequatur. 3. Spiritum a suo alienum, tametsi alias bonum, refugiat, adeoque solum digne vocatione sua, adeo sublimi, adeo sancta ambulet ; digne inquam ad Christum, digne ad Ecclesiam, digne ad religionem suam, digne ad Angelos, digne ad gloriam caelestem, ac secundum regulae suae tanquam viae ducis directionem de virtute in virtutem progrediatur, donec ad culmen perfectionis ascendat.

Quapropter, charissimi, quantumvis multae divisiones gratiarum, tam in Ecclesia, quam Religione sint ; quantumvis divisiones sint spiritus, ministeriorum et operationum : unus tamen est spiritus, una Christi sponsa, una regina a Christi dextera collocata, varietate quidem circumdata, sed uno vestitu aureo charitatis amicta. *Unum corpus*, multa membra ; *unus spiritus*, varia instituta, munia, opera : quare par est, ut mutuo nos complectamur amore, tanquam ejusdem corporis et capitis membra uno spiritu animata ; par est, ut *solliciti simus servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* cum omnibus. Deinde tametsi distinctae sint septem Ordinum seu Religionum columnae, modo in Christo tanquam fundamento innixae et in ejus charitate solidatae sint, firmae perstabunt. Septem candelabra licet distincta sint, modo in basi sua, seu Christo Domino, perseverent, totam Domini domum illuminabunt. Sint stellae septem diversae ; modo de manu Salvatoris non excidant, fulgebunt in perpetuas æternitates. Sint oculi septem distincti ; modo uni lapidi seu petrae Christo inhaereant, non caligabunt, sed videbunt aliquando Deum deorum in Sion facie ad faciem, eumque amabunt, laudabunt et glorificabunt in saecula. Amen.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

S. ELIAE PROPHETAE

Sancti Ordinis Carmelitani patriarchae ac patroni.

THEMA : *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus* (4 Reg. 2, 9).

Quidquid in sanctissimo propheta Elia conspicimus, non nisi igneum, id est zelosissimum, ferventissimum ardentissimumque esse animadvertimus. Etenim quid in eo nisi igneum cor, igneum os, et igneas manus ac pedes, id est, affectus et desideria, sermones et verba, actiones et opera amore ac zelo Dei succensa cernimus ? *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat,* inquit Ecclesiasticus c. 48, 1. Recte proinde sanctus ejus discipulus Elisaeus igneum hunc ejus spiritum haereditatis loco sibi relinqui flagitabat: *Obsecro,* inquiebat, *ut fiat in me duplex spiritus tuus* l. c., tanquam si diceret: Cum apud nos Hebraeos primogenitus duplici haereditatis portione gaudeat, ego quasi primogenitus tuus in utroque spiritu tuo *prophetiae et miraculorum* succedere postulo. Ita ille. At quem nos spiritum petemus ? Non prophetiae et miraculorum, quos sanctis illustrioribus relinquemus ; sed alios spiritus, quos sancti Patres et ascetarum lumina praedicto spiritu duplici contineri asserunt. « Precabimur itaque cum Elisaeo : *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus,* spiritus scilicet igneus amoris Dei et proximi, spiritus igneus zeli gloriae divinae et animarum, spiritus igneus orationis seu loquendi cum Deo, et sermonis seu loquendi cum proximo. Ut hac ratione fiat discipulus, sicut est magister ejus.

Spiritum hunc Eliae duplicem exhortatione praesenti declarabimus, atque ut eumdem S. Eliae meritis ac patrocinio obtinere pro modulo nostro mereamur, clementiam divinam enixe precabimus.

I. Quam ardenti S. Elias donandus esset spiritu, in ejus ortu parenti illius Sabacha demonstratum fuit, teste S. Dorotheo in synopsi de Elia. Cum enim nasciturus esset, igne tanquam fasciis involutus a patre conspectus fuit ; causamque hujus portenti is in Jerusalem oraculo didicit, fore nimirum, ut puer hic aliquando Israelem in gladio et igne judicaret. *Surrexit Elias propheta, quasi ignis* l. c. duplici spiritu igneo inflammatus, et quidem spiritu charitatis Dei et proximi. Vultisne intueri hunc spiritum ? ad opera attendite, siquidem, ut magnus ait Gregorius : *Probatio dilectionis exhibitio est operis*. Hom. 30. in Evang. (ML. 76, 1220). Si opus aut actus divini amoris est summum Dei bonum velle, in ejus perfectionibus infinitis sibi complacere, omnem externam gloriam, laudem, cultum ac reverentiam eidem desiderare ac procurare, quanta hos actus perfectione S. propheta exercuit ? quanto gaudio unum verumque Deum cultu debito honorari conspexit ? Quanto ardore omnibus idololatris veri Numinis adorationem persuasit? Si actus divini amoris est crebras de Deo dilecto suo cogitationes fovere atque in ejus jugi praesentia ambulare : quis illud egit crebrius propheta sancto identidem illud in ore gerente : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto ?* 3 Reg. 17, 1, quem semper mente praesentem habeo et in oculis ejus versor. Si actus divini amoris est terrena cuncta spernere omniaquo arbitrari ut stercora, quo Deo summo bono tuo ac unico thesauro fruare : quis sancto propheta nostro caduca omnia despexit calcavitque generosius ? qui melote pro veste, lympha pro potu, frusto panis ac carnis mendicato quasi a corvo oblato acquiescebat,

I. Duplex Eliae spiritus charitatis.

omni prorsus pecunia carens ? Si actus divini amoris est de gloriae divinae obstaculis impedimentisque tristari: quis illo tangebatur dolore majore, dum Baalis cultum verique Dei neglectum conspiceret ? Si actus divini amoris est cupere, cum Apostolo, dissolvi ac desiderare e saeculo maligno eripi, ne Dei offensas intueri cogatur : quis illo vehementius istud exoptavit ? Idololatriam enim Deique contemptum amplius ferre non valens, vitaeque mortalis taedium sentiens, Deum rogabat : *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam* (3 Reg. 19, 4), sufficit mihi vivere. Si actus divini amoris est, propter dilectum adversa multa perpeti : quis illo graviores ab Achab et Jezabele Baalisque sacrificulis persecutiones sustinuit ; unde ajebat : *Relictus sum ego solus* (l. c. v. 10), qui pro Dei honore et cultu certamen ineat ; *et quaerunt animam meam.* l. c. Si denique actus dilectionis proximorum est illos propter Deum diligere, omnia vera bona eis cupere, de eorundem malis dolere, eis caelestia aeternaque bona pro viribus procurare, mala vero aeterna ab illis arcere atque depellere, *omnes*, ut loquitur S. Aug. in Manuali c. 28, l. c. *ad amorem Dei hortari, omnibus amorem Dei commendare, quam dulcis sit amor Dei, et quam malus ac amarus sit amor saeculi, corde, ore, et opere omnibus demonstrare :* quis in his omnibus propheta nostro fuit excellentior ? quis ferventior et ardentior ? Utrumque autem amorem hunc vel maxime demonstrabit, quando sub tempus judicii extremi animas ad Deum plurimas reducet et pro Dei gloria strenue certabit.

O propheta sanctissime, Dei proximique amore ardentissime ! Obsecro, fiat in me et omnibus nobis duplex hic spiritus tuus igneus, qui frigus ac teporem nostrum depellat ferroque candenti nos assimilet ! Fiat in nobis spiritus ille fervens, quo accensa anima nostra omne bonum internum et externum Deo velit ac faveat, fre-

quenter de Deo cogitet, et in ejus praesentia ambulet, terrena omnia despiciat, mortem potius, quam Dei injurias intueri cupiat, Dei cultum et honorem promoveat, ejus obstacula perrumpat, nulla pro eo adversa reformidet, nec vitam ipsam pro dilecto fundere recuset. *O ignis, qui semper ardes et nunquam extingueris, accende me!*

II. Duplex Eliae spiritus zeli.

II. Spiritus alter duplex igneus, quo sanctum Eliae pectus flagrabat, erat zeli honoris Dei et salutis animarum, quo idololatriae invalescenti fortiter se opposuit, eandemque feliciter expugnavit. Providentiae et bonitati divinae, in more positum est, ut exorto in Ecclesia sua incendio, opportune aquam affundat, quae restinguat ; moto bello, antagonistam suscitet, qui sopiat ; grassanti lui epidemicae antidotum suggerat, quod depellat. Hac ratione, Pharaone Hebraeos fideles opprimente, submisit Moysen, qui se illi opponeret ac populum ex ejus servitute vindicaret ; Jeroboam vitulos pro diis erigenti Ahiam prophetam, Manassi Isaiam, Antiocho Machabaeos opposuit. Sic toti orbi pene Ariano unum opposuit Athanasium, fidei orthodoxae atlantem, Pelagianis Augustinum, Nestorianis Cyrillum, Iconomachis Joannem Damascenum, Albigensibus haereticis Dominicum, Lutheri et Calvini asseclis Ignatium. Haud absimili modo divina Providentia Eliam suscitavit, ut regis Achab et Jezabelis in idolatria propaganda ardorem reprimeret atque restingueret, ac Israelem in unius veri Dei fide et religione conservaret. Hunc in finem admirabili eundem zelo ac fortitudinis spiritu armavit, ut vel ipse unus tyrannis, sacerdotibus et idololatris omnibus tanquam murum pro domo Dei pectore generoso sese opponeret.

Zeli hujus ac duplicis spiritus ignei specimina desideratis? Certamina cum Dei hostibus, ad quae eum compulit, aspicite. Hoc zelo divini honoris, salutisque animarum impulsus propheta, cum Baalis sacrificulis in

arenam descendit et ignem ad sacrificium consumendum e caelo prodigiose evocavit (L. 3, Reg. c. 18). Hoc zelo a spiritu duplici animatus, magnitudine animi incredibili, quadringentos Baalis sacrificulos interfecit. Hoc zelo ac spiritu duplici succensus, per Elisaeum ungi jussit Hazael in regem Syriae et Jehu in regem Israelis, ut justam de Baalitis vindictam sumerent: *Qui ungis reges,* inquit de Elia Ecclesiasticus c. 48, 8, *ad poenitentiam,* id est, ad poenam et ultionem impiorum, ut sint cultus divini vindices. Hoc zelo duplicique spiritu motus Jezabelem mortem sibi minitantem fugit, non quod mortem metueret — *petivit* enim *animae suae* (in fuga), *ut moreretur* (3 Reg. 19, 4); sed a Jezabele occidi timebat, ne si ab illa superatus videretur, simul vera religio devicta et cum ipso prostrata esse diceretur atque ab ea jactaretur. Denique hoc zelo ac spiritu duplici igneo exaestuans, quemadmodum S. Christi Baptista Joannes Herodem in facie redarguebat sceleraque objectabat, ita Elias regem Achab et Jezabelem scelestem ob idolatriam palam reprehendebat; cultum, agnitionem, timorem et amorem Dei pro viribus amplificare satagebat, ac propterea persecutiones gravissimas sustinebat; unde ajebat: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel..., prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quaerunt animam meam* (3 Reg. 19, 10). O virum ineffabilem! O prophetam invincibilem! o zelum flagrantem! o ardentem spiritum duplicem! O si vel illius scintilla in cordibus nostris succenderetur!

Domine *Jesu,* qui dixisti: *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur,* mitte obsecro hujus ignis flammulam in corda nostra frigida, ut eodem succensi, instar Eliae, opponamus nos murum pro domo Dei; infidelitati, haeresi, superstitioni bellum acre inferamus; contra populi scelera fortiter dimicemus,

peccatores ad poenitentiam vitaequae emendationem perducamus ; atque ut Elias puerum defunctum, ita nos peccatis mortuos fovendo, instruendo, amplexando, calefaciendo ad spiritualem animae vitam revocemus, et denique omnibus, quae excogitare licet, mediis animarum saluti prospiciamus. *Zelus animarum verus et perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrimis, orationibus, vigiliis, jejuniis, praedicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis operibus bonis pro animarum salute laborat.* Ita *B. Alberto M.* in Parad. animae c. 26.

III. Duplex Eliae spiritus verbi.

III. Tertius Eliae spiritus duplex igneus eluxit in eloquio cum Deo et proximo, spiritus namque orationis et praedicationis. S. Epiphanius in vitis prophetarum, in Elia tradit eum flamma fuisse enutritum, in signum ardentis eloquii ; non quod vere flammis alitus fuerit, id enim impossibile est, sed quod flamma os et vultum ejus lamberet in illudque ingredi videretur et illum cibare ac pascere. *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat.* Verum unde haec facula ignem suum concepit ? Ardebat verbum et lingua, quia ardebat cor, oratione, meditatione ac contemplatione succensum. Ex corde autem igneo verba non nisi ignea egrediuntur. Hunc ignem concepit orando et cum Deo diu multumque loquendo ; hunc ignem concepit, majestatem divinam ejusque potentiam, sapientiam et bonitatem meditando ac contemplando : *In meditatione tua exardescit ignis :* ait rex David (Ps. 38, 4) ; hunc ignem concipiebat in desertis, in montibus et speluncis cum Deo agens, atque ut liberius ageret, caput inter genua ponens. Ignem vero conceptum quam copiose emisit ? *Verbum ipsius quasi facula ardebat,* et lingua ignea verba ignea profundebat. An non ignea fuere verba, quibus ignem e caelo evocavit ? *Dejecit de caelo ignem ter,* ait Ecclesiasticus c. 48, 3. Quando nimirum pentecontarcham, prima et altera vice,

igne caelesti in favillam redegit, dicens : *Si homo Dei sum, descendat ignis de caelo, et devoret te* (4 Reg. c. 1), et quando ignis e caelo accersitus holocaustum succendit : *Cecidit ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides* (3 Reg. 18, 38). An non ignea fuere verba, quibus caelum, ne pluviam daret, clausit annis tribus et mensibus sex, et rursum, ut daret, aperuit ? *Induxit in illos famem, verbo Dei continuit caelum* (Eccl. 48, 2, 3). An non ignea fuere verba, quibus populum ad veri Dei cultum potenter adduxit atque efficaciter ab idololatria abstraxit : *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum* (3 Reg. 18, 21). Et absumpto ab igne holocausto suo, Baalis sacerdotes quadringentos et quinquaginta comprehendendos et ad unum omnes interficiendos imperavit. *Vere surrexit Elias, quasi ignis ; et verbum ejus ut facula ardebat.* l. c. O ignitum eloquium ! O dispertita lingua tanquam ignis! quae et ardentes in Carmelo ad Deum preces fundit, et verbis flammantibus populum succendit ! O quantum potest vel unicus homo zelosus verbo et exemplo praedicans ? Quanta est sermonis ejus vis et energia ! *Vox Domini confringentis cedros* et altas superborum mentes ; *vox Domini intercidentis flammam ignis*, vitiorum et scelerum. Vere asseruit S. Chrysostomus hom. 1. ad Pop. : *Sufficit unus homo, zelo Dei succensus, totum corrigere populum.* An non idipsum in Elia eluxit? An non idem in sanctis Elisaeo, Joanne Baptista, aliisque prophetis patuit ?

O Elia propheta zelosissime ! *Obsecro, fiat in me* et omnibus auditoribus meis *duplex spiritus tuus*, orationis scilicet et praedicationis : *orationis*, ut preces ardentes ac desideria, suspiriaque ferventia ad Deum emittamus, ignemque inde caelestem hauriamus, quem corde conceptum et succensum per os in auditorum aures mentesque effundamus; deinde *praedicationis*, ut dum ad

populum verba facimus, vox nostra quasi facula ardeat atque auditorum pectora inflammet, ut concaleat cor nostrum intra nos et ignis in eo clausus exaestuet, erumpensque inde accendat omnia. Absque hoc igne, quacunque eloquentia aut sermonis elegantia, actum agemus ; frigidi ipsimet auditores quoque in frigore relinquemus ; et tepidi ipsimet ignem haud spargemus secundum vetus monitum : *Ardeat orator, si vult accendere plebem.*

Quapropter, dilectissimi, finio et hortor vos, ut duplicem hunc Eliae spiritum igneum pro modulo vestro a Deo O. M. obtinere conemini, et per S. Eliae merita eum frequenter a Domino postuletis. Dicite igitur cum Elisaeo saepius : *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus,* et quidem 1) Spiritus igneae charitatis Dei et proximi, ex quo reliqua Dei dona et charismata profluent. Hinc mentis pax et laetitia, Dei cultus reverentia, paupertas spiritus et mundi despicentia, de offensis Dei tristitia et displicentia, patientia in adversis et persecutionum tolerantia, in cura animarum alacritas et solertia ac virtutum caeterarum decora velut ex fonte scaturient. 2) *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus,* propagandae gloriae divinae et procurandae salutis alienae ; quo mundo, carni, daemoni, infidelitati, haeresi, impietati et iniquitati nos fortiter opponamus ; etiam in conspectu regum ac principum loqui de testimoniis tuis non reformidemus, sed omnibus, quibus licet, viis et mediis pro Domino Deo exercituum et animarum salute zelemus. 3) *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus,* spiritus inquam *orationis et praedicationis :* ardeat prius ignis in corde, deinde in ore ; prius in facto, postea in verbo ; ut ardeamus instar Eliae et luceamus ; prius igne divino flagremus, ac deinde auditorum praecordia eodem inflammare valeamus ad laudem et gloriam tuam sempiternam. Amen.

EXHORTATIO II

DE SPIRITU ET VIRTUTE

S. ELIAE PROPHETAE

Christo Domino conformi, ejusdemque typo.

THEMA : *Quem dicunt homines esse Filium hominis ? Alii : Joannem Baptistam; alii autem : Eliam.* (Matth. 16, 13 sq.).

Magna merito S. Eliae prophetarum principis censenda est gloria, sanctorum Christi Apostolorum typum gessisse, primosque Evangelii praecones ac principes super omnem terram repraesentasse. Quemadmodum propheta hic Deum verum predicabat, idololatriam exscindebat, Baalis altaria evertebat, ejusque pseudoprophetas verbis igneis confutabat (nam *Verbum ejus ut facula ardebat* Eccli. 48) : ita quoque Apostoli linguis igneis, a Spiritu S. in Pentecoste acceptis, idololatriam extirpabant, Evangelium Christi orbe toto annunciabant, et magnalia Dei ac Christi Domini ubique gentium praedicabant atque promulgabant.

Major vero *S. Eliae* gloria extitit, ipsius praecursoris Domini, S. Joannis Baptistae, typum gessisse, qui Christum Dominum in spiritu et virtute *Eliae* erat praecessurus, ipsomet Salvatore de Joanne attestante : *Ipse est Elias, qui venturus est.* Matth. 11, 14, non persona (ut exponit *S. Hieronymus* Epist. ad Algasiam c. 1 (ML. 22, 1010) : q. 1), *sed quod eandem habuerit Sancti Spiritus gratiam, zona cinctus ut Elias, in eremo vivens ut Elias ; persecutionem passus ab Herodiade, ut ille sustinuit a Jezabel, et quomodo Elias secundi praecursor adventus est, ita Joannes venturum Salvatorem... nuntiarit.* Magna sane haec est gloria, ejus, quo major non surrexit inter natos mulierum, figuram expressisse.

At maxima ejusdem gloria fuit, ipsius Messiae et mundi Salvatoris typum praetulisse, velut verbis disertis Magnus pronuntiat Augustinus Serm. 201, de temp. (nov. ord. 40 inter spurios ML. 39, 1824). *Beatus* (inquit) *Elias typum habuit Domini Salvatoris.*

I. S. Elias typus Christi in nomine.

I. Magnus propheta *Elias typum habuit Domini Salvatoris* in nomine. Ut enim S. Hieronymus cap. 8. Michaeae exponit: *Elias* idem est, quod *Dominus Deus.* Cui Hebraei quoque consentiunt, asserentes Eliae nomen ex illa populi acclamatione ad Eliam desumptum esse: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus,* cum ante nomine Jaberschyth compellaretur. Idem testatur *S. Isidorus* Etymol. l. 7 c. 8 (ML. 82, 283): *Elias interpretatur* Dominus Deus. *Ex futuri igitur praesagio sic vocatur. Nam dum altercaretur in sacrificio cum quadringentis sacerdotibus Baal, invocato nomine Domini, descendit ignis de caelo super holocaustum. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait: Dominus ipse est Deus. Ex hac igitur causa tale prius nomen accepit.*

An non igitur illustre est Eliae nonen? *Elias Dominus Deus* dicitur, sicut et *Jesus Christus Dominus Deus* noster est. Elias *Dominus Deus.* Sicut enim Moyses a Domino constitutus fuit deus Pharaonis (*Exodi* 7, 1), qui plagas decem terrestres infligens Pharaonem ad populum dimittendum cogeret; sic quoque Elias constitutus est tanquam deus Achabi et Jezabelis, qui omnia elementa commovit stupendaque prodigia patravit, quibus regem, reginam ac Baalitas perculit, imo peremit. Ita pariter Christus Salvator noster, tanquam Deus et Dominus noster, prodigiis innumeris stygium Pharaonem, mundum ceu Achab, et carnem ceu Jezabelem tyrannicam debellavit, iisque Numen suum divinum supremamque potentiam demonstravit.

O vere excellens typus! o nobilis figura! sed figura-

tum et ectypus longe nobilior! Verum o religiose! o sacerdos Domini! nunquid et tu cum Christo et Elia in nomine convenis? Nonne Christianus es? Nonne Christi discipulus es, et frater, et membrum? Nonne et *Dominus Deus*, cum scriptum sit: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes* (Psal. 81, 6)? Tu praesertim sacerdos Altissimi, an non es *Dominus Deus*, dum ejus personam sustines, et in poenitentiae tribunali, et in tremendo Missae Sacrificio, tanquam *Dominus Deus* peccata dimitens, et tanquam *Dominus Deus* altaris Sacramentum conficiens, stupenda patras miracula? Si ergo et tu es *Dominus Deus*, vide, ut nomini omen, voci vita respondeat: ne sit functio tua nobilis, actio vilis; dignitas summa, vita ima, et nomen absque omine.

II. In actione.

II. Nec tantum nomine, verum etiam re et actione gestorum similitudine Elias sanctus Domini Salvatoris typum ac figuram expressit. Clarioribus id verbis haud declaravero, quam magni *Augustini*, Christum inter et Eliam bene longum parallelorum catalogum pertexentis. Serm. 201. de Temp. sic loquitur: *Elias typum habuit Domini Salvatoris: Sicut enim Elias a Judaeis persecutionem passus est; ita et verus Elias Dominus noster ab ipsis Judaeis reprobatus est et contemptus. Elias reliquit gentem suam; et Christus deseruit Synagogam. Elias abiit in desertum; et Christus venit in mundum. Elias in deserto corvis ministrantibus pascebatur; et Christus in deserto mundi hujus gentium fide reficitur. Corvi enim illi, qui beato Eliae jubente Domino ministrabant, gentium populum figurabant... Post haec jubetur Elias proficisci in Sareptam Sidoniorum, ut ibi pascatur a vidua.... Vidua ista... typum Ecclesiae gerebat. Venit ergo Elias ad viduam, quia Christus venturus erat ad Ecclesiam. Filius viduae typum gentilis populi praeferebat. Filius viduae defunctus jacebat, quia et filius Ecclesiae, i. e. populus*

gentium, multis peccatis et criminibus mortuus est. Orante Elias filius viduae suscitatur; veniente Christo, filius Ecclesiae, i. e. populus christianus, de carcere mortis a Christo reducitur. Elias oravit in monte Carmeli; et Christus in monte Oliveti. Elias oravit, ut pluvia in terram veniret; et Christus, ut in cordibus humanis gratia divina descenderet... Et sicut in adventu Eliae omnes idolorum sacerdotes interfecti sunt et delecti; ita in adventu veri Eliae i. e. Domini nostri Jesu Christi observantia sacrilega paganorum destructa est. Hactenus Augustinus.

An non belle Eliae typici et veri actiones consentiunt? Quam pulchre figurae et figurati gesta respondent! Verum an non et nos, tanquam Christianos et religiosos et sacerdotes, typi utriusque in moribus et gestis ectypos et antitypos exhibere omnino decet? An non par est, ut nostra oratio utriusque orationi, nostrum jejunium utriusque jejunio, nostra conversatio utriusque conversationi pro modulo nostro respondeat? At quoties a tam eximiis archetypis et prototypis in modo et methodo, in re et fervore, aliisque peristasibus quam longissime deflectimus ac discrepamus?

III. In virtute.

III. Neque in actionibus duntaxat, sed etiam in virtutibus Elias Christi Domini figuram insignum exhibet. Has inter

1. Locum primum vitae innocentia, puritas et sanctitas sibi vendicat, cum passionum sedula mortificatione et voluptatum abnegatione conjucta. Declarat id *S. Ambrosius* L. 1 de, Cain, ubi Eliam hisce elogiis celebrat: *Victor passionum, nec ullis captus illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem caelestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cujus similitudinem se perfecta virtutis ubertate formaverat; et ideo non legimus de eo, sicut de ceteris, quia deficiens mortuus est.* Verum quid

Christus Servator noster hoc typo expressus? Quis unquam illo innocentior? Quis justior? Quis vitae sanctimonia clarior? Qui secundum Apostolum ad Hebr. 7, 26 audit: *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus:* imo Sanctus Sanctorum?

2. Libertas arguendi scelera et scelestos, etiam reges et sacerdotes. Quanta enim libertate regi Achab et Jezabeli impiae in faciem restitit? Quanta generositate Dei nomine interitum eisdem et ruinam denunciavit? *Ecce* (inquit) *ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua..... Canes comedent Jezabel in agro Jezrael. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres caeli* (3 Reg. 21, 21 sqq.). Quanta quoque Redemptoris nostri libertas in arguendo scribras et pharisaeos, reges et principes, sacerdotes et pontifices?

3. Zelus honoris et cultus Divini, qui eum ad tot labores et difficultates, ad tot pugnas et certamina cum rege et Baalitis inenunda compulit. Unde ad Deum dicebat: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel* (3 Reg. 19, 10). Quantus vero in Redemptore nostro zelus gloriae Patris exarsit? *Zelus domus tuae comedit me!* Hoc zelo inflammatus et quodammodo consumptus, toto vitae spatio, tot aerumnas et adversitates, tot labores et fatigationes, tot itinera et incommoda, tot poenas et tormenta, tot calumnias et probra, tot injurias et contemptus invicto animo toleravit.

4. Patientia heroica et fortitudo, qua omnes regis et idololatrarum persecutiones ac Jezabelis, mortem ipsi intentantis, minas generosa mente superavit. Et quas Salvator noster ab omni hominum genere persecutiones non sustinuit, donec easdem morte crucis probrosissima conclusit.

5. Denique (ut paucis multa complectamur) quae fides,

quae devotio, quae solertia, quae temperantia, quae abstinentia, quae castitas, quae animi demissio ac mundi contemptus in sancta Eliae anima eluxit? Audiamus *S. Isidorum* in L. de ortu et obitu Patrum c. 35, n. 61 (ML. 83, 140) Eliae praeconia recensentem: *Elias* (inquit) *sacerdos magnus atque propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione sumnus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio praeditus, in exercitatione disciplinae structus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus.* Audiamus pariter S. Bernardum [? videtur ex opere omnino spurio] alia praestantissima ei elogia attribuentem. Elias (ait) *forma justitiae, sanctitatis speculum, pictatis exemplar, assertor veritatis, fidei defensor, doctor Israelis, magister insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatus, judex viduarum, oculus caecorum, lingua mutorum, ultor scelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, regum pater, sal terrae, orbis lumen, propheta Altissimi, praecursor Christi, Christus Domini, deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen.* Haec sunt praeconia typi sane excellentissima. At quis non videt longe eminentiora et infinite sublimiora modoque altiore Christo Domino nostro, Eliae ectypo, convenire?

Quis similiter non perspicit has quoque virtutes in nobis, si veri Christiani, ac religiosi nomine gaudere velimus, ratione certa requiri? Fides praesertim, devotio, temperantia, abstinentia, patientia, demissio, mundi contemptus, animarum et gloriae divinae zelus, et scelera, si ecclesiastae simus, redarguendi libertas: sine quibus non religiosi aut Christiani personam ac veritatem, sed idolum, sed umbram praeferemus ac repraesentabimus.

IV. In ascensione. IV. Denique magnus hic propheta Redemptoris nostri typum quoque expressit in ascensione ad caelum. Illius ascensum (4 Reg. 2, 11 sq.) descriptum legimus: dum

Elias et Elisaeus, discipulus ejus, colloquerentur, ut S. textus enarrat: *Ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque ; et ascendit Elias per turbinem in caelum, Elisaeus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et non vidit eum amplius.* Praeclare ascensum hunc *S. Ambrosius* [? videtur sumptum ex op. spurio] exponit, in Symb. Apost. *Elias in corpore isto positus, curru igneo, id est Angelorum subvectione, qui sunt spiritus et flamma ignis, in illa commotione ad caelum assumptus est.* At in quodnam caelum devectus est? *S. Bernardus* et *S. Gregorius* Hom. 29 in Evang. n. 5 (ML. 76, 1216) docet: *In caelum aëreum Elias sublevatus est, ut in secretam quandam terrae regionem duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritu quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et debitum mortis solvat. Ille etenim mortem distulit, non evasit. Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis suae gloriam ascendendo declaravit.*

Insignis ergo ascensus Eliae Christi Domini ascendentis typum exhibet; quamvis ille Christi longe sit illustrior. Discrimen utriusque notat laudatus ante *Gregorius* l. c. dum ait: *Notandum quoque est, quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno... Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur, quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur.* O igitur praeclaram Christi Domini figuram! o nobilem Redemptoris in nomine, actione, virtute et ascensione typum!

Sed quem inde fructum decerpemus? magnum utique, si haec rite perpenderimus et ruminaverimus: innuit S. Augustinus l. c. (scil. serm. 40 non genuino 201 de temp. ML. 39, 1826). *Haec,* inquit, *fratres charissimi, si velut animalia munda assidua cogitatione in cordibus*

vestris ruminatis, implebitur in vobis, quod scriptum est: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (Prov. 21, 20). Inde enim in corde et ore vestro thesaurus desiderabilis orietur, si ejus virtutes non solum ruminaveritis, verum etiam opere expresseritis ; thesaurum incomparabilem meriti, gratiae et gloriae reportabitis.

Quapropter, dilectissimi, crebro in nobilem hunc typum S. Eliam, et Christum Dominum velut nobilissimum ejus ectypum oculos mentis conjicite, ac 1) Eliae nomen attendite, ac videte, ut quodammodo vobis approprietis, sitisque conversatione et vita ac conversatione quasi divina, supra humanam elevata, ut impleatis illud Christi : *Ego dixi, dii estis et filii Excelsi omnes.* 2) S. Eliae typi, ac Christi Domini velut ectypi actiones, mores, gesta et opera, pro communicata vobis gratia, imitari studete: *Exemplum,* ait Christus, *dedi vobis, ut quomodo ego feci, ita et vos faciatis.* 3) Eliae typi et Christi ectypi vitae innocentiam, libertatem scelera redarguendi, si vobis id ex officio incumbat, zelum divini honoris, patientiam, fortitudinem, fidem, devotionem, temperantiam, abstinentiam, humilitatem, castimoniam, et mundi universi contemptum vobis comparare satagite, ut hac ratione utriusque praeclarus antitypus evadatis. 4) Quod si praestiteritis, magnum reportabitis thesaurum, hunc nimirum, ut post transactum breve vitae hujus mortalis curriculum, non cum Elia in caelum aëreum, sed cum Christo Domino in caelum empyreum, ac beatam illam Beatarum mentium sedem ab angelicis spiritibus deportemini (1).

(1) In editione originaria sequitur « *Exhortatio de spiritu et virtute S. P. Augustini, Doctoris Ecclesiae et fundatorts canonicorum regularium et eremitarum, dolentis, quod sero Deum amare coeperit* ». Verum haec exhortatio plane idem argumentum tractat atque exhortatio I pro festo S. Augustini supra pag. 227 sqq., sola enuntiatione ex parte diversum, ex altera parte iisdem etiam verbis. Quare consultius duxi eam supprimere.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

SANCTI BASILII

Cappadociae Episcopi, S. Ordinis Basiliani fundatoris, cum Moyse collati.

THEMA : *Dilectus Deo et hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum* (Eccli. 45, 1 et 2).

Sanctus Gregorius Nazianzenus, S. Basilii Magni, Cappadociae Episcopi, compar ejusdemque familiaris, et eremi et domus et mensae, et studiorum et morum et vitae socius, quantam de patriarchae hujus sanctimonia aestimationem foveret, vel ex eo inter caetera liquet, quod eundem jam cum Abrahamo multarum gentium patre, jam cum Moyse populi Istraelitici thaumaturgo duce, jam cum Josepho AEgypti prorege et mundi salvatore, jam cum aliis viris celeberrimis praestantissimisque componere nullus dubitarit. Nobis vero in praesenti lubet, encomiis aliis praeteritis, magni nonnulla virtutum heroicarum paralleła recensere, ut ad utriusque virtutum amorem et imitationem inflammemur. Quantopere vero S. hic Episcopus Moysen ejusque scripta triverit, soli libri Hexaemeron abunde declarant, quos ipse in Geneseos librum ita elucubravit, ut eos S. Ambrosius transtulerit, ac non tam suum, quam S. Basilii foetum in tractatu de opere sex dierum oculis auribusque latinis dederit. *Nos quidem,* scribit ipse Basilius ad Libanium Epist. 146 (ord. nov. 339 MG. 32, 1084) *cum Moyse et Elia similibusque beatis viris versamur, qui nobis doctrinam suam tradunt.* Ideoque S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri, de laudi-

bus Sancti Basilii prolixe contexta, eum Moysen a Moyse agere didicisse asserit ; ipsosque tredecim annos Moyse et sacris Literis volvendis ac meditandis operam navasse testatur Ruffinus. Nunc utriusque parallelas virtutes videamus.

I. Moysis et Basilii profectus et ascensus in virtute.

I. Moyses non statim uno veluti saltu ad populum Israeliticum docendum, pascendum, regendum atque ex AEgypti servitute in terram Chanaan deducendum provolavit ; sed per gradus ad ducatum et animarum regimen ascendit ; primis quadraginta annis in aula Pharaonis educatus, et omni AEgyptiorum sapientia excultus fuit, ac cum magnatibus agere didicit. Secundis quadraginta annis pascens oves Jethro soceri sui in terra Madian, contemplationi se dedit ac propriae perfectioni vacavit, ut perfectus ipse perficeret alios virtutesque acquisitas in alios transfunderet, atque inde, annum jam agens octogesimum, populi pastoratum et ducatum adiit.

Idem praestitit aevi sui Moyses Basilius. Absoluto namque Athenis eloquentiae et philosophiae curriculo, ad volvenda ac meditanda sacrarum literarum monumenta se contulit, ac deinde sacerdotali charactere insignitus fuit, teste Nazianzeno. l. c. *Cum prius sacros libros lectitasset, et eorum explanator fuisset, factus est presbyter ab Hermogene Episcopo Caesariensi etc.* Antequam vero infulam episcopalem admitteret, in perfectionis omniumque virtutum studium toto conatu incubuit, et quos in Palaestina, Coelesyria et Mesopotamia viros omni virtutum genere praestantes reperit, imitari studuit, velut ipse scribit Epist. 79 (nov. ord. 223, n. 2 (MG. 32, 824) adv. Eustathium Sebast.: *Obstupui,* inquit, *eorum in servanda diaeta temperantiam, in obeundis laboribus tolerantiam, precandi vigorem et constantiam, ut nec somno victi, nec aliqua naturae necessitate deflexi, sublimem semper et invictum animi sensum in fame et siti, in frigore et nuditate servarent...*

Cum illa admirarer..., cupiebam et ipse, quantum mihi possibile esset, illos aemulari.

Eritis et vos aliquando, charissimi, ut spes et et vita comite, aliorum instructores, verbi divini praecones, conscientiarum arbitri, missionum variarum administri, et animarum plurimarum rectores; at hic in vitae religiosae tirocinio prius solida vitae perfectioris fundamenta jacienda sunt; prius vitia comprimenda, passionum impetus fraenandi, virtutum necessariarum, humilitatis, obedientiae, castitatis, charitatis panoplia comparanda est: ne forte, cum aliis praedicaveritis, ipsi reprobi efficiamini. Prius discendum est, quod deinde alios doceatis; prius possidendum est, quod aliis deinde communicetis. Cogitate vos hic in tirocinio cum Christo degere, velut in Nazarethana domo, et uni humilitatis et virtutum studio cum ipso vacare; cogitate vos cum Basilio in eremo sancto versari, ut cum Deo familiarius agere discatis. Sane angelicam Basilii vitam ut aemularetur, ut ejus consortio amabili frueretur S. Nazianzenus, asserit, quod in eremum se contulerit, quaesiturus remedium

Doloris, ex amici consuetudine
Plane viri divini, qui istic cum Deo
Sub nube agebat, ut alter Moses,
Hic erat Basilius vivens cum Angelis.

II. Moysis et Basilii temperantia.

II. Prima virtus viro apostolico regimini animarum admovendo necessaria est temperantia et cibi potusque abstinentia. Praeluxit in hac virtute populi Israelitici dux Moyses, qui temperantem sobriamque omnino vitam egit, nec tam cibo quam Dei verbo vitam traduxit; adeoque a Majestate divina Legis tabulas recepturus, duabus vicibus dies quadraginta absque cibo et potu sola oratione et rerum caelestium contemplatione sustentatus, transegit.

S. Basilius, Moyses Orientis, priscam monachorum

abstinentiam sectatus est, eamque Constitutionibus suis monasticis sanxit. De viri hujus sancti eximio paupertatis et abstinentiae studio ista refert Nazianzenus in panegyri: *illi*, ait, *tunica una, et pallium unum, et humicubatio, et balnei contemptus, et vigiliae; et coena suavissima atque pulmentum erat illi panis et sal: et potio sobria, quam nobis nihil laborantibus fontes proferunt.* Ex hujus abstinentiae rigore vultus ei pallidus et caro ita emaciata, ut ossibus ferme solis ac pelle constare videretur.

Virtus haec, dilectissimi, quam necessaria sit in hisce praesertim Germaniae regionibus, in quibus vitia contraria, pro dolor! nimium quantum grassantur, notum vobis perspectumque est; *pallor et macies virum religiosum decent*, acroama est S. Basilii. Si non pallor et macies, quae vires apostolicis laboribus necessarias infringere posset aut labefactare, at certe temperantia et abstinentia virum apostolicum decent; ab hac in tirocinio auspicandum est contra vitia praelium. *Prima nobis calcanda est gulae concupiscentia*, ajebat *Cassianus* Coenob. inst. l. 5, c. 14 (ML. 49, 229); rationem dat Magnus Gregorius: *Neque enim*, ait, *ad conflictum spiritualis agonis certamen assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulae videlicet appetitus, edomatur.* Moral. l. 30, c. 18 (ML. 76, 555). Huic igitur vitio, ante omnia, bellum indicamus; alias, hostes subtiliores, superbiam, vanam gloriam, invidiam, caeterosque nequicquam lacessimus, et in arenam frustra provocamus.

III. Moysis et Basilii humilitas.

III. Insignis in Moyse effulsit animi demissio, omnisque honoris mundani contemptus. A Deo enim ad populi ducatum et regimen accersitus, non una duntaxat, sed et altera et tertia vice honorem et onus detrectans, sese excusavit: Exodi c. 4. *Obsecro*, inquit, *Domine, non sum eloquens ab heri et nudius tertius, et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae*

sum... Obsecro, Domine, mitte quem missurus es. O egregia tanti viri humilitas! O insignis honoris despectus!

Non impar animi demissio et honoris fuga eluxit in Magno Basilio; infulam enim episcopalem Neocaesareensem, ut ipse scribit Epist. 164, declinavit; pari modo, cum aegrotanti Eusebio Episcopo Caesareensi, amico suo, fidelitate magna ad obitum usque astitisset, eo defuncto, honorem refugiens, abdidit sese, et deprehensus, reluctans, multumque renitens, tandem onus et honorem episcopalem admittere coactus est. Haec est prisca veterum illorum Sanctorum demissio, longe a saeculo moderno discrepans et aliena.

Sed vos, charissimi, tametsi nondum propinquum adest officiorum honoratorum periculum, id tamen curate, ut vel a limine Religionis honorum quorumcumque aversionem et horrorem sacrum imbibatis, ea potissimum de causa, quod de subditorum animabus Deo ratio reddenda Superioribus incumbat: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, ajebat de praepositis gentium Doctor Hebr. 13, 17. Haec ratio absterrebat Joannem Episcopum Roffensem, illustrem Angliae martyrem, quem cum ob virtutem excellentiam Henricus VIII. Angliae rex a tenui episcopatu Roffensi ad ampliorem promovere pararet, nunquam adduci se sivit, ut sponsam suam tenuiorem quidem illam, sed Dei vocatione primam, pro locupletiore dimitteret, illud memoratu dignum adjiciens: *Se perbeatum futurum, si de hoc saltem minuto concredito sibi grege, deque non adeo magnis inde acceptis emolumentis, in die Domini recte respondere possit: cum et de recte expensis pecuniis tunc reddenda sit ratio exactior, quam mortales fere putent aut curent.* (Sanderus L. 2. de Schism. Angl.) Quantopere S. Franciscus Borgia et Bellarminus Cardinalis galerum purpureum, Laynez varias infulas, S. Ignatius Praepositi Generalis munus reformidarint et

fugerint, alias diximus, vobisque notum est et perspectum. Horum ergo aliorumque Sanctorum exemplo sentite, melius tutiusque vobis fore subesse quam praeesse ; atque in id semper inclinate ac propendete, nisi aliud jubeat sancta obedientia.

Moysis et Basilii mansuetudo et charitas.

IV. Complures aliae in gradu praecellenti virtutes Moysen exornarunt, quae eum tot centenis animarum millibus regendis aptum reddidere : tales fuerunt primo mansuetudo eximia ; teste enim Scriptura, mortalium mansuetissimus extitit : deinde sollicitudo et cura paterna ac materna charitas ; tanto enim in populum amoris affectu ferebatur, ut pro eo e vitae libro deleri optarit. Hoc affectu plenus, tanquam nutrix populum quadraginta annis pane caelesti seu manna pavit, et multo magis ejus animis ad Dei timorem et amorem inflammandis insudavit, plurimosque ejus ac graves defectus et lapsus miti mente toleravit, ut ex toto Deuteronomio aliisque ejus libris liquet.

Similes omnino virtutes S. Basilium, Moysen christianum, mirifice illustrarunt : primo enim singularis in eo mansuetudo resplenduit ; constanti namque benignitate sua vicit adversarios suos, ut de eo refert S. Nazianzenus. Deinde praecipua in eo eminuit charitas et misericordia, sollicitudo et vigilantia, cum zelo animarum egregio conjuncta, quas *Ruffinus* enumerat Hist. eccl. l. 2 c. 9 (ML. 21, 518) : *Basilius*, inquit, *Ponti urbes et rura circumiens, desides gentis illius animos et parum de spe futura sollicitos stimulare verbis et praedicatione succendere, callumque ab his longae negligentiae coepit abolere, subegitque, abjectis inanium rerum et saecularium curis, suimet notitiam recipere, in unum coire, monasteria construere, psalmis et hymnis et orationibus docuit vacare, pauperum curam gerere..., virgines instituere, pudicam castamque vitam omnibus pene desiderabilem facere. Ita brevi permutata est totius provinciae facies.*

Neque solum mentes, sed et ventres suorum in communi fame et miseria pavisse Basilium testatur *S. Nazianzenus: Cibum*, inquit, *esurientibus frangit, panibusque pauperes satiat alitque eos in fame: apertis enim enim oratione et cohortatione sua locupletum horreis, omnibusque ciborum generibus corrogatis, famelicos et spiritum vix trahentes viros, feminas, senes pascit, et Christi exemplo ministrat ac pedes abluit. Talis erat novus noster procurator et secundus Joseph*, ut pro epiphonemate addit S. Nazianzenus.

Charissimi, discite a viro sancto mansuetudinem summe animarum curatoribus necessariam, quam et Salvator a se disci voluit, quando dixit: *Discite a me, quia mitis sum*. Discite deinde charitatem, sollicitudinem, misericordiam et animarum zelum, sine quarum virtutum adminicula digne vocatione vestra ambulare munerique vestro suo tempore facere satis nequaquam valebitis.

V. Moysis et Basilii legislatio.

V. Moyses Nazaraeos instituit, eisque leges dictavit; S. Basilius, coenobitarum Moyses, monasteria toto Oriente excitavit, eisque constitutiones monasticas perscripsit. Qua de causa, tanquam rerum novarum inventor ab haereticis redargutus fuit; quibus respondet Epist. 63, novo ord. 107, n. 2 (MG. 32, 761): *Accusamur et hujus vitae, quod monachos habeamus pietatis studiosos, qui mundo renunciarint, et universis saeculi curis, quas Dominus comparavit spinis fertilitatem verbi impedientibus: qui hujusmodi sunt, mortificationem Jesu in corpore circumferunt, et cruce quisque sua accepta, Dominum sequuntur. Ego vero omnem vitam meam impenderem, ut mihi possent ista impingi delicta, haberemque apud me viros, qui, me doctore, hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint.*

Nos, charissimi, viri sancti monitis obtemperabimus, saeculi curis semel rejectis constanter renuntiabimus; mortificationem Jesu semel susceptam constanter in

corpore nostro circumferemus, crucemque Domini humeris nostri semel impositam non abjiciemus; sed usque ad supremum spiritum constanter portabimus, ut salutem aeternam reportemus. Non enim qui coeperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

VI. Utriusque fortitudo.

VI. Moyses Pharaoni ejusque magis mira constantia restitit, S. Basilius Julianum apostatam debellavit et prostravit, ut ex Helladio refert S. Joannes Damascenus, Orat. I de imagin. Qua ratione Valenti et Arianis restiterit, testis est Nazianzenus. Lege ejus panegyricam de laudibus hujus Sancti: mediae horae angustiae non sinunt esse prolixiorem.

VII. Luctus in utrisque funere.

VII. Denique Moyses ad Patres abiens, ingens populo sui desiderium reliquit: *Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus* (Deut. 34, 8). In obitu ac funere S. Basilii, narrat S. Nazianzenus, tantum extitisse lugentium etiam Judaeorum et ethnicorum concursum, ut plures in turba obtriti et extincti occubuerint. Tanta est Sanctorum veneratio! Imitari non pigeat, quos celebrare delectat.

Quapropter, dilectissimi, si aliquando Moysi populi Hebraei duci et S. Basilio novo Moysi christiano in caelesti gloria consociari cupiamus, eorum virtutes aemulemur: Et quidem 1) Ardens proficiendi desiderium et propositum de virtute in virtutem progrediendi concipiamus; semitae perfectionis passus primus est disciplinae virtutum concupiscentia. 2) Tum Moysis et Basilii exemplo ad temperantiae ac sobrietatis studium nos accingamus; absque his enim luto et faecibus infixi haerebimus, atque ad superna evolare nequibimus. 3) Inde ad animi demissionem et mansuetudinem, et ab his ad charitatem transeamus, quibus gratiae divinae munere nostraque strenua cooperatione obtentis, aliis quoque, cum Moyse et Basilio, virtutum leges dictare et perfectionis regulas praescribere valebimus. His denique

obtentis, cum iisdem viris sanctis mundo, carni, daemoni caeterisque hostibus virtutum fortiter resistemus: atque ubi cursum nostrum consummaverimus et ex hac mortalitate ad meliorem vitam transierimus, omnibus praeter boni exempli odorem virtutumque fragrantiam, nostri desiderium relinquemus.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

S. PATRIARCHAE BENEDICTI

S. Ordinis Benedictini fundatoris cum lilio comparati.

THEMA: *Sicut lilium inter spinas* (Cant. 2, 2).

Christus Dominus, Redemptor noster et animarum castarum sponsus dilectus, candidus et rubicundus, apte lilii symbolo adumbratur; unde ipse hoc nomine gloriatur Cant. 2, 1 dicens: *Ego sum flos campi, et lilium convallium,* lilium scilicet candidum et odoratum, ex humili terra et Virgine natum. *In lilio,* inquit Honorius, *quinque considerantur: quia est candidum, habens aureum colorem prominentem: est et odoriferum et pandulum, ac semper incurvum. Sic Christus candidus est in humanitate, aureus in Deitate, odoriferus in praedicatione, pandulus in suscipiendo poenitentes, incurvus in condescendendo peccatoribus, et eos sublevando.* S. Ambros. similitudinem invertens, ait: *In Christo aeque ac in lilio fuit candor divinitatis et rubor humanitatis.* Deinde beatissima Dei Genetrix ac Virgo Maria puritatis et castitatis nitore ac eminentia recte cum lilio componitur, vel ipso caelesti Sponso attestante: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (Cant. 2, 2).

Id est, veluti lilium inter spinas situm effulget, sic amica mea, sponsa mea, et in primis Mater mea, inter caeteras mulieres emicat. Praeclare de hoc virgineo nitidissimoque lilio S. Petrus Damianus Serm. 3, de Nativ. B. V. (ML. 144, 754) ait: *De spinosa Judaeorum progenie nata, candescebat munditia virginea castitatis in corpore, flammescebat ardore geminae charitatis in mente, fragrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis.* Denique lilium candens Justi ac Sancti cujuslibet est hieroglyphicum, ut diserte canit Ecclesia de sanctis martyribus: *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te.* Ejusmodi quoque lilium magnus patriarcha ac multarum familiarum religiosarum conditor S. Benedictus extitit, sive lilii bulbum, sive scapum, sive candorem, sive spinas, sive folia, sive odorem consideres, id quod jam nunc declarare auspicabimur.

I. Lilii bulbus.

I. Primum quod in lilio expendendum est *bulbus*, qui specie et figura cordis est. Cor in homine est principium vitae; unde Salomon monet Prov. 4, 23: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Cor enim purificat sanguinem, et ex eo gignit spiritus vitales, eosque per omne corpus diffundit, tanquam motus, sensationis et operationis causas atque origines. Quemadmodum igitur cor naturale causa est vitae naturalis, ita cor morale, puta mens et voluntas, est causa vitae moralis, scilicet virtutis gratiae et gloriae, omniumque actionum bonarum radix et malarum, quae *de corde exeunt et coinquinant hominem.* (Cf. Matth. 15, 18.) Cor autem istud, quoniam instabile et molendini instar est mobile, per sinceram puramque intentionem in Deo figendum est ac stabiliendum, ne, ut ait Doctor mellifluus in Med. c. 9, evagetur, neve *dum ab amore caelestium elongatur, in amore terrestrium occupetur.*

O quam sollicite lilium nostrum mysticum D. Bene-

dictus a primo vitae melioris exordio, bulbum suum, cor inquam suum, servavit firmiterque in Deo defixit! Videns enim, ut refert S. Gregorius ML. 2. Dial., plerosque coaevos suos vernantis aetatis impetu abruptos et juvenili libertate laetos affectibus suis indulgere, veritus, ne qua similis traheretur orbita culpae, certus abdicare se litterarum studiis et in solitudinem secedere decrevit, eligens potius esse minus doctus, quam parum sanctus, ut mente in caelestibus fixus uni Deo, toto corde, famularetur.

O Religiose et tu exemplo S. Patris Benedicti, ab initio religiosae vitae *omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* l. c. Cave, ne ejusdem instabilitas unquam te a voluntate et intentione sincero corde Deo famulandi abripiat. Si enim a caelestibus ad terrena rapiatur, illico vitiis et cupiditatibus suis irretietur, testante S. Bernardo Med. c. 9 (op. dub. ML. 184, 499): *Cum elabitur ab illis* (divinis) *et involvitur in istis* (terrenis), *vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia; sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, quoniam unum Deum, qui ei sufficere poterat, dimisit.* Ne id tibi eveniat, caetera dimitte, Deum tene, illi cor affige et in illo velut centro animae tuae et intentionis tuae requiesce.

II. Lilii scapus.

II. Alterum, quod in lilio reperimus, proxime cum bulbo connexum, est *scapus* praecelsus, cui adhaerent folia, et lilium ipsum insistit. Praecelsus est; eminet enim lilium inter flores celsitudine ac sublimitate. *Nec ulli florum excelsitas major, interdum est cubitorum trium,* inquit Plinius L. 21, c. 5. Atque ob hanc excelsitatem flos regius nuncupatur. Anima sancta a terra se segregans et expurgans, omnibus terrenis sublimior, usque ad ipsum Trinitatis sacrosanctae sinum ascendit, caelis omnibus et sublunaribus excelsior, vere asserens cum illo: major sum et ad majora natus, quam ut terrae terrenisque quisquiliis ac sordibus inhaeream.

Talis fuit alta mens S. P. Benedicti, qui a Deo ad vitam sublimiorem vocatus, illico terrena omnia arbitratus est ut stercora, ut Christum lucrifaceret; quare parentibus, copiosis thesauris, divitiis, atque omnibus mundi dolose blandientis illecebris abdicatis, *cessit*, ut loquitur magnus Gregorius L. 2. Dial. Proleg. (ML. 66, 126): *scienter nesciens, et sapienter indoctus*, deinceps gratiorem vitae methodum secuturus, super omnia terrena se elevans, caduca omnia pedibus calcans: pigebat enim mentem ad ima incurvare, quam ad summa divinaque creatam et erigendam cognoscebat.

Anima religiosa, ne et tu instar mulieris evangelicae ad terram terrenaque incurveris, ita ut sursum respicere nequeas; neve instar ignavorum Gedeonis militum inclinata ac prostrata turbidas mundi aquas bibas: velut scapus lilii viridantibus spei foliis exornatus, exemplo S. Benedicti, erige te, caelum suspice, et illic regnantem intuere; nec rursum ad terrena, semel abjecta et spreta, te dimittas. Ad caelum, ad Deum te efferas, *qui os homini sublime dedit, caelumque tueri jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.*

III. Lilii candor.

III. Tertio ad ipsum florem a scapo ascendamus, ejusque candorem eximium speculemur et animum speculando oblectemus. Aspice igitur, ut lilium candet ac ipsas nives albedine vincit! et quod a Junonis lacte natum a poetis fingitur, lactis candorem et nitorem superat. Quidnam vero hic candor illustris, nisi mentis puritatem, vitae innocentiam et corporis animaeque castitatem designat? Sane ex mente S. Gregorii in Cant. 2, ℣. 2 (ML. 79, 494): *Sola illa anima in lilii dignitate computatur, quae a mortalitatis radice ad caelestem pulchritudinem assurgit, et munditiae candorem corde et corpore sibi ipsi custodit.* Unde ejusmodi puris sanctisque animabus recte lilium in manu depingitur.

Nonne et tibi, Benedicte beatissime, merito lilium

candens appingimus, qui a puero virginitatis florem illibatum conservasti, atque, ut in vitae tuae historia legimus, a primo rationis diluculo tanta puritate, modestia, castitate ac vitae innocentia fuisti, ac si aevi maturus, resque omnes mortales aversatus, unice caelestibus intenderes ? Verum o benedicta anima, attende tibi ! et recole scriptum esse : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Liceat te affari verbis melliflui Doctoris Serm. 48, n. 2 (ML. 183, 1012): *O candens lilium ! o tener et delicate flos ! increduli et subversores sunt tecum : vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis : in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his et minime laedi, divinae potentiae est, non virtutis tuae.*

Sensit aliquando Benedictus sanctus hos spinarum aculeos, quando, inusitato vitae rigore utentem et remis velisque ad perfectionum portum properantem cacodaemon castissimum juvenem tam ardentibus libidinis stimulis pupugit, ut rei novitate perterritum, anxium ac fluctuantem, pene ad eremum deserendam adigeret, nisi divinae gratiae radius affulsisset, robur novum addidisset, ac tela nequissimi ignea extinxisset. Ergo virtute ab alto roboratus, vestibus suis exutus, totusque nudus in medias sese spinas et urticas abjecit, in iis tam diu volutus, donec toto corpore saucius exiit ; et per cutis vulnera, a corpore vulnus mentis eduxit, quia voluptatem traxit in dolorem. *Vicit itaque* (ut loquitur S. Gregorius) *peccatum, quia mutavit incendium.* Io triumphe ! Benedicte, vicisti inimicum, electum illaesumque perstans *inter spinas lilium,* aut potius, ut Chaldaeus et Galatinus L. 7, c. 5, vertit, *sicut rosa inter spinas,* proprio cruore purpurata, deinceps ab omnibus hujusmodi stimulis ac puncturis, Dei gratia speciali, libera.

Religiose, si castitatis lilium, per saeculi spineta et vepreta, singulari Dei gratia, illaesum in religionem

intulisti, incomparabilem hunc thesaurum omni diligentia custodi, et si cacodaemon incendia excitet, Sancti Benedicti exemplo ad spinas, id est ad opera poenosa et spinosa, confuge ; gaudet castitas asperis, mollia odit : et eris *lilium inter spinas*.

IV. Candore lilii inspecto, nunc quoque *folia* ejusdem numeremus : recenset lilium sex candidissima folia, instar calicis sese diducentia atque pandentia, nonnihil in superiori acumine resupina ; in medio sex prominentes virgulas cruceas ostentantia. Quid vero illa, nisi virtutes eximias castitati annexas mystice adumbrant. IV. Liliis folia.

O Benedicte sanctissime ! quid folia haec sex, nisi sex in te magis illustres ac prae caeteris emicantes virtutes nobis repraesentant ? 1. Quantum in te refulsit odium tui, animique fortitudo, qua carnem et concupiscentias ejus tam generose domuisti ! 2. Quanta in te eluxit in tolerandis aliorum defectibus patientia, et invicta injuriis perferendis animi mansuetudo ! 3. Quam incredibilis emicuit in te erga Deum fiducia, quae ea omnino sperabat, quae humana desperaret prudentia vel potentia ! 4. Quam ardente flagrabas animarum zelo, quo inflammatus montis Cassini incolas ad Christum convertisti, adolescentulosque complures ad pietatem erudiendos suscepisti ! 5. Quam ingens in te notatum fuit orandi ac cum Deo familiariter agendi studium, quo dies noctesque Deum praecando, laudando, psalmos hymnosque cantando insumebas ! 6. Quam admirabili a Deo prudentia et sapientia instructus fuisti, qua regulas Ordini tuo tam aptas condidisti, ut orationis exercitio manualia opera, solitudini communitatem, subditorum erga Superiores summam observantiam cum summa horum erga subditos suavitate, assiduitatem in choro cum charitate in proximum, vitam perfectam cum infima natura, Martham cum Maria admirabili conjunctione combinasti. In omnibus vero emicant virgulae aureae, indices aureae chari-

tatis, qua ita flagrabas, ut totus Deum ac divina spirares, eique te totum in holocaustum amoris immolares.

Religiose, arridentne tibi haec lilii folia seu virtutes? Imitari conare S. Benedictum; exerce te in dies, absque labore nihil; cum labore, Dei gratia adjuto, omnia. Scribendo scriptores, cantando cantores, fabricando fabri, virtutes strenue et assidue exercendo religiosi omnium virtutum floribus exornati evadimus, quia habitus virtutum nobis exercendo comparamus.

V. Lilii odor. V. Quintum denique, quod lilium mirifice evehit, est *odor* gratus ac fortis; qui aliud non denotat in lilio mystico, nisi odorem amoenum ac potentem bonae famae ac virtutis.

Benedicte sancte, quis vitam tuam expendens virtutumque folia, de quibus diximus, considerans, te instar lilii odorem suavissimum bonae famae ac sanctitatis spirasse miretur? Hic sane potens et amoenus odor allexit primum coenobitas illos, ut in monasterii sui abbatem te eligerent. Postea mira vis exemplorum tuorum et fragrantia, magnetis instar, ad se ferrea quaeque traxit, ut ad te plurimi discipulorum undique confluerent, ac brevi temporis intervallo duodecim omnino monasteria extrueres et fundares. 3. Horum odore attracti alii quam plurimi, tanto quidem numero, ut refert Trithemius L. 2, de viribus illustribus, fuisse tempus, quo in familia hac sacra quindecim abbatiarum millia recenserentur. 4. Horum odore pellecti, S. R. E. Cardinales, ut ex eodem Ordine, teste Genebrardo duos et viginti elegerint in summos Pontifices, et galero purpureo donati fuerint Cardinales ducenti, Archiepiscopi 1600, Episcopi 4000, Abbates eruditione et scriptis celebres 15700. 5. Hoc odore invitati ad ordini nomen dandum imperatores tres, imperatrices undecim, reges magni duo et viginti, ac quadraginta reginae, praeter infinitos prope principes viros ac feminas, purpuram cum fuscis sacrisque lacernis commutantes.

O quanta vis et energia boni exempli est ! Et simul quanta, sancte Benedicte, familiae tuae est foecunditas, tantum prolium numerum proferens ! *Nihil est lilio foecundius*, ait Plinius L. 21, c. 5, *una radice quinquaginta saepe bulbos emittente*. Tu non centenos, sed tot millenos per orbem universum filios, filiasque spirituales producis. *Exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans* (Is. 35, 1-2), psalmosque Davidicos et hymnos die nocteque Domino Deo concinens.

Quapropter, fratres dilectissimi, si et nos exemplo sancti patriarchae Benedicti caelestis lilii instar efflorescere aveamus : 1) A *bulbo* auspicemur, id est, a corde seu intentione exordium ducamus, ab ipso enim vita spiritualis procedit ; nam quidquid agant homines, intentio judicat omnes ; haec igitur intentio nostra minime alio ab amore proprio detorqueatur, sed soli Deo servire, ac unice placere in omnibus desideret. 2) Vernet semper in nobis praecelsus lilii *scapus*, in Deum semper erectus, supra terram terrenaque longe elevatus, nunquam ad mundi faeces incurvatus, ne oggeratur nobis : *O curvae in terras animae, et caelestium inanes !* 3) Perennet in nobis lilii candor, id est, maxima puritas castitatis. Et si quando caro titillet, mundus inescet, daemon infestet, ad Deum recurramus pro auxilio, et cum S. Benedicto ad spinosa poenosaque confugiamus. Contraria contrariis curantur : frigus calore, voluptas dolore vincitur ac depellitur. Hac ratione cum eodem Sancto sicut lilium inter spinas quidem versabimur, sed feliciter eluctabimur, victoresque coronam de liliis in castimoniae praemium promerebimur. 4) Crescant in nobis ac pandantur sex lilii folia, seu S. Benedicti virtutes, fortitudo, patientia, fiducia, zelus, pietas ac prudentia, aureis virgulis seu charitatis actibus coronata ; sed absque labore nihil, frequentatis actibus nascitur augeturque habitus.

5) His obtentis, amoenam ubique odoris fragrantiam spirabimus, nec nostros duntaxat fratres ac domesticos, verum etiam externos, imo et beatos Spiritus caelestesque genios ac ipsammet Majestatem divinam plurimum quasi recreabimus et in tempore et vel maxime in aeternitate, quando tanquam candidissima lilia e terrestri Religionis paradiso in caelestem transplantabimur.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

SANCTI BRUNONIS

S. Chartusiani Ordinis auctoris ac fundatoris, in palma adumbrati.

THEMA : *Justus ut palma florebit* (Psal. 91, 13).

Quemadmodum vates regius impios foeno comparaverat, quod ut mane floret, vespere arescit, a messoribus resecatur aut a vento dispergitur, ac denique in ignem dejicitur, ita impii brevissimo tempore virent ac florent, pauloque post in gehennae clibanum mittuntur : sic ex adverso justitia ac sanctitate conspicuos cum palma et cedro componit, dum ait : *Justus ut palma florebit ; sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Justus enim primo in hac vita instar palmae florebit, fructus dulcissimos bonorum operum proferet, oneribus non facile succumbet ; sed robore virtutis cuncta superabit, atque ut cedrus Libani multiplicabitur, augebitur, in maximam altitudinem excrescet, virtutum ramos multiplicabit, firmissimas perseverantiae radices jaciet, illisque nixus nullis tentationum ventis dejicietur, donec in altera vita in paradisi caelestis viridarium transplantetur,

et aeternum vireat, floreat ac vitae perennis fructus nobilissimos proferat. Rationem deinde reddit, cur justus palmae et cedri instar vernaturus sit : *Plantati* inquit, *in domo domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.* l. c. ℣. 14. Quoniam in domo Domini, in Ecclesia Dei, per fidem plantati, et aquis sacramentorum et verbi Dei rigati, in charitate fundati et radicati, flores honestatis et fructus bonorum operum proferent ; siquidem extra Ecclesiam et sine fundamento fidei omnis plantatio eradicabitur, quippe a Patre caelesti non plantata. An non ejusmodi palmam merito asserimus extitisse sanctum Carthusianae familiae fundatorem Brunonem, qui instar palmae semper floruit, et Ordinis sui ramos longe lateque extendit, et plantatus in domo Domini, in domo Ecclesiae et in domo Religionis a se fundatae, praestantissimos omnium virtutum fructus protulit ?

Fructus hosce ut oculis vestris subjiciamus, eosdem in palmae proprietatibus proponemus ac dilucidabimus.

I. Palma gaudet riguis, totoque anno bibere ; ait Plinius L. 13, c. 4. Similiter palmam aquis scaturientibus magis proficere, quam pluviis, scribit Theophrastus L. 2, de plantis c. 4. Ea de causa *filii Israel duodecim fontes aquarum et septuaginta palmas repererunt.* Scilicet, palma gaudet riguis, aquisque scaturientibus delectatur. Justus pariter gaudet riguis, vivit ac proficit secus decursus aquarum gratiae caelestis, contritionis et devotionis. Palma gaudet irrigatione.

Ejusmodi palma fuit sanctus patriacha Bruno, qui postquam Parisiis lugubri spectaculo ac tragoediae tristissimae interfuisset Doctoris illius, qui et doctrinae et virtutis aestimationem longe maximam post se moriens reliquerat, et tristem ejus catastrophen spectasset, dum ad illam in ritu sacro canentis vocem *responde mihi,* vita functus tribus diebus sese in feretro erexit ac coram immensa hominum multitudine edixit : *Justo*

Dei judicio accusatus sum ; justo Dei judicio judicatus sum ; justo Dei judicio damnatus sum : Quae vox velut tonitru Brunonem ita perculit, ut et mundum relinquere et occasiones peccandi et damnationis aeternae fugere, ac in solitudinem sese recipere poenitentiamque agere cum sociis decreverit, et reipsa praestiterit : *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam ? Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine* (Ps. 54, 7. 8).

In solitudine igitur, in montibus Carthusianis transplantata est palma mystica S. Bruno, novus Christi tiro, et quidem *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* (Ps. 1, 3,). Aqua prima hanc palmam irrigans fuit aqua contritionis, aqua poenitentiae, aqua lacrimarum, quibus vitae anteactae delicta deflevit et animam suam abluit : *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (Ps. 50, 9). Aqua altera fuit aqua gratiarum, quas poenitentiae lacrimis promeritus fuit, quae radicem fidei, spei et charitatis conservat, ab aestu concupiscentiarum et tentationum protegit, foliorumque virorem tuetur. Et erit, inquit Isaias, quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit aestus, et erit folium ejus viride: (c. 17, 8. 3) Aqua tertia fuit eloquiorum divinorum, in quibus nocte et die meditatus fuit, altissimaque contemplatione defixus, quae nutrit et impinguat, ad quam invitat Isaias c. 55: *Omnes sitientes venite ad aquas,* doctrinae scilicet et gratiae. 4) Ex his fontibus scaturiebant aquae devotionis, aquae consolationum caelestium, quae instar torrentis voluptatis santissimi viri mentem portabant, inebriabant et exhilarabant.

Quisquis, charissimi, dulcibus hisce aquis potari desiderat, prius amaras contritionis et poenitentiae aquas degustet; ac peccata sua lugens deploret, velut suadebat antiquissimus auctor *Tertullianus* de poenit. c. 4 (ML. 1,

1233): *Tu,* inquit, *nihil quondam penes Deum, nisi stilla situlae, et areae pulvis et vasculum figuli, arbor exinde fias illa, quae penes aquas seritur* (contritionis), *et in foliis perennat, et tempore suo fructus agit, quae non ignem, non securim videbit.*

II. Gaudet circumfossione.

II. Palma a fimo laedi putatur; et assidua circumfossione et irrigatione continua in vigore conservatur, aestivosque vincit ardores. Bruno Rhemensis Ecclesiae Canonicus in saeculo, mollioris vitae delicias tanquam fimum sibi nociturum animadvertens, et insolente hominis ab inferis suscitati ostento perculsus, in arduam jam Carthusiae eremum cum sex sociis, tanquam novellis plantulis, translatus longe a mortalium conspectu rerumque humanarum strepitu semotus, palmam novellam, id est, seipsum perpetua mortificatione circumfodere coepit, animi impetus et concupiscentiae motus domare, sensus cohibere, vitia comprimere, atque hac ratione in dies magis magisque proficere in perfectione ramosque in altum attollere conatus est. Ut merito de novis hisce palmeti novi arbusculis dici queat, quod *S. Gregorius Nazianzenus* ad Hellenium scribit (cf. MG. 37, 1455 sq.): *A domibus abhorrent, urbium frequentiam fugiunt, cognatamque caelestis sapientiae quietem amplectuntur; vitium cum corpore castigant; silentium peculiariter sibi vendicant; et garrulam linguam quasi vinculis quibusdam astringunt, labiaque silentio comprimunt,* illud semper usurpantes: *Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

Et nos, dilectissimi, tanquam palmae e mundi scopulis in palmetum Religionis translati sumus; ut hic crescamus, comamque in altum evehamus; fimus voluptatum obest, mortificationis surculus prodest, quo assidue carnem, sensus et animum circumfodiamus, semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in nobis.

III. Persistit in virore.

III. *Palma,* inquit *S. Eucherius* lib. formal. c. 4 (ML. 50, 745), *tarde proficit, sed diu in viriditate persistit: ita S. Ecclesia cum multis difficultatibus ad fidei statum venit, et pro collectione plurimorum in ejusdem fidei gloria diutius stare concupiscit.* Ita quoque S. Bruno cum novello palmeto suo tarde profecit. Cum enim Ordo tum tener esset, in Gratianopolitana dioecesi, ubi natus est, multa, daemone instigante et multa adversus illud Institutum obmovente, plurima pertulit: et absente praesertim Brunone Romam ab Urbano II accersito, pusillus ille Christi grex magna tempestate jactatus fuit. Itaque cum ex una parte vitae austeritas, loci horror, et vastitas, ipsamet insuper paucitas molesta et odiosa esset; ex altera vero parte interior Dei Spiritus, stellae duces, et Juris consulti Parisiensis dirus adeo exitus alternantes in eorum animis cogitationum fluctus excitarent: constitit inter illos vir quidam venerabilis, calvo capite, crispo capillo (Sanctum Petrum Apostolum repraesentans) qui omnipotentis Dei nomine polliceretur sacratissimam Dei Matrem ipsos in illo loco deserto semper conservaturam, illorumque advocatam ac custodem futuram. Quae quidem quam fideliter promissa praestiterit, res ipsa declarat. Crevit enim illa familia palmae instar splendore sanctitatis et numero, nominisque gloria magnopere est adaucta atque amplificata. De qua S. Antoninus 2, p. Hist. tit. 15, § 2, illud elogium protulit, quod ubi multi claustrales ab instituto primaevo deflexerant, Carthusia tamen in vigore et flore pristino perseveraret. Ita fieri amat: *Palma tarde proficit, sed diu in viriditate persistit.* At quae causa hujus diuturni tot saeculis vigoris? Respondet S. Antoninus l. c.: Quia Carthusianorum Religio usque in praesentem diem suarum servat rigorem observationum. Idemque confirmat Thomas Bozius de signis Ecclesiae L. 22, c. 3, dum ait, in quibusdam Ordinibus succisos nervos disciplinae

regularis, ideoque laxata *et luxata* omnia; Carthusianos vero a primaeva institutione et rigore non deflexisse, ideoque in vigore pristino perstitisse: Quia *ubi rigor, ibi vigor.*

Quantas Ordo noster suo in exordio difficultates expertus; quantas ubique contradictiones et persecutiones sit passus, neminem vestrum latet. *Palma tarde proficit.* Vultis, ut diu in viriditate persistat? Quisque partibus suis non desit, quisque disciplinae vigorem conservare studeat; quisque exactae regularem observationi invigilet, atque a primaevo rigore non deflectat: hac una ratione in viriditate persistet. *Ubi* enim *rigor* disciplinae, *ibi vigor.*

IV. Gaudet asperitate.

IV. *Palma* ut loquitur S. Gregorius ML. 19, moral. c. 16 ord. nov. c. 27 n. 49 (ML. 76, 129), *inferius tactu aspera est, et quasi aridis corticibus obvoluta; superius vero et visu et fructibus pulchra; inferius corticum suorum involutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchrae viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita, despecta inferius, superius pulchra; in imo ista quasi multis corticibus involvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur, in summo vero illa quasi pulchrae viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur.* Recte igitur justorum sanctorumque vita palmae assimilatur; mundanorum vero et reproborum vita omnino dispar est. Ut praeclare annotat S. Eucherius L. form. Spirit. c. 4. Aliae arbores circa terram crassiores sunt, palma tenuior, et magis juxta ramos ampliori robore exsurgit, et quae tenuis ab imis proficit, vastior ad summum succrescit. In caeteris arboribus contrarium cernitur. Quibus vero talia arbusta, nisi terrenis mentibus inveniuntur esse similia, inferius vasta, superius angusta? Quia nimirum omnes saeculi hujus delectationes, in terrenis rebus sunt fortes, in caelestibus debiles, pro temporali gloria usque ad mortem desudare

appetunt, et pro spe perpetua ne parum quidem in labore subsistunt; pro terrenis lucris injurias tolerant, et pro caelesti mercede vel tenuissimas unius verbi contumelias ferre recusant. At contrarium in justis cernitur, qui in terrenis debiles, in caelestibus fortes inveniuntur.

Talis fuit sanctissimus Carthusianae familiae auctor Bruno, palma inferius aspera per poenitentiam et vitae rigorem, superius fructibus virtutum omnium pulchra, inferius corticum obvolutionibus angusta, superius sanctimoniae virore expansa. Vita hujus Sancti et filiorum ejus instar palmae inferius aspera et dura ob asperos Carthusiae montes, in quibus traducta; sed superius pulchra, quia deliciis caelestibus referta. Inferius aspera ob eremum et solitudines, superius pulchra ob caelestem contemplationem. Inferius aspera ob perpetuum cilicinae vestis usum, superius pulchra ab domitum carnis et concupiscentiae appetitum. Inferius aspera ob silentii rigorem, superius pulchra ob amoenam cum Deo et Angelis familiaritatem. Inferius aspera ob severissimam jejunii quasi perpetui legem et a carnibus abstinentiam, superius pulchra per divinarum consolationum refectionem. Atque ex his orta sancti viri fortitudo; qua robustus in spiritualibus et caelestibus, debilis in terrenis et carnalibus; debilis in carne, fortis in spiritu extitit.

Ejusmodi quoque vita, secundum Instituti nostri rationem, 'est nobis amplectenda inferius aspera mortificatione, superius pulchra oratione; inferius aspera studio et labore, superius pulchra Dei et gloria et honore; inferius aspera incommodorum et contemptuum tolerantia ac patientia, superius pulchra mercede et corona gloriae perpetua, qua animati in omnibus temporalibus et perituris debiles, in omnibus spiritualibus et aeternis fortes ac robusti evademus. Et sicut palma imposito ponderi minime cedit, sed adversum pondus resurgit et sursum nititur: ita et nos adversis et laboribus haud deprimemur,

sed cum tribulatione faciemus proventum, ut sustinere valeamus.

V. Signum est victoriae.

V. Denique palma victoriae symbolum est, qua ante lauri usum victores coronabantur, et triumphatori Romae toga palmata, seu palmis respersa in victoriae signum donabatur. Unde Sidonius in Panegyrico Majoriani canit: *Post palmam palmata venit.* Rei vero hujus rationem assignat Ruellius L. 1, de natura stirpium c. 108. Coronari solitos victores palma, eo quod palma ponderi non cedat. S. Vincentius Ferrerius Serm. 1, de Assumpt. B. V. ait, Archangelum Gabrielem, Beatissimam Virginem salutantem palmae ramum eidem obtulisse. Ramus hic significabat victoriam, quam habuit de mundo per humilitatem, de diabolo per paupertatem, de carne per purissimam virginitatem. An non idem de S. Brunone religiosissimae Carthusiensis familiae fundatore dicere licebit, palmam ei deberi ob multiplicem relatam victoriam: O quoties illi cum hostibus in arenam descendendum fuit! Pugnandum illi fuit cum concupiscentia carnis! sed oratione, carnis mortificatione, vestium asperitate et jejuniorum rigore vicit et palmam retulit. Pugnandum fuit cum concupiscentia oculorum et amore divitiarum, quando pingues reditus, et oblata a Rogerio comite amplissima dona repudiavit; et paupertate vicit ac palmam retulit. Pugnandum ei fuit cum superbia vitae, cum ambitione et honorum appetitu, quando oblatum ab Urbano II, Pontifice maximo, archiepiscopatum Rheginensem magna constantia est deprecatus, atque ita humilitate animique demissione ac mundi contemptu vicit superbiam, ac victoriae palmam reportavit. Ideoque ut palma aeternum florebit, vaticinante propheta regio: *Justus ut palma florebit,* et ut Tuscanus poeta in psalmorum paraphrasi poetica canit:

Justus, satagensque recti, Sicut Idumes
Palma florebit, Libanique tanquam
Cedrus effusis petet astra ramis.

Quamobrem, charissimi, si cum S. Brunone optatis palmae instar florescere: 1) Poenitentiae fontem adamate, in eo maculas peccatornm eluite. *Palma gaudet riguis*, vos poenitentiae et contritionis lacrymis ; sic gratiae virorem recipietis, et aqua devotionis mentes vestras reficiet. 2) S. Brunonis exemplo vosmetipsos tanquam novellas palmarum plantulas recenter in religionis viridario consitas mortificationis pala assidue circumfodite, et voluptatum fimum, tanquam animae noxium, rejicite: passionum impetus reprimite, vitiorum insultus refraenate, sic concupiscentiae vincetis ardores, atque in vigore et virore perennabitis. 3) Si hactenus fortassis lento passu viam perfectionis perrependo ambulaveritis, saltem curate, ut nunquam non in flore et virore gratiae persistatis, animumque ad decurrendam alacrius justitiae semitam erigatis; fiet idipsum, si cum S. Brunone et Ordine ejus religiosissimo disciplinam apprehenderitis, rigoremque illius nunquam relaxaveritis: *Ubi rigor, ibi vigor*. 4) Denique quilibet vestrum esse studeat palma inferius aspera, superius pulchra; aspera corporis afflictatione, linguae refraenatione, solitudinis instituto conformis amore, passionum et vitiorum extirpatione, jejunio, abstinentia et sobrietate; pulchra vero et amoena, caelesti consolatione, pace et tranquillitate, familiaritate et consuetudine cum Deo, mentis et corporis sanitate et alacritate. Quae si praestiterimus, multiplices in hac vita victoriae palmas referemus, in altera vero immarcessibiles palmas in manibus triumphantes gestabimus, et tota aeternitate ut palma florebimus.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

SANCTI BERNARDI,

Doctoris melliflui S. Ordinis Cisterciensis Propagatoris celeberrimi, cum ape collati.

THEMA : *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus* (Eccli. 11, 3).

Admirabimini fortasse, quod S. Bernardum, tantum Ecclesiae Doctorem, cum Angelis et Archangelis, cum Cherubinis et Seraphinis merito comparandam, cum apicula, animalculo tam exili et vili, componere audeamus; verum cessabit, ut remur, admiratio, ubi utriusque analogias et similitudines nonnihil expenderimus. Accedit, ex mente sanctorum Patrum, apem vel ipsius Christi, B. Virginis, nec non praecipuorum Sanctorum symbolum exhibere. Nam 1) Apis symbolum est Christi Domini infantis, qui mellificat in animabus sanctis, et floribus inter lilia pascitur, vilis in pannis, dulcis in paleis, suavis in praesepio, suavissimus in caelo; veniens in mundum dedit mel clementiae, sed rediens ad judicium exseret aculeum justitiae. 2) Apis symbolum est Beatissimae Virginis Mariae, quae brevis est, seu humilis inter reginas, dominas caeterasque feminas; et mel, id est, Christum mundi delicias peperit, butyro et melle refectum. 3) Apis symbolum est magni praecursoris et baptistae Domini S. Joannis, qui melle sylvestri victitavit, populum caelestis doctrinae melle pavit, et corda Pharisaeorum ac Judaeorum aculeo poenitentiae confixit. 4) Apis symbolum est S. Ambrosii, in cujus infantis ore apes insederunt, melleamque ejus eloquentiam portenderunt. 5) Apis symbolum est S. Augustini, cui scri-

bens *Severus Sulpicius* eum nuncupat: *O vere,* ait, *artificiosa apis Dei, construens favos divini nectaris plenos, manantes misericordiam et veritatem, per quos discurrens deliciatur anima mea* (Inter Epist. S. August. 37, ord. nov. 109, n. 1 (ML. 33, 418). 6) Symbolum est S. Caeciliae V. et M. de qua canit Ecclesia: *Caecilia tibi, Domine, quasi apis argumentosa,* id est, operosa, sedula, industriosa, *deservit.* Quidni igitur et nos S. Bernardum, Doctorem mellifluum, cum ape melliflua conferamus? Cujus analogias, convenientias et similitudines ad ejus honorem exponere nunc aggredimur.

I. S. Bernardus apis parva.

I. Apis parva est, in speciem vile animalculum. *Brevis in volatilibus est apis,* ait Siracides, l. c. Quam in oculis suis parvus et brevis visus est S. Bernardus: qui ut in ejus vita legimus (et ob virtutum multitudinem singulas paucis perstringimus) totus in nihili sui abysso absorptus semper delituit; verissima sui cognitione summe sibi semper viluit; non humilis (ut loqui ipse amabat) sed vilis videri et haberi voluit; nullis hominum encomiis aut plausibus inflari se sivit; abbatialem dignitatem ut effugeret, nihil non egit, donec obedientia coactus tandem admisit; peramplos episcopatus saepenumero oblatos invicta constantia semper recusavit, illis indignum se judicans.

Imitamini, charissimi, et amate parvitatem; nam sanctitatis fundamentum est humilitas, mater et altrix et radix et fulcimentum omnium virtutum est humilitas. *Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum, humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. S. Bernard.* de consider. l. 5, c. 14, n. 32 (ML. 182, 806).

II. Apis sedula.

II. Apis *sedula* est, industria, operosa, nunquam otiosa. Apum sedulitatem ac solertiam refert Plinius L. 11, c. 5. Apes primum favos construunt, ceram fingunt, cellulas tanquam domos fabricant, sobolem educant, mel et

ceram ex floribus, melliginem ex arborum lacrymis colligunt, alveare illinunt; operas inter se dividunt: aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt, aliae cibum distribuunt ex eo quod allatum est. Aliae, canit Virgilius L. 4. Georg., *Purissima mella stipant, et liquido distendunt nectare cellas: Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.* O quam fervebat opus apis nostrae argumentosae, melliflui Bernardi! Nunc domos seu monasteria construebat; nunc orationis et contemplationis mel colligebat; nunc melleos sermones, melleas epistolas, melleos libros contexebat, poliebat, elaborabat, eaque tanquam alvearia et cellulas melle replebat etc. Verbo, semper apis argumentosa, sedula, industria, operosa, nunquam otiosa.

Imitamini, dilectissimi, estote seduli, industrii, semper occupati, nunquam otio dediti, ne dicatis: *donec pertranseat hora, fallamus tempus;* quod ad agendam poenitentiam, ad promerendam gratiam, ut loquitur S. Bernardus, atque ad obtinendam veniam benignitas Conditoris indulsit. Recte Abbas ille in vitis Patrum: *Sicut apis ubique mel operatur, sic monachus ubique bonum opus.* Et alius Abbas l. 7, c. 32, n. 7 (ML. 73, 1051): *Sicut apis, quocunque vadit, mel operatur, ita et monachus, quocunque pergit, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem bonorum operum potest afferre.*

III. Apis est *alata;* et inter volatilia numerata: *Brevis in volatilibus apis;* alis suis ad flores delibandos, et mel colligendum circumvolitans. O quoties Sanctus Bernardus, apis mystica, contemplationis alis se libravit in altum! Quoties ad flores paradisi delibandos mentem levavit, nunc ad Christum Dominum campi florem amoenissimum os applicans et mel ejus mirificum charitatis degustans, nunc ad Beatissimam Virginem Deiparam tanquam ad odoriferum lilium, cujus summo tenebatur amore, provolans ejusque humilitatem et puritatem

III. Apis alata.

delibans, nunc ad martyrum rosas se conferens et patientiae succum extrahens. In quorum contemplatione ita defigebatur, ut velut a sensibus abstractus, incredibilis suavitatis dulcedine illectus, nihil corporeis sensibus percipere videretur, et aliquando toto die lacum lemanum obequitans eum se vidisse non meminisset !

Volemus et nos meditationis pennis ad flores Sanctorum, ad rosas martyrum, ad virginitatis lilia, ad violas humilitatis, et praecipue ad Christum Dominum, campi florem omnibus patentem, sugamusque ex eo mel charitatis. Sic erit nobis *in ore mel mirificum, in aure dulce canticum, in corde nectar caelicum.*

IV. Apis melliflua.

IV. Apis est *melliflua :* mel habet in ore. *Mel,* ait Plinius L. II, c. 12, *sive caeli est sudor, sive quaedam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus purus et liquidus, magnam caelestis naturae voluptatem affert.* S. Bernardus apis vere melliflua fuit : quam mellea instituit colloquia ? Quanta erga subditos benignitate ? Quanta erga omnes comitate ? Quanta dulcedo in praedicatione ? Quanta amoenitas in conversatione ? Quam lactea crena, et mellea vena in calamo et scriptione, in epistolis et libris, in monitis et documentis ? Vere *mel et lac sub lingua tua* (Cant. 4, 11).

Utinam et sub lingua nostra semper esset lac suavitatis et mel dulcedinis ! Utinam lex clementiae in lingua nostra foret, in omni colloquio et conversatione, in omni praedicatione et scriptione !

V. Apis socialis.

V. Apis est *aggregabilis,* in grege similis aliis degit, nihil singulare et eximium desiderat ; pariter aggregatae suaviter cantant, cibum omnibus communem sumunt, neque enim separatim vescuntur, ne inaequalitas operis et cibi et temporis fiat ; pariter laborant, pariter quiescunt : una alias triplici bombo excitat, et simile signum quietis intonat, ideoque pax inter eas praecipua : ut Plinius, Aelianus, Aldovrandus, et Thomas Cantipratanus

in Apiario suo commemorat. Quam aggregabilem apiculam S. Bernardus egerit, tota ejus vita loquitur. Quando enim vir sibi et sensui mortuus eximium quid in victu et amictu, in occupatione et habitatione petiit ? Quando quidquam non omnibus commune admisit ? Quamvis esset infirmus (ait vita) tamen adduci non potuit, ut recreationis quidpiam admitteret. Tirocinium egressus et veteranis accensus, sibi quoque tironum labores accumulabat, asserens alios tanquam perfectos sibi nonnihil posse indulgere, se vero tanquam imperfectum minime ; quare difficiliora, humiliora et viliora quaevis animo libenti amplectebatur.

Æmulemur, charissimi, hanc apiculam mysticam, communitati nos semper accommodando, singularia penitus refugiendo. *Vive*, suadebat S. Doctor, *ordinabiliter, sociabiliter, humiliter : ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo.*

VI. Apis virginea.

VI. Apis *casta* est, et virgo. *Apis est animal mundissimum* inquit Aristoteles L. 9. Histor. animal. c. 4. *Digna enim virginitas quae apibus comparetur*, ait *S. Ambros.* de Virginibus l. 1, c. 7, n. 40 (ML. 16, 200) ; *sit laboriosa, sit pudica, sit continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virginis est sermo divinus.* Quam casta, quam pura, quam virginea fuit apicula, castissimus Bernardus ? qui virginitatem, tota vita illaesam servavit, et illibatam, illique tuendae oculorum exactissimam custodiam, corporis afflictationem asperrimam, victus tenuitatem, lecti duritiem, aliaque opportuna media constanter adhibuit, ac tentatione aliqua pulsatus, bruma saeviente in stagnum glaciale sese immersit, in eoque tamdiu duravit, donec ipsum calorem naturalem prope extingueret ; quo ausu generoso concupiscentiae carnalis habenas sic meruit, ut omnis ille fomes in membris nostris regnans penitus aboleretur *(vita)*. Casta igitur fuit haec apicula, et tamen

quam simul foecunda et fertilis ! Qui fratres suos omnes et alios sanguine junctos aut familiares omnino triginta Deo et Ordini tunc novello peperit ? Qui ordinis sui monasteria centum et sexaginta abs se fundata, et quidem singula religiosis refertissima reliquit ?

Alloquor quemvis vestrum, charissimi, verbis S. Ambrosii l. c. n. 41 : *Quam te velim filia* (fili) *imitatricem esse hujus apiculae, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Hanc imitare ;* et supra : *Partus virginis foetus est laborum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis.*

VII. Apis subdita.

VII. Apis est *subdita*, vivit sub regina, absque eo esse nequit. Apes, inquit Plinius, L. II, c. 5, rempublicam habent (monarchiam) mire ordinatam, consilia, duces, leges, mores. Cum procedit regina, una est totum examen circaque eam conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cum populus in labore est, ipsa opera intus circuit, similis exhortanti, sola immunis. Illi proxima quaeque esse cupit cum evolant, fessam humeris sublevant, validius fatigatam ex toto portant, ubicunque illa consedit, ibi cunctarum castra sunt : ac denique regina comprehensa, totum tenetur agmen, amissa dilabitur, migratque ad alios. Esse utique sine regina non potest.

S. Bernardus, dum subditus esset, obedientiae virtutem enixe coluit, in omnibus, etiam arduis, Superiori ut Deo se subjiciens ; eamque, quam sermo super : *Missus est* de humili obedientia doctrinam tradit, ipse explevit : *Disce homo obedire, disce pulvis obtemperare : Deus se humiliat, et tu te exaltas ? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens tuo te praeponis Auctori ?* Haec tam exacte praestitit, ut etiam ad metendum in agro fruges missus promptissime obsecundarit ; cumque labor vires superaret, robur singulare, Deum enixe precatus, obtinuit. *Ribad. in vita.* Abbatiali vero dignitate orna-

tus, quis verbis exprimat quanto amore eum subditi velut patrem dilexerint, omnique honore ac reverentia prosecuti fuerint?

Discamus ab illo obedientiae speculo obedire; discamus etiam in arduis et gustui ac sensualitati nostrae repugnantibus obtemperare. *Sive enim Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum* S. Bernard. L. de praec. et disc.

VIII. Apis est *aculeata*. S. Bernardus initio regiminis stimulum et zelum habuit, aequo rigidiorem, omnes corpus extra coenobium relinquere, solumque in id spiritum admittere suadens, omnes suo spiritu ac fervore metiens; at a Deo per Angelum edoctus admirandaeque suavitatis et comitatis munere donatus, et debiles miserabatur, et ingeniis se accommodabat et suaviter efficaciterque praecipiebat et exigebat, pungens et ungens. Habuit igitur aculeum, sed melle illitum. Quanta enim suavitate docet et instruit, arguit et reprehendit Eugenium Pontificem Maximum, suum olim discipulum in libris 4 de consideratione? quanta charitate corrigit in Epistolis suis Henricum Archiepiscopum Senonensem et alios? quanta discretione reprehendendi tempus observare scivit et cum monita non admittentibus subditis dissimulavit, poenasque in aliud tempus opportunius distulit? VIII. Apis aculeata.

Sequamur et in hoc Doctorem mellifluum; et si quos nacti subditos, aut discipulos fuerimus correctione indigentes, aculeum habeamus, sed melle illitum; et severitatem cum lenitate temperemus; ne quid nimis, ut sanemus, non exasperemus.

IX. Apis floribus pascitur, non sordibus. S. Bernardus caelestibus pascebatur, non terrestribus; ejus deliciae non gulae cupediae, non epulae erant delicatae; sed oratio et contemplatio, sed caelestium deliciarum praelibatio, IX. Apis floribus pasta.

cum Deo sanctisque Angelis intima familiaritas et conversatio, ita ut corpori vix tribueret necessaria. Ad esculenta et poculenta, haud aliter ac ad tormenta ibat et sola cibi potusque memoria saepenumero satiabatur, multisque jejuniis atque vigiliis et extremis corporis afflictationibus ventriculum adeo dejecit ac debilitavit, ut vix quidquam alimoniae retinere valeret. *Ribad. in vita.*

Sancti hujus exemplo, nostra conversatio, nostra recreatio sit non in terrenis, sed in caelestibus; non in esculentis ac poculentis *(non enim est regnum Dei esca et potus)*, sed in spiritualibus atque aeternis. Ita hortatur S. Bernardus [seu alius auctor] in medit. c. 9 (ML. 184, 499): *Cor meum dum futurum non cogitat gaudium, nec divum quaerit auxilium, ab amore caelestium elongatur, et in amore terrestrium occupatur. Cumque elabitur ab illis, et involvitur istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit.*

X. Apis cellae amatrix.

X. Apis cellulam sexangulam construit, in qua habitat et mella conficit. Si aura faveat, omnes evolant, melleamque materiam conquirunt et apportant, alias domi remanent, cellulae suae amantes: hyeme praesertim latent, ac melle vescuntur, quod aestate congregant. S. Bernardus quanto amore cellulam suam complexus est, in qua velut in caelo aut paradiso deliciabatur, et e qua instar apis non egrediebatur, nisi ad mel colligendum fructumque spiritualem faciendum. Dum in ea preces funderet, aut aliud ageret, ita erat absorptus, ut solidum annum in cubiculo demoratus, an illud fornice conclusum, an ligneo lacunari laqueatum esset, penitus ignoraret. Hic se velut apiculae alveari includebat, *et intra Deum habitavit*, ut loquitur Augustinus, *sicut intra favum mellis habitat apis, quae ita se ei includit, ut non aliud nisi mel videat, gustet et tangat. Sic ille non aliud nisi divinam suavitatem, aut in ipso Deo tanquam fonte, aut in creaturis instillatam gustet.* Talis erat Bernardus.

Amemus pariter cellam, sive cameram nostram, nisi lucra animarum, tanquam mella, ad evolandum invitent. Cella amata dulcescit, cella amanti caelum est hic, aut studiis, aut orationibus ac meditationibus sanctis, aut actibus divini amoris tanquam melli dulcissimo immersi, gustemus et videamus quam suavis sit Dominus. *Suge, suge et bibe dulcedinis divinae suavitatem inenarrabilem, immergere et replere, adhaere, sume, et fruere,* hortatur S. Augustinus.

XI. Apis exosa fumum.

XI. Apis *fugit fumum, foetorem, et strepitum.* S. Bernardus omni studio fugit fumum superbiae et inanis gloriae; dum enim haec aliquando pro concione dicentis animum pulsaret, illico repulit asserens: *Nec propter te coepi, nec propter te desinam.* Fugit foetorem luxuriae, et deterioris exempli, omnibus praelucens velut castimoniae et omnium virtutum speculum. Fugit quantum licuit mundi strepitum, uni Deo inhaerens, solitudine gaudens, solitudinem sibi ipsi efficiens, et secum solitudinem circumferens, ubique solus erat. Dicere solitus, *omnem sacrarum literarum scientiam in silvis et agris meditando precandoque se accepisse, nullosque alios magistros habuisse, nisi quercus et fagos.*

Aemulemur, dilectisssimi, tanti viri exemplum, fugiendo omnem vanae laudis fumum animae oculos excoecantem, declinando non tantum pravi, verum etiam minus boni imperfecti exempli mephytim, vitando mundi strepitum, mundanorum hominum negotiorumque saecularium tumultum; ita apiculae argumentosae evademus.

XII. Apis calida.

XII. Apis denique est *calida,* naturali quodam calore praedita. Melliflua apis nostra Bernardus quanto Dei sui amore exarsit? statim namque a tirocinio vitae melioris fervorem Deique amorem eximium praetulit, ut non jam in schola amoris et perfectionis tiro, sed perfectus, multisque probatus experimentis videretur; atque ut ad

majora in dies incrementa virtutum sese excitaret, identidem haec corde volvebat, imo crebris usurpabat sermonibus: *Bernarde, Bernarde, ad quid venisti?* scilicet ad mundum contemnendum, ad Deum amandum, illique toto corde serviendum. Quantus in ejus corde ardor charitatis succensus fuerit, dum alios docet, affatim ostendit in libro de diligendo Deo c. 1 (ML. 182, 974): *Causa*, inquit, *diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere*. Hujus vere rationem reddit: quia nimirum dilectio in Deum tendit infinitum, tendit in immensum Deum: quisnam quaeso igitur debet esse finis et modus nostri amoris?

O si tantam Bernardi amoris magistri et exemplaris dilectionem aemulari liceret! O si cum illo identidem nobis oggeremus: *Ad quid venisti?* Nisi ad amandum et serviendum Deo O. M.! O si cum tanto amore, ut ipse docet, tres amandi differentias assequeremur: amando caste, sancte, ardenter! O si, ut instruit ipse, affectuoso, circumspecto, dulci, forti, et prudenti Dominum Deum nostrum amore complecteremur! Quam non tepidae, sed calidae et melle calido amoris refertae essemus apiculae!

Quae cum ita sint, exemplo melliflui Doctoris S. Bernardi studeamus esse apes, animi demissione parvae, diligentia ac studio operosae, alis meditationis et contemplationis instructae, mellifluae ac melle affectionis et sermonis plenae, non singulares sed communitati nos accomodantes, virgines et castae, obedientes et subditae, aculeo sed melle illito armatae, floribus rerum spiritualium non terrenarum sordibus pastae, in cellulis absconditae, et melli bonorum operum ac studiorum colligendo ac conficiendo intentae, fumum inanis glorioliae, faetorem vitae imperfectae, et strepitum mundanum exosae, ad denique amoris divini calore succensae: tales si fuerimus, cum S. Bernardo mel gratiarum, mel

bonorum operum, mel virtutum, mel praemiorum caelestium in magna copia acquiremus, ac denique in alvearia divina transferemur, ubi in melleo nectareoque divinitatis fonte in omnem aeternitatem immergemur, saturabimur ac deliciabimur.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

SANCTI NORBERTI

Archiepiscopi Magdeburgensis et S. Ordinis Praemonstratensis Fundatoris, cum oliva fructifera comparati.

THEMA : *Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei* (Ps. 51, 10).

Cataclysmo mundum universum inundante, a Noe columbam ex arca emissam cap. 8, 11 Geneseos legimus; eamque sub vesperum ad eum reversam apportasse *ramum olivae virentibus foliis in ore suo.* At curnam non ramum palmae, non quercus aut ficulneae, arborisve alterius, arcae incolis advexit? Respondet Ambrosius l. de Noe et Arca c. 19 (ML. 14, 349), *Noe ex oliva insigne divinae misericordiae collegisse ;* addit Pererius hic, illam pacis, victoriae, aeternitatis, ac felicitatis esse hieroglyphicum: quare columba haec *portans ramum olivae* Noe et mundo securitatem ab aquis diluvii, Deique reconciliationem afferebat. Nec tantum pacis et misericordiae, sed virorum quoque apostolicorum, episcoporum, doctorum, ac sacerdotum oliva est symbolum. *Digna,* inquit S. Petrus Damiani, serm. de SS. Petro et Paulo Apostolis loquens serm. 27 (ML. 144, 649): *Digna prorsus comparatio olivae ad Apostolos,*

nec alia dignior est inventa. Arbor enim ista semper viridis est, et illum excellentissimum olei liquorem effundit, sine quo nec regia, nec sacerdotalis constat auctoritas. Oleum autem quatuor habet: supernatat omnibus liquoribus, illuminat, pascit, et ungit. Si igitur olivae comparentur Apostoli, quidni et nos sanctum Norbertum archiepiscopum et candidi Ordinis Praemonstratensis fundatorem, spiritu apostolico plenum, virtutibus semper virentem, operibus misericordiae redundantem, proximos illuminantem, pascentem, et ungentem, cum oliva componamus? Praesertim cum magnus hic Sanctus ea, qua in caelum ex hac mortalitate migravit hora, visus sit in veste candida olivae ramum manu tenens, illum ex paradiso se habere testatus? *(Nadasi in Ann. in coel.* 6, *Jun.).*

Quare, sive radicem, sive truncum, sive ramum, sive folium, sive fructum spectemus, S. Norbertum olivam fuisse fructiferam demonstrabimus.

I. Radix olivae.

I. Primum, quod in oliva fructifera considerandum venit, est *radix,* quae est amara, fructus vero dulcis. Quid vero radix haec amara in viro apostolico adumbrat, nisi conversionis initium et poenitentiam, ex qua succus in truncum, ramos, folia ac fructus, velut ex radice foecunda derivatur? An non poenitentia radix amara est, quae mortis horrorem, judicii pavorem, inferni tremorem, cordis dolorem, peccati detestationem, luctum, planctum, fletumque producit? Sed quam fructus dulcis, cordis solatium, conscientiae tranquillitas, pax et laetitia consequitur? Matth. 3, 2 dicitur: *Poenitentiam agite* (ecce radix); *appropinquavit enim regnum caelorum* (ecce fructus). *Omnis disciplina in praesenti quidem,* ut docet Apostolus (Hebr. 12, 11), *videtur non esse gaudii, sed moeroris:* ecce radix amara; *postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiae:* ecce fructum dulcem olivae! Atque inde oritur odium sui,

odium mundi, odium carnis, dulcisque alias voluptatis amaror: *Vir justus*, ait Hugo Cardinalis, obtenta jam per poenitentiam gratia et justitia, *quidquid de terra est, ei sapit amarum, quod autem de caelo est, dulce.* Unde de sancto Augustino dicitur: *Displicebat ei quidquid agebat in saeculo, prae dulcedine Dei et decore domus ejus, quam dilexit.*

Haec prima quoque Norberti, tanquam olivae fructiferae, radix extitit, *radix amara* poenitentiae, ex qua dulces deinde fructus propullularunt. Erat is illustribus et copiosis parentibus natus, in aula Friderici archiepiscopi Coloniensis, et Henrici imperatoris versatus, atque ob inclytam prosapiam, opum affluentiam et comem naturam apprime omnibus charus. Quare ut fecundissimos aspirare sibi saecularis aurae favonios sensit, vela pandit, et in saecularis vanitatis altum provectus, seque jam Gygis annulo potitum ratus, suismet cupiditatibus in praedam cessit. Verum divino collustratus lumine, mundi fallaciam, honoris vanitatem, voluptatis turpitudinem agnovit; delicias, quibus innutritus erat, despexit et deseruit; ac quadraginta dierum spatio, in monasterio se abdens, peccata sua lacrimis copiosis deflevit ac poenitentiae operibus expiavit. Haec illi radix amara fuit, haec dolorem, compunctionem, poenarumque asperitatem, nec non odium sui, mundi et carnis conciliavit; ex quibus dein dulces prodiere fructus, quando sacerdotio initiatus, vestibus pretiosis positis, rudes vilesque induit, cunctis mundi illecebris valedixit, divinitus instinctus magno fervore ad populum pro concione dicere coepit, omnibus subitam vitae ejus mutationem admirantibus, et levem dissolutumque aulae vernam in novum Evangelii praeconem mira metamorphosi transformatum stupentibus.

Mi religiose, desiderasne et tu esse oliva fructifera in domo Dei? ab hac amara radice auspicare: fructus age

dignos poenitentiae, non in tirocinio solum, sed tota insequente vita; religio enim est status poenitentiae. Si tibi etiamnum dulcis est et sapit mundus, honor, et voluptatis illecebra, frustra dulces virtutum fructus a te expectabit religio; amarescant terrena, conversatio mundana, honoris umbra et caetera fluxa omnia, et fructus dulces proferes. Atque ut id impetres, crebro cum piissimo Thoma Kempensi ora: Verte mihi, Domine, omnia terrena in amaritudinem! et tu solus mihi sapias, tu solus dulcescas!

II. Truncus olivae.

II. Alterum in oliva perpendendum est *truncus* arboris, qui soliditatem, duritiem, roburque tam firmum possidet, ut nec tempestas, nec caries, nec vetustas labefactare valeat. Hinc prisci aeternitatis symbolum esse censuere. Hinc quoque Apoc. c. 4 Elias et Enoch, qui sunt aeternitatis candidati, ut eos Tertullianus nuncupat, vocantur olivae. Hinc denique Tullius L. 1, de Legibus, sempiternam, ait, oleam in arce tenere potuerunt Athenae. Quidnam, obsecro, haec oleae soliditas, nisi virtutis in viro apostolico requisitae soliditatem, firmitatemque figurat? Talis enim vero virtus in S. Norberto refulsit: solida morum emendatio, solida paupertas, solidus mundi contemptus, solidus animarum zelus, obedientia, patientia et charitas; ut merito illi adaptemus prolatum de Simone Oniae filio sacerdote magno Ecclesiastici encomium: *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso virtutum* (Eccli. 50, 10). Sub praedicationis ejus initium, oleam hanc robustam ludibriis, sannis, cavillationibus, irrisionibus, aliisque opprobriis perforare ac laedere nonnulli tentarunt, atque ab Evangelio annuntiando deterrere conati sunt; at nihil horum constantem viri zelum retardare aut infringere valuit. In virum sanctum apostolico spiritu scelera libere carpentem ac insectantem irruerunt persecutionum venti ac tempestates, adeo ut ejus quoque faciem impudens et impotens sui scurra

foedarit; sed stetit velut marpesia cautes, corde fixus in caelo, suaque potius prioris vitae delicta deflevit, quam ex hoste vindictam postulavit (Surius et Ribad. in ejus vita).

Mi religiose, avesne et tu oliva esse fructifera, quae in Ecclesia Dei praedicando, conversando, ac saluti animarum quovis modo incumbendo fructus copiosos proferet? truncum solidum, solidas, inquam, virtutes possideas necesse est, et nisi scuto vivae fidei manus, galea firmae spei caput protexeris, ac solidae charitatis justitiaeque ac patientiae lorica pectus obarmaveris, cito dejicieris levissimo vento petitus, fructusque optatos proferre desines.

III. Ramus olivae.

III. Tertium, quod in oliva declarandum occurrit, est *ramus;* aptissimum pacis, subjectionis ac mortificationis symbolum. Et quidem 1) Pacis: unde columba a Noe emissa olivae ramum virentibus foliis ore praetulit (Gen. 8), quod ex Venerabilis Bedae expositione Spiritum Sanctum designat, qui cessantibus persecutionum aquis pacem Ecclesiae attulit. 2) Est quoque ramus olivae deditionis, subjectionis, obedientiae, reverentiae et cultus hieroglyphicum: Veteres enim, alicui principi se dedentes, oleae ramos velut pacem postulantes praetendebant: hinc Virgilius Lib. 8, Aeneid. de Aenea ab Evandro opem petente canit: *Paciferae manu ramum praetendit olivae.* 3) Ramus olivae, putatione et praecisione gaudens, mortificationis imaginem nobis adumbrat.

O Norberte sancte, quam praeclarum olivae ramum exhibes! lacessunt te inimici tui, qui per oculorum hebetudinem et lippitudinem tanti claritatem splendoris ferre nequeunt; impugnant, resistunt, persecutionum praelia concitant; sed tu olivae ramum pacis symbolum manu praetendis. Munus apostolicum a te susceptum multas creat aerumnas, molestias, itinera, difficultates;

at in omnibus subjectionis, obedientiae, ac cultus divini symbolum olivae ramum exhibes, divinaeque providentiae totum te consignas et offers. Verum ut oleae ramus virentibus foliis sis et fructibus uberioribus gaudeas, Norberte, multi stolones superflui sunt amputandi. Neque id ignorat vir apostolicus: quare beneficiis ecclesiasticis se penitus abdicat, reditibus inde provenientibus se denudat, patrimonii bona divendit pretiumque inde conflatum in pauperes manu liberali erogat; atque ita omnibus facultatibus atque etiam calceis exutus, ac rudem depexamque indutus lacernulam, bruma saeviente, Romam contendit, atque a Gelasio Pontifice summo Evangelium ubique gentium, ac locorum annuntiandi facultatem obtinuit (Ribadeneira in ejus vita).

Mi religiose, exemplo S. Norberti, vitae apostolicae munia obire optas, ut oliva fructifera evadas? Ramum olivae seu pacis proximis et aequalibus, ramum olivae seu subjectionis et obedientiae Superioribus, ramum olivae seu mortificationis tibi et passionibus vitiisque tuis semper praetende. *Difficile, imo fere impossibile esse viro apostolico, vitare calumniam,* scribit magnus Basilius Epist. 54. Quid ea in re facies? *Oleum de capite tuo non deficiat* (Eccli 9, 8). Esto olea, quae putatione proficiat, et audi S. Joannem Climacum gradu 4 (MG. 88, 728): *Quicunque,* ait, *ad perfectam inordinatarum affectionum victoriam et ad Deum currit, omnem diem, in qua contumeliis non afficitur, magnum detrimentum arbitratur. Sicut enim arbores a ventis concussae altas radices agunt; ita et qui sub obedientia versantur, fortes et inconcussas animas jactati possident.*

IV. Folium olivae. IV. Quartum, quod in olea nobis trutinandum est, *folium* est, hieme et aestate semper virens, quod tres in S. Archiepiscopo nostro virtutes adumbrat, nimirum mentis constantiam, nitorem conscientiae perpetuum, et stabilem animi demissionem. 1. Olea semper viret foliis,

teste Plinio L. 16, c. 20. Quid viror iste perpetuus, Norberte, nisi tuam inter prospera et adversa mentis constantiam indicat? Quid foliorum pulchritudo, nisi ornatum ac nitorem conscientiae tuae repraesentat? *Quasi oliva speciosa in campis* (Eccli. 24, 19). Quid parvitas pallorque foliorum, nisi demissionem, vanae gloriae jactantiaeque fugam indigitat? folia tua, nempe verba praedicationis, semper virent ac vernant. Auditores tui te laudent, vituperent, plaudant, plodant, arrideant, irrideant; folia tua, id est verba, monita, consilia, hortamenta non deficiunt aut defluunt: *Et folium ejus non defluet* (Psal. 1, 3). Cum sociis quatuor pagos, oppida et urbes obis, ad stuporem de divinis verba facis, festivo ubique campanarum pulsu populique concursu frequente exciperis; at nulla vana gloria, fastus nullus foliorum pallorem, id est animi tui demissionem, imminuit, aut obfuscat.

Mi religiose, si ecclesiasten agere obedientia mandet, foliis verborum tuorum suus semper constet nitor, viror, pallor inter prospera et adversa, sive ambonem in pago sive in oppido conscendere jubearis, sive plebs applaudat sive explodat, sive populi affluxus sit sive defluxus: *Clama! ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum* (Isai. 58, 1), atque si fructum referas ac laudem, illud psalmi usurpes: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Ps. 113 B, 1).

V. Fructus olivae.

V. Postremum in olea discutiendi sunt *fructus*, ex quibus oleum pingue exprimitur; quo ex mente S. Hieronymi pinguedo sapientiae, ex aliorum sensu misericordiae, gratiae et charitatis pinguedo denotatur, servitque ad lumen: unde Apostoli ac Doctores olivae sunt, oleum fundentes, et illuminantes corda credentium. S. Gregorius L. 4, in 1 Reg. cap. 5 (ML. 79, 278), considerans illud: *Tulit autem Samuel lenticulam olei et fudit super caput ejus*, ait: *Qui in culmine ponitur, sacramenta*

suscipit unctionis. Quia vero unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur... Oleum quippe liquoribus aliis superfertur, oleum ignem fovet, oleum et vulnera curare consuevit. Per illud ergo misericordiae bonum significat, quia scriptum de Domino est: Miserationes ejus super omnia opera ejus (Ps. 144, 9). *Quia ignem fovet, praedicationis gratiam designat, quae electorum mentes illuminat. Quia vero vulnera per oleum curantur, hoc profecto insinuatur, quod detergenda sunt vulnera peccatorum.*

Quam praeclare hoc oleo instructus fuit S. Norbertus *tanquam oliva fructifera in domo Dei!* et quidem habuit:

1. Oleum misericordiae, de quo S. Gregorius l. c. *Ungatur ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est replenda doctoris. Habeat in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quae sibi virtutibus aliis praeferatur.* Hoc oleo S. Norbertus delibutus omnia sua, tam ex patrimonio quam ecclesiastico proventu possessa, dispersit deditque pauperibus. Hoc oleo unctus, misericordiae opera spiritualia exercuit, ignorantes docendo, dubitantibus recte consulendo, dissidentes reconciliando, moestos consolando, injurias patienter ferendo, offensasque miti animo remittendo, peccata confitentibus aures praebendo, eisque delicta relaxando. Refert Leontius in vita S. Joannis Eleemosynarii, ipsi noctu in somnis apparuisse misericordiam specie puellae ornatissimae ac sole splendidioris, coronam de ramis olivarum in capite gestantem, eique dicentem: *Ego sum prima filiarum regis, si me possederis amicam, ego te ducam in conspectum imperatoris: etenim nemo ea, qua ego apud illum, valet potestate.* Visusque est ab hac fulgidissima puella olivae ramis coronata in caelum ad Deum perduci. Ab hac puella, ab hac regina S. Norbertum quoque coronatum atque ad thronum divinae maje-

statis perductum esse nullus dubitandi locus relinquitur: nam *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. 5).

2. Oleum laetitiae, hilaritatis, candoris ac puritatis conscientiae: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae* (Ps. 44, 8). Non tristes et lugentes, sed laetos et hilares decet nos inhaerere christianae conversationi, ut explicat *S. Cyrillus* Alex. De adorat. l. 11, 12, 16 (MG. 68, 751, 835, 1031). Oleum scilicet faciem exhilarat; eoque, ex consilio Christi, dum jejunamus, facies ungenda est, ut laeti, non tristes esse videamur. Quanta S. Norbertus erat hilaritate, sive opera spiritualis misericordiae praestaret, et apostolica zeli munera obiret, sive eleemosynas et exercitia misericordiae corporalis frequentaret; omnia mira promptitudine, alacritate, et hilaritate. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* — *Est candor,* inquit S. Bernardus, serm. 71 in Cant. n. 3 (ML. 183, 1122), *quem sibi induit is, quis miseretur in hilaritate. Etenim si intuearis illum, quem propheta depingit jucundum hominem, qui miseretur et commodat, nonne is tibi videtur de ipsa animi jucunditate indidisse candorem quendam pietatis vultui pariter suo et operi suo? Sicut e regione, si ex tristitia vel ex necessitate quis tribuat, non candidum plane, sed tetrum praefert manu et fronte colorem. Et ideo hilarem datorem diligit Deus* (2 Cor. 9, 7). *Numquid et tristem? Profecto qui respexit ad Abel ob alacritatis candorem, avertit faciem a Cain, quia conciderat facies ejus, utique a tristitia et livore.*

3. Oleum charitatis omnibus Episcopis, doctoribus et animarum zelatoribus unice necessarium. *Doctor,* inquit S. Gregorius l. c. *habeat oleum, ut dum ardorem Sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinae, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum foetores tergat, et aegras mentes saluti restituat.* Quam in corde S. Norberti flam-

mam excitavit, nutrivit et auxit oleum charitatis, in verbi divini praedicatione, discordium reconciliatione, poenitentium absolutione, novi ordinis institutione ac promotione, aliisque operibus charitatis mirifice flagrans et inardescens!

Mi religiose, ad animarum salutem vocate, eme tibi in tempore triplex hoc oleum, quo si carueris, virginibus fatuis accenseberis nuptiisque caelestibus excluderis.

Quapropter, sancti Magdeburgensium archiepiscopi Ordinisque sacri Praemonstratensis fundatoris exemplo, tanquam oliva fructifera in Ecclesiae et religiosae familiae domo esse conemur. Sit in nobis *radix amara* poenitentiae, et odii omnis mundanae et noxiae dulcedinis; sit in nobis *solidus truncus*, id est, solidae virtutes, in omnibus tam prosperis, quam adversitatum procellis inconcussae; sit in nobis *ramus* olivae, pacis, obedientiae ac mortificationis; sit in nobis *folium* semper virens, nitens ac pallens, id est, constantia mentis, nitor conscientiae, demissio animi, omnisque gloriae inanis proscriptio. Sit denique *fructus*, ex quo exprimatur oleum misericordiae, oleum laetitiae, oleum charitatis; quae virtutes si in nobis floruerint, erimus tanquam oliva fructifera in domo Dei, id est, Ecclesiae praesentis ac militantis, ac demum in olivetum paradisi caelestis virore perpetuo vernaturi, fructusque vitae aeternae laturi transplantabimur.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

SANCTI DOMINICI,

S. Ordinis Praedicatorum fundatoris, sub symbolo facis ardentis et lucentis, mundum illuminantis et inflammantis proposita.

THEMA: *Ille erat lucerna ardens et lucens* (Joan. 5, 35).

Quemadmodum auspicatissimum Christi Domini, generis humani Redemptoris, natalem nova stella, tanquam novi Regis ac Messiae signum, annuntiavit ; ita quoque plurimorum aliorum Sanctorum, magna sanctimoniae gioria inclytorum, felicem ortum praesaga lumina indicarunt. Hos inter eminet sancta virgo Clara, virginum religiosarum illustre sidus, cujus mater Hortulana, partui vicina, coram Christi in crucem suffixi simulacro preces ardentes fundens, vocem inaudit : *Ne paveas mulier ; quia lumen paries, quod mundum clarius illustrabit.* Eoque prodigio edocta, natae infantulae in baptismo Clarae nomen imposuit: ut vita perhibet. Sic S. Swiberto, Werdensi Episcopo, ab illustrissima matre nascituro, omne cubiculum fulgor inusitatus replevit, radiisque irreverberatis stetit, donec infans in lucem editus fuit, ut inquit S. Marcellinus in ejus vita. Mater S. Willebrordi, Trajectensis Episcopi, noctu in somnis, quasi novam lunam ad plenitudinem perfectam excrescentem intuita, a presbytero religioso intellexit, filium ejus caliginosos tenebrarum errores luce veritatis discussurum, et quocumque perrexerit, comitante luminis superni splendore, plenam perfectionis gloriam mundo ostensurum, ut refert Albinus Flaccus Caroli M. Praeceptor in vita sancti hujus Episcopi. Mater S. Columbani

abbatis, gravida, noctu in somnis e sinu suo solem miro fulgore radiantem procedere, ac lumen ingens mundo affundere conspexit : nimirum Sanctus hic, tanquam sol in Ecclesiae caelo splenduit, secundum illud Deborae (Judic. 5, 31) : *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilant.* Testis est Jonas Abbas in ejus vita. Pari modo, gloriosus ille Patriarcha Dominicus, mundi lumen, Ecclesiae columen, scutum fidei, Hispaniae gloria, religiosissimae Praedicatorum familiae fundator et auctor, dum adhuc materno clausus lateret utero, vidit mater se quasi catellum gestare, qui ore facem ardentem praeferebat, qua utero egressus totum mundum illuminabat et inflammabat. Haec sunt Sanctorum magnorum, eorumque operum gloriosorum praesagia, quibus Deus quales futuri essent ante significavit. Quare hoc facis prognosticon sanctissimo patriarchae Dominico apprime convenire, praesenti exhortatione probabimus. Et sicut Joannem Baptistam lucernam ardentem et lucentem fuisse Christus praedicat, ita nos S. Dominicum facem ardentem et lucentem, mundum illuminantem ac inflammantem extitisse demonstrabimus.

I. S. Dominicus fax ardens.

I. Gloriosissimus patriarcha Dominicus *fax ardens* fuit. Bonitati divinae in more positum est, ut viros sanctos, quos in verbi sui divini praecones, ac zelatores animarum elegit, prius igne charitatis et zeli succendat, quam aliis praedicando luceant, vel audientium corda inflamment. Insinuat id Doctor mellifluus, adducto S. Joannis Praecursoris Christi exemplo, qui fuit *lucerna ardens et lucens ;* non vice versa, *lucens et ardens : quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eo lucent, quia fervent ; sed magis fervent, ut luceant : at isti plane non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis.* Haec *S. Bernard.* serm. de S. Joan. n. 5 (ML. 183, 400). Ita pariter prius arsit cor S. Dominici, quam lingua ignem, lucemque

protulit ac longe lateque dispersit. Fax ante succensa fuit in corde, deinde foras promicantes radios luminis evibravit. Verum qualisnam in corde S. Dominici ardor triplex ac vehemens, quem in Joanne Christi prodromo suscitatum fuisse ait l. c. S. Bernardus : 1. *Ardens enim,* inquit, *erat in seipso vehementi austeritate conversationis.* 2. *Ardens erat erga Christum intimo quodam et pleno fervore devotionis.* 3. *Ardens erat erga peccantes proximos constantia liberae increpationis.* Eosdem ardores in sancto nostro Dominico, S. Joannis Baptistae spiritu pleno, reperimus. Nam.

1. Sanctus patriarcha Dominicus, fax *ardens erat in seipso vehementi austeritate conversationis.* Ab hac enim Sanctorum ferventium mos est initium ducere, quo carnem spiritui, appetitum rationi, amorem proprium amori divino subjiciant ac substernant. Hac face hoc corpus domandi ardore insatiabili inflammatus, quid non austeritatis excogitavit ? Depexo vilique amictu corpus operiebat ; cilicio aspero corpus premebat, catena rigida in carnem ejus se insinuante corpus stringebat, somnum scabello innitens, aut humi jacens carpebat ; quot noctibus flagello ferreo, filis cupreis intexto, tergus suum exarabat tanta vi et impetu, ut totus sanguine suomet purpuraretur. Primam autem flagellationem pro suis, alteram pro proximorum peccatis, tertiam pro redimendis e lustrico igne animabus offerebat. Sic cibum sumebat, ut perpetim jejunare videretur, omni prorsus carne abstinens, cibisque esurialibus duntaxat utens. Tanta perdomandae carnis cura viro sancto insederat, probe gnaro, quod terra, nisi feriatur et runcetur, et vitis nisi tondeatur, nunquam copiosas fruges afferat, et ignis nisi prius intus ardeat, nunquam foras per fenestras erumpat.

2. Sanctus hic patriarcha fax erat *ardens erga Christum intimo quodam et pleno fervore devotionis ;* quoad

omnem erga eum amorem et cultum, voluntatemque ejus exequendam erat longe paratissimus. Oleum devotionis flammam amoris nutrit, ungit tardogradum et expeditum ad omnia reddit, mentemque deliciis caelestitibus exhilarat. Quanto devotionis ardore vir sanctus, quanta vi lacrimarum sacris Missarum solemniis operabatur quotidie ? Quanto devotionis ardore, sive domi, sive foris, sive sub dio, sive sub tecto, atque in hospitiis, animum ad Deum erigebat et preces fundebat, sociosque suos ad Deum laudandum et matutinas preces piissime recitandas excitabat ? Quanto devotionis ardore choro intererat, primusque omnium non interdiu solum, sed et nocte ad psalmos Davidicos decantandos advolabat? Quanto pietatis incendio orationes, quae continuae erant, e corde bullienti effundebat : in quibus crebro ecstasin patiebatur adeoque deliciis caelestibus inundabatur, ut inter lacrimas et suspiria, quamvis ipse haud adverteret, a somno fratres excitaret ! Enimvero colliquescebat amore pectus, adeoque mente excedebat, ac si sensuum usu destitutus esset ; et nonnunquam flamma charitatis propellente sic elevabatur, ut etiam corpus de terra sublatum in aere penderet, tantis inter precandum favoribus a Deo cumulatus, ut ipsemet amico cuidam suo negarit a Deo se quidquam petiisse, quod non impetrarit.

3. S. fundator fax erat *ardens erga proximos peccantes constantia liberae increpationis*. Implebat enim praeceptum Apostoli vir sanctus (2 Tim. 4, 2) : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia,* et (Tit. 2, 15) : *Argue cum omni imperio,* et (Is. 58, 1) : *Clama ! ne cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum*. O quanto ardore clamavit, arguit et increpavit scelestos zelosissimus hic verbi divini praedicator ? Certe *vox ejus,* ut de Elia ait Ecclesiasticus 48, 1, *velut facula ardebat* et auditorum corda succendebat. Magno fervore Placentiae, Uxamae, aliisque in locis, in scelera passim

grassantia detonuit ; magno fervore Albigensium haereticorum deliria confutavit ; magno fervore et ardore spiritus libros haereseos peste infectos publice refellit, in ardentem fornacem una cum libro catholico fidei dogmata continente injecit, libello haeretico in cineres redacto, catholico autem illaeso. Quare perge, S. Pater, fructum referes! *Clama, ne cesses,* Dominice; nam peccata, haereses, aliaque noxia alte immerguntur, bona fere in superficie natant, nec facile ad ima descendunt. *Clama, ne cesses;* scelera, dogmataque perversa, venena esse cogita, quae non hausta tantum, sed tacta etiam perimunt, medicamenta vero ut prosint, combibenda sunt et saepius iteranda. *Clama, ne cesses,* praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra et increpa; noxia sponte nascuntur et nulla manu semina spargunt, ad deteriora foecundus omnis ager, in bonis opus est rastro, vomere, ligonibus, sudore. Clamavit sane, et maximo fructu clamavit sanctus praedicator Dominicus, non instar canis muti silens aut non valens latrare, ideoque tot animarum milia e vitiorum sordibus extraxit, tot haereticorum milia ad Ecclesiae sanctae gremium reduxit.

Reverendi Patres ac charissimi fratres, desideratis et vos vestris exhortationibus, sermonibus, colloquiis, catechesibus alios ad fidem et pietatem virtutisque studium accendere? prius fax sitis intus ardens, ac postea foras flammas spargetis; carbo extinctus alios minime accendet. Ecclesiastes celebris ex sancti Francisci familia interrogatus, quamobrem conciones ejus tantas in auditorum animi flammas non excitarent atque sancti Bernardini, licet hic ejusdem Ordinis esset et doctrinae ac eloquentiae minoris, recte respondit: se carbonem esse nonnihil calidum, qui alios carbones nequiret accendere; Bernardinum vero carbonem omnino candentem esse, qui omnia quaecunque tangeret, accenderet. Hoc idem cum Cicerone oratorum principe confirmabat antiquitas:

Ardeat Orator, si vult accendere plebem. Ardeat in vobis amor rigoris et austeritatis vitae, et alios ad ferendos dignos poenitentiae fructus accendetis; ardeat in corde vestro ignis devotionis, et aliis ejusdem flammas injicietis. Prius vobismet ipsis praedicate, vos ipsos arguite et increpate, quam alios, veteri enim adagio fertur validiora esse exempla, quam verba, meliusque doceri opere, quam sermone, exemplo Christi Domini, qui prius coepit facere, quam docere.

II. S. Dominicus fax lucens.

II. Vidimus gloriosissimum Patriarcham Dominicum facem extitisse ardentem, omnia inflammantem; nunc videamus facem quoque fuisse lucentem, cuncta illuminantem. Rursum hic optime videmur adaptare S. Dominico quod doctor mellifluus in serm. de S. Joan. depraedicat de Christi prodromo l. c. Sanctus Christi Domini Baptista *luxit exemplo, digito, verbo, et seipsum ostendens ad imitationem, et luminare majus, quod latebat, ad peccatorum remissionem, et ipsas quoque tenebras nostras illuminans.* Eadem quoque de sancto fundatore Dominico vere asserimus: nam

1. *Fax* haec *lucens luxit exemplo, seipsum ostendens ad imitationem. Vos estis lux mundi,* inquiebat Salvator de Apostolis: *et nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant* (Lc. 11, 33). S. Dominicus lux fuit, non domus, aut cubiculi, sed mundi universi; fax fuit posita non sub modio, sed in candelabro, ut omnibus in domo Ecclesiae versantibus lucem praebeat. Huc igitur oculos non lippientes, sed sanos convertite, ac facem hanc, quibus vobis et mundo toti vitae exemplis praeluxerit, aspicite. 1. Luxit exemplo innocentiae et eximiae puritatis tum corporis tum mentis; suam enim virginitatem, et quam primum in Baptismo suscepit gratiam, ad ultimum usque spiritum integram illaesamque conservavit. 2. Luxit exemplo humilitatis profun-

dissimae; quidquid enim in se cernebat boni, totum non sibi, sed Deo attribuebat ; virtutes suas summa cura occultabat; infulas episcopales majore, quam alii ambiunt, studio refugiebat; etsi nudis peregrinaretur pedibus, ubi tamen urbes pagosque, in quibus spectatores aderant, intraret, calceos resumebat; verbo, contemptus omnis erat avidissimus. 3. Luxit exemplo evangelicae paupertatis; omnibus enim terrenis se exuit, ut nudus nudum Jesum expeditius sequeretur; et tametsi nobili stemmate ortus esset, stipem ostiatim cogebat, oblata panis frustula genibus flexis demisse acceptans, et hilari vultu dissuavians. 4. Luxit denique exemplo assiduae orationis, singularis in Deum fiduciae, peculiaris cultus et devotionis erga B. Virginem Deiparam, in cujus honorem rosarii devotionem gloriamque ejus pro viribus promovit etc. An non igitur sanctus iste fax fuit lucida, quae *luxit exemplo, seipsum ostendens ad imitationem?*

2. Fax extitit *lucens digito, et ostendens luminare majus, quod latebat, ad peccatorum remissionem.* 1. Luxit vir sanctus digito, dum illustrissimum Praedicatorum Ordinem instituit, promovit, amplificavit, non absque gravissimo labore ac maximo perpetuoque rei christianae fructu. 2. Luxit digito, regulam sancti Augustini familiae suae ad observandum porrigens ac praeclarissimas constitutiones addens. 3. Luxit digito ostendens ordini suo ejusque religiosis *luminare majus*, Christum Dominum, *ad peccatorum remissionem*, agendamque de delictis in saeculo perpetratis poenitentiam. 4. Luxit digito ostendens iisdem luminare majus, quod identidem tanquam verum justitiae solem pulli aquilini irretorto oculo intuerentur, et virtutum ejus radios fulgidissimos iisdem illustrandi atque inflammandi in se reciperent. 5. Luxit digito, ostendens quoque et suis et toti mundo luminare minus, Beatissimam scilicet Virginem Mariam, matrem gratiae, peccatorum advocatam, ad delictorum remis-

sionem et gratiae copiosae impetrationem. 6. Luxit digito, dum Prullianum, Carcassam Tolosamque inter situm, elegit, in eodem monasterium nobilibus virginibus recipiendis exstruxit et eisdem certam vivendi formulam praescripsit. 7. Luxit denique sanctus Dominicus digito, tot Ordinis sui filios gloriosos lucis suae radiis alliciens et attrahens ac Christo gignens. Hac ejus luce illustratus fuit Sanctus Thomas Aquinas, Ordinis Praedicatorum lumen totiusque Ecclesiae catholicae magister. Hac luce illuminatus fuit sanctus Petrus Martyr, fidei defensor, malleus haereticorum. Hac luce perfusus fuit sanctus Hyacinthus, Confessorum sanctorum speculum, sanctus Vincentius Ferrerius, suae aetatis Apostolus, sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, sanctorum praesulum exemplar, sancta Catharina Senensis, tot tantisque favoribus a Sponso suo Jesu Christo cumulata, sancta Rosa virgo Limana in Peruviae regno, omnium virtutum odore fragantissima. Tacemus innumeros alios, filios et filias ejus spirituales, qui hausto ab ipso Patriarcha suo virtutum splendore, in Ecclesia Dei firmamenti stellas aequant ac mire radiant, martyres, confessores, doctores, episcopi, cardinales, Summique Pontifices, nec non moniales, quae, ejus virtutum fulgore perstrictae, suae florem virginitatis illibatum servarunt muliebremque infirmitatem vicerunt et in corpore mortali vitam caelestem sunt aemulatae. Quis igitur, his perpensis, virum sanctum *digito luxisse ad ostendendum luminare majus in remissionem peccatorum* negaverit?

3. Fax fuit *lucens verbo, et ipsas quoque tenebras nostras illuminans*. Lucebat sanctus Dominicus, ecclesiastes ac verbi divini praeco zelosissimus, *verbo :* quae lux ex ardore promicabat. Lucebat verbo peccatoribus, oculos eis aperiens, ut scelerum suorum foeditates viderent. Lucebat verbo, tenebras haereticorum illuminans ; eumque in finem solis instar, mundum circumeundo

illustrantis, singula obibat oppida pedes et quidem nudus absque calceis, omnia perrumpens obstacula, cuncta spernens pericula, amore Dei ac proximi totus inflammatus et martyrii desiderio succensus : qua in expeditione, decenni labore, sudore, fatigatione, praedicatione, instructione, innumerarumque aerumnarum tolerantia id obtinuit, ut sanctissimae vitae suae, caelestis doctrinae ac miraculorum splendore perstricta ad centum animarum millia, haeresi ejurata, resipuerint atque ad verae Ecclesiae gremium postliminio reverterint, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* ac miraculorum splendoribus, dum aegri sanantur, daemones fugantur, mortui resuscitantur, aliaque innumera prodigia patrantur.

Reverendi in Christo Patres, Fratresque charissimi, num sanctum Dominicum, Ecclesiae Atlantem, aeternitatis satorem, mundi facem ac lucem, orbisque universi reformatorem imitari, atque instar tubae evangelicae mortales ab interitu ad vitam sempiternam revocare desideratis? Videte, ut sitis ante *fax ardens;* sic eritis quoque *fax lucens*. Sancti Dominici exemplo prius docete facto, quam verbo ; nam ut ait sanctus Gregorius : *Doctrina cum omni imperio docetur, quando prius agitur, quam dicatur ; nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia praepedit linguam.*

Quae cum ita sint, RR. PP. ac FF., gloriosissimi patriarchae Dominici exemplo studeamus, ut simus *fax ardens,* et quidem 1) Austeritate conversationis, corpus ejusque cupiditates ac passiones strenue domando ac subigendo, ne forte, cum aliis praedicamus, ipsimet reprobemur. 2) Simus *fax ardens* intima erga Christum devotione, voluntatis propriae resignatione, nos totos ei offerendo ac orationis pietatisque exercitiis nos ei uniendo. 3) Simus *fax ardens* constantia liberae increpationis, peccatores arguendo, hortando, increpando,

atque ad veritatis agnitionem et vitae emendationem eos adducendo. Hac ratione si arserimus, mox lumen erumpet : erimusque 1) *fax lucens exemplo,* viamque pandemus ad imitationem puritatis, humilitatis, castitatis, paupertatis ac caeterarum virtutum; 2) *fax* erimus *lucens digito,* multa pro Dei gloria et animarum salute scribendo et agendo ; ac denique 3) *fax lucens verbo,* quando tenebras peccatorum, haereticorum et infidelium dissipabimus, quam plurimos ad Ecclesiae sanctae gremium ab errorre revocabimus ; nec miracula virtutum deerunt. Atque idcirco, cum sancto Dominico aliisque Doctoribus ac verbi diviñi praeconibus, tanquam faces ardentes et lucentes, tanquam stellae scintillantes, in perpetuas aeternitates coruscabimus.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE

S. FRANCISCI SERAPHICI

Ordinis Minorum fundatoris, sub schemate Seraphini.

THEMA : *Seraphim stabant... et volabant... et clamabant* (Is. 6, 2 et 3).

Sanctus Isaias propheta, a Seraphino calculo ignito in vatem consecratus : quodammodo in Ordinem Seraphicum sublimatus est: destinabatur enim a supremo Numine, ut gelida hominum corda ardenti concionum, vitae, et charitatis fervore, Dei cognitione et amore inflammaret. Seraphicus hic propheta admiranda a Deo visione fuit recreatus, hisce verbis cap. 6. ab ipsomet descripta : *In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum;*

(tanquam in templo magnifico, in throno glorioso et augusto residentem) *et ea, quae sub ipso erant*, scilicet fimbriae et orae paludamenti et vestitus regalis, *replebant templum* (tanta erat longitudine et latitudine). *Seraphim stabant super illud*, nimirum super pedem aut pavimentum solii, quemadmodum regi in throno considenti astant inferne principes ; *sex alae uni, et sex alae alteri ; duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant.* Seraphini ab ardore et igne nomen trahunt : ac sunt in hierarchia angelica supremi, et amore divino ardentes et alios succendentes. Eaque de causa sanctorum virorum charitate divina flagrantium imaginem exhibent. Hos inter sanctus Franciscus pater et patriarcha Seraphicus, illustrissimi ac piissimi Ordinis Minorum fundator eminet; quem ob ardentem charitatem merito cum Seraphino componimus ; quam vero id apposite apteque faciamus, clarius perspicietis, ubi instar praedictorum Seraphinorum coram throno divino *arsisse, stetisse, volasse, et clamasse,* ostenderimus.

I. Seraphini flagrabant.

I. *Seraphim stabant* super illud. Seraphinorum naturam, geniumque si penitius inspiciamus, ardentes et incendentes esse deprehendimus : *Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur,* ait S. Bernardus sermone 3 in hanc visionem : ac propter hunc ignis divini aestum, indolem nacti sunt 1) purissimam, omnisque maculae expertem, 2) pervigilem, 3) mire excitatam, 4) agillimam, 5) vi et efficacia singulari praeditam, 6) splendentem instar ignis maxime ob charitatis ardorem. Et licet haec reliquis quoque Angelis sint communia, cum de eis psalmographus (Ps. 103, 4): *Qui facis Angelos tuos, spiritus, et ministros tuos ignem urentem ;* tamen in Seraphinis, Deo proximis, ac lucis ignisque divini illustrationem et ardorem immediate ac proxime excipientibus, peculiari perfectiorique modo reperiuntur, ut

docet S. Dionysius de cael. Hierarch., quem sanctus Chrysostomus hom. 64 ad Pop., Patresque caeteri sequuntur.

Seraphini illi viros significant Isaiae similes, prophetas, Dei praecones, Ordinum fundatores, aliosque Dei et proximi charitate flagrantes. Talis fuit S. Propheta Elias, de quo Eccli. 48, 1 dicitur: *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat.* Talis fuit S. Basilius Magnus, quem S. Ephrem absens instar columnae igneae conspexit: et praesens linguam igneam per os ejus loquentem vidit (*S. Amphilochius in vita Basilii* — quae tamen est vita apocrypha MG. 29, pag. CCCX). Talis fuit nomine et omine S. Virgo et Martyr Seraphia, quae amore divino succensa, ignem venereum aeque ac vulcanium fortiter superavit. Talis fuit S. Ecclesiae Doctor Bonaventura, qui in libris suis etiam scholasticis auditores aeque ad pietatem inflammat, ac sapientia illustrat, ideoque merito Doctoris Seraphici nomen adeptus est. Talis denique et in primis extitit S. Patriarcha Franciscus, cujus honori hodierna dies festiva agitur. Hujus sancti viri pectus cum igne divini amoris vehementer flagraret, seraphicas omnino proprietates induit: Vitam enim 1. purissimam, sanctam, et immaculatam, atque a labeculis etiam minimis abhorrentem duxit. 2. Maxima vigilantia saluti perfectionique propriae alienae intendit. 3. Excluso omni languore ac tepore, mire semper excitatus extitit. 4. Minime segnis aut tardus, sed ad omnia devotionis exercitia promptissimus et expeditissimus advolavit. 5. Facta ejus et verba, ex corde et ore flammis charitatis succenso prodeuntia, mira vi atque energia ad auditores et spectatores ad imitandum pertrahendi et permovendi pollebant. 6. Unde et splendor ac fulgor charitatis sanctitatisque ex omnibus elucebat, ut merito aliquando in curru igneo instar Eliae vehi, a suis conspectus fuerit. Quae omnia S. Bonaven-

tura, S. Antoninus, S. Vincentius, ac denique Chronicon S. Francisci, prolixe testantur.

O si nos pro modulo nostro virum hunc seraphicum imitaremur! O si charitatis ope innumeras vitae nostrae maculas perpurgare, tepiditatem, languorem, tarditatem, somnolentiam excutere valeremus! O si S. Francisci ignis vel scintilula cor nostrum penetraret, quae in dies magis magisque sese dilatans, vitae sanctioris ardori et splendori propius nos admoveret!

II. Seraphini illi, quos Isaias Propheta Deo revelante conspexit, divinae Majestatis sublimi throno proxime adstabant: *Seraphim stabant super illud,* inquit Propheta c. 6, ℣. 2. *Stabant* tanquam aulici prope solium Regis; *stabant* tanquam famuli ad nutum Domini promptissimi et expeditissimi; *stabant,* non sedebant. Dei enim est in throno sedere, angelorum vero ceu ministrorum stare; Lucifer etenim sedere volens in lateribus aquilonis, corruit et ab alto in tartarum deturbatus est. Praeclare in hanc visionem Doctor mellifluus serm. 3 pro Dom. I Nov. n. 4 (ML. 183, 351) notat Dei esse sedere, angelorum stare, ideoque Luciferum cecidisse, qui dixit: sedebo in lateribus aquilonis; *Stant,* ait, *plane Seraphim, quia charitas nunquam excidit. Stant attoniti et suspensi in contemplatione sedentis in throno; stant in aeterna incommutabilitate et aeternitate incommutabili. Tu* (Lucifer) *sedere tentasti, o impie, propterea tui moti sunt pedes, et effusi sunt gressus tui. Filius est, qui sedet in throno, Dominus Sabaoth, cum tranquillitate judicans omnia. Sola sedet Trinitas, quae sola habet immutabilitatem... Seraphim vero... stant.* II. Stabant.

Horum Seraphinorum more humilis et pauper Seraphinus noster Franciscus non sedit, solium non ambivit, quin potius dignitates, honores et mundi gloriam despexit pedibusque conculcavit; ideoque non sedit, sed stetit in cognitione sui; stetit in abysso sui nihili; stetit in summo

contemptu sui; hinc et humilitas ejus et charitas nunquam excidit. Stetit, super omnia terrena et mundi bona elevatus, quae sursum sunt sapiens, quae sursum sunt quaerens, non quae super terram. Hac de causa vestibus coram Episcopo se exuit, omnibus se bonis paternis abdicavit, se nunc securius oraturum: *Pater noster qui es in caelis* dictitans. Deinde templum ingressus, ac in sancto Missae sacrificio Evangelium audiens, in quo Christus Dominus Apostolos praedicatum mittens *vetuit eos aurum argentumve possidere, pecuniam* in zonis *in via portare, duasve tunicas habere, calceamenta virgamque deferre:* illico vir sanctus luce divina collustratus calceos exuit, baculum, pecuniamque omnem velut rem prorsus execrabilem abjecit, unicaque tunica contentus cingulum coriaceum, quo fuerat adstrictus, posuit, nodosoque lumbos fune succinxit, et vitam prorsus apostolicam auspicatus est, dicta Evangelii verba tanquam per Angelum e caelo sibi demissa interpretatus (*S. Bonav., Ribaden.*), atque hic paupertatis altissimae spiritus ad supremum usque anhelitum in sancto viro perduravit, quando obitus sui temporis praescius in aedem sacram S. Mariae de Portiuncula se deportandum jussit, jamque moriturus, tanquam verus paupertatis et Jesu nudi in cruce morientis amator ac aemulator, totum se vestibus nudavit humique prostravit. An non vir sanctus sui mundique contemptor maximus stetit super omnia terrena elevatus? Verum, unde haec mentis generositas spiritusque sublimitas? *Seraphini,* inquit S. Bernardus, *stant attoniti et suspensi in contemplatione sedentis in throno. Stant in aeterna incommutabilitate et incommutabili aeternitate.* Ita seraphicus Patriarcha Franciscus stabat in contemplatione sedentis in throno Altissimi defixus, stabat in oceano Bonitatis infinitae totus immersus et absorptus; unde omnium rerum caducarum oblitus exclamabat tota nocte: *Deus meus, et omnia!* Deus meus est

mihi omnis thesaurus et opulentia, omnis honor et excellentia, omnis voluptas et dulcedo plus quam caelica! Deus meus et omnia!

O dilectissimi, si et nos staremus super omnia terrena elevati, o si ex animo mundum mundanaque omnia cum sancto Francisco calcaremus! At nunquam eo perfectionis eluctabimur, nisi stemus defixi in contemplatione sedentis in throno. Si Deum et caelestia intime meditati fuerimus eorumque excellentiam penetraverimus, mox omnia caduca et fluxa tanquam puerorum crepundia ridebimus et despiciemus: *considerantí quae et quanta promittuntur in caelis,* ait M. Gregorius, *vilescunt omnia, quae habentur in terris.*

III. Volabant.

III. Pergit propheta seraphicus in visionis suae narratione aitque, visos a se Seraphinos senis instructos alis fuisse ac volitasse. *Sex* inquit, *alae uni, et sex alae alteri; duabis velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant,* l. c. Velabant faciem suam Seraphini alis superne conjunctis, prae intima reverentia, quod tantum divinitatis jubar oculo irretorto intueri non possent. Pedes vero velabant, prae verecundia, ne quis imperfectum eorum amorem et affectus, cujus pedes sunt symbolum, aspiceret, ut exponit S. Chrysost. serm. 6 de hac visione. Et *duabus volabant:* non circumvolando, sed quasi volaturi aut volaturientes alas movebant, stabant enim: et quemadmodum aves grandiores in terra consistentes, antequam se in altum levent, alas agitant, ut se sursum librent, ita Seraphini *volabant,* tanquam ad omne Dei imperium parati et agiles. *Volabant,* ingens desiderium suum, quo ad Deum videndum rapiuntur ut ei se totos immergant, ostendentes. *Volabant,* incendium amoris, quo Dei vicini uruntur, alis quasi flabello refrigerantes.

De S. Patre seraphico an non pariter dicere licebit *sex alae uni,* id est sex illum alis instructum fuisse?

S. Bonaventura in libro suo quem de sex alis Seraphini exaravit (1), tam cuilibet fideli fide et charitate praedito, quam Superiori cuivis senas applicat alas, quas apposite S° patriarchae Francisco adaptaverimus. Sex alae primae sunt *confessio, satisfactio, carnis munditia, puritas cordis, dilectio proximi, dilectio Dei.* Duabus primis velamus prae verecundia peccatorum faciem, duabus aliis corpus et animam munditia et puritate contegimus, duabus reliquis evolamus ad Deum charitate Dei et proximi. O quam luculenter sex hae alae in patre seraphico effulgent, et quidem 1) Ala prima est confessio: quanto dolore, quanta detestatione delicta sua, etiam minutissima, expiavit? tanto lacrimarum imbre ea deflevit, ut oculorum usum prope amiserit, tametsi ea sibi remissa esse, Deo relevante, cognoverit? 2) Ala altera est satisfactio: quibus et quot poenitentiae operibus Deo satisfacere studuit? S. Bonaventura ea prolixe recenset. Corpus enim suum asperrimis habebat modis, vix necessaria vitae tolerandae ei concedebat, raro cum sanus esset, cibo cocto vescebatur; quo si forte vesceretur, eum cinere aspergebat, aut frigida temperabat, ut prorsus insipidus redderetur. Sitim frigida, eaque modica admodum sedabat, quamvis esset siccissimus ac inflammatissimus. In dies singulos, haud aliter ac si tironem ageret, novos carnis animique domandi excogitabat modos. Dum praedicatum exiret, lectum nuda tellus praebebat, cervical vero aut lapis aut lignum. Amictus erat unica eaque pannosa tunica, ut alias asperitates brevitatis gratia praeteram. 3) Ala tertia, carnis munditia summa semper in eo eluxit, castitasque angelica, cui conservandae opportuna et non raro inusitata adhibebat remedia:

(1) Opusculum genuinum S. Bonaventurae hoc titulo insignitum est omnino aliud. Quod *hic* laudatur est opusc. Alani ab Insulis O. C. Cf. Opera S. Bonav. ed. ex Collegio ad Claras Aquas 1882-1891, tom. 10, p. 23.

asperrima hieme in fossam nivibus plenam sese injecit, ut veneris ignes, conversionis praesertim initio, exstingueret; et licet virgineam corporis animique integritatem semper illibatam servaverit, semper tamen exactissimam oculorum custodiam adhibuit, mulierumque familiaritatem quam diligentissime devitavit, quibus si forte colloqui coactus esset, oculos tamen adeo accurate fraenabat, ut nullam facietenus agnosceret. 4) Quarta ala est puritas mentis, quam a minutissimis naevis immunem conservare, passionum motus domare continua abnegatione, et sui victoria ac vigilantia allaborabat. 5) Ala quinta est dilectio Dei: incredibile memoratu est, quantis divini amoris facibus succenderetur hic Seraphinus et quodammodo liquaretur. Hoc ardore stimulatus, Dei sui dilectissimi gratia aerumnas et labores nullos detractavit; in Syriam aliasque provincias a barbaris captas pergere, ipsisque Mauris Evangelium praedicare decrevit. Postea in Mauritanam cogitavit, ac denique in Syriam revertit; a Mauris comprehensus, et indignissimis omnino modis habitus, verberibus contusus, flagris concisus, hoc unum dolore maximo sensit, quod optatissima martyrii laurea potiri ac pro Jesu dilecto sanguinem profundere nequiret. 6) Ala sexta est dilectio proximi, quam indefesso labore, Evangelium predicando, languentibus subveniendo, Ordinem religiosum fundando, aliaque quam plurima charitatis obsequia exhibendo, declaravit: temporis angustiae cogunt abrumpere, et sex alas Superiori convenientes in aliud tempus reservare. Charissimi, si cum Seraphinis volare cupiamus, has alas nobis pro modulo nostro coaptemus, sine confessione et satisfactione non purgamur, sine corporis mentisque puritate Deum non intuemur, sine amore Dei et proximi ad eum non pervolamus.

IV. Clamabant.

IV. Ad extremum, de Seraphinis praedicat Isaias clamorem: *Clamabant*, inquit, *alter ad alterum*. Sed quid clamabant? caeleste trisagion: *Sanctus, Sanctus,*

Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus, l. c. ℣. 3. Laus est effectus amoris ; quem enim amore complectimur, laudibus prosequimur. Ardentes igitur amore Seraphini in laudes erumpunt clamando et laudando abyssum sanctitatis, ex qua tam homines, quam Angeli omnem suam sanctitatem participant.

O quoties S. Franciscus seraphico exaestuans amore in Dei sui amati laudes erupit ? Quoties sanctum illud trisagion cecinit ? Quoties *Sanctus, Sanctus, Sanctus* ex intimo ingeminavit, sive hymnum Ambrosianum decantaret, sive horas canonicas stans instar Seraphini maximo pietatis, devotionis et reverentiae sensu persolveret, sive ardore seraphico aestuans noctes integras precando Deumque laudando et familiare sibi *Deus meus et omnia* repetendo insumeret, ut de ardenti ejus in concionibus corda moventibus clamore gratia brevitatis taceamus !

Charissimi, imitemur Seraphinos et seraphicum patriarcham Franciscum, prius amando, ex quo clamor et laus sequetur. Quando preces fundimus, quando horarium pensum aut Virginis Deiparae officium recitamus: sanctitatis abyssum corde prae amore bulliente celebremus. Dicamus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth :* Sanctus in creatione, sanctus in redemptione, sanctus in sanctificatione nostra ; sanctus in caelo, sanctus in terra, sanctus in gehenna ; Sanctus in gloria, sanctus in gratia, sanctus in justitia ; sanctus glorificans Angelos, sanctus justificans homines, sanctus puniens cacodaemones ; sanctus in Seraphim, sanctus in Cherubim, sanctus in Thronis ; sanctus ante saecula, sanctus in saeculis, sanctus in aeternum et ultra.

Quocirca, dilectissimi, exemplo Divi Francisci Seraphici paulatim, a parvis inchoando amoris actibus, habitum charitatis in nobis augeamus, ut tandem ardor em charitatis vehementem nanciscamur, vi cujus naevis

peccatorum abolitis puritatem, discussa socordia vigilantiam, pulso tepore fervorem, fugata tarditate agilitatem alacritatemque, impellente charitatis ardore, obtineamus. 2. Hac charitatis virtute nos firmante, stabimus cum S. Patre seraphico ; stabimus in Deo defixi, stabimus super terrena omnia elevati ; stabimus in humilitate et paupertate immoti, mundi bona veluti puerorum crepundia ridentes ac despicientes. 3. Hoc charitatis ardore nos fovente et animante, sex induemus alas, et sanctum Franciscum aemulantes volabimus, a peccatorum confessione et satisfactione inchoando, atque a terra nos elevando ; deinde ad castitatem et et mentis puritatem, tanquam in mediam aeris regionem puriorem et supra tempestates nos elevando ; denique ad igneam charitatis regionem nos librando. 4. Demum charitatis incendio intus in corde flagrante, ad clamorem Deique ardenter amati laudem excitabimur ; incipiemusque hic in terris cantare: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* ut illud postmodum cum Seraphinis, cum S. Francisco, aliisque Sanctis seraphicis tota aeternitate continuemus in caelis.

EXHORTATIO

DE SPIRITU ET VIRTUTE SERAPHICAE VIRGINIS

S. MATRIS TERESIAE

Carmelitarum discalc. fundatricis, magnae spiritus magistrae.

THEMA : *Nunc ergo, filii, audite me... Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam* (Prov. 8, 32 et 33).

Quemadmodum S. Eliam prophetam magnum spiritus magistrum jure praedicamus, qui Elisaeum aliosque

complures discipulos (quos Scriptura divina filios prophetarum nuncupat) in Carmelo Syriae monte, omni virtute, vitae austeritate ac perfectione imbuit: ita pariter S. Teresiam, spiritu et virtute Eliae praeditam, merito magnam spiritus magistram celebramus. Haec enim virgo sanctissima familiae Carmelitanae vivendi normam ac formam a S. Elia ceu patriarcha inchoatam, conscriptam vero primum a Joanne, ac deinde a S. Alberto Hierosolymitanis Patriarchis, compendiosius traditam, et postmodum ab Eugenio IV. Pontifice mitigatam, pristino rigori et vigori restituit. Nec tantum virgines, sed et viros eximios ad vitae arctioris imitationem atque, deposita Eugenii moderatione, ad primaevam ordinis disciplinam innovandamque Carmeli gloriam allexit, docuit, informavit.

Hujus igitur magnae spiritus magistrae profunda sapientiae caelestis arcana altissimaque vitae sanctioris axiomata nonnulla proferemus, et tanquam lectiones utilissimas ac perfectionis fundamenta declarabimus.

I. S. Teresia magistra aeternitatis.

I. S. Teresia, magna est magistra aeternitatis, quae lectionis primae loco tanquam primum axioma et omnis perfectionis fundamentum proponit *cognitionem profundam aeternitatis*. Cognitio haec sicut virgini huic sanctae vitae melioris extitit initium, ita quoque nobis vitae perfectioris principium suppeditabit. Divina providentia more suavissimo rebus, quas in scopum certum collimat, instrumenta ac media opportuna providere assolet, quibus eo pertingant. Sic S. Teresiam a prima pueritia disponere coepit. Nam dum annum aetatis septimum ageret, lectionique librorum sacrorum vacaret, caelesti lumine pectus ejus perfudit, cujus ope aeternitatis adyta ingrederetur, momentaneumque ab aeterno clare discerneret, ac maximam utriusque distantiam intime perviderent, saepius proinde admirans verba haec ingeminabat: *In aeternum! in aeternum! in aeternum cruciari! In aeternum laetari! sine fine dolere! perpetuo gaudere!*

Verum, quosnam obsecro sensus hic et aeternitatis profunda cognitio in virgine fructus produxit? Multiplices sane; inde enim natus mundi contemptus et aestimatio caelestium, ut vitae hujus caducae brevitatem et inconstantiam cum fascinis suis et ludibriis despiceret, illius vero perennitatem cum gaudiis et thesauris solidis maximi aestimaret. Inde ortus solitudinis ac vitae religiosae amor et desiderium, inde frequens orationis studium, inde ardens martyrii obeundi votum; cum enim martyrum historias una cum fratre suo Roderico paris fere aetatis evolveret, illarum lectione ingenti cupiditate martyrii inflammata, cum dicto fratre suo, patria relicta, in Africam contendit, incredibili mentis maturitate praecoci et vix in ejusmodi aetate visa sapientia, ut pro Christi amore Saracenis jugulum resecandum praeberet. At Deo, qui affectum injecerat, effectum inhibente, a patruo in viae anfractibus deprehensa et, licet invita, domum retracta, martyrii quidem palma privata est, sed ad aerumnas, labores ac dolores martyrio pares reservata.

Charissimi, fundamentalem hanc a magna spiritus magistra Teresia probe addiscamus et profunde penetrare studeamus, quid sit: *In aeternum, in aeternum! In aeternum! In aeternum cruciari; in aeternum laetari!* Hanc cognitionem pro tirocinii basi collocemus, basi huic innixi et in ea probe solidati mortificationem, laborem, adversitatem quamcunque forti pectore excipiemus; hac basi destituti facile in vitia et peccata ruimus, abnegationem velut duram refugimus, sensualitati paremus, libertate propria fungi optamus, a disciplina regulari abhorremus, laborem et defatigationem declinamus, honorem et gloriam ambimus, contemptus confusionem et adversa quaevis reformidamus. Nondum enim penetravimus, quid sit *aeternum cruciari, aeternum laetari;* nondum aeternitatis abyssum rite inspeximus. *Qui enim ad aeterna cor elevant, quam sit breve, quod fine clau-*

ditur, pensant, inquit S. Gregorius; *et aeternis inhianti fastidio sunt transitoria,* ut notat S. Bernardus. Aeterna contemplanti omnis labor levis, hora brevis, dolor tenuis, honor vilis esse videtur.

II. agistra li glo- ae divi- ae.

II. S. Teresia magna quoque est magistra honoris divini et zeli animarum, ac lectionis secundae loco cum omni studio exercendum suadet ac docet, pro motivo allegans et gloriae divinae et salutis animae aeternitatem. Non minus amabile ac admirabile est, quod de zelosissima hac virgine in canonizationis illius diplomate Gregorius XV Pontifex Max. recenset: scilicet Christum Dominum se virgini huic spectandum dedisse, ac data dextera illam sibi in sponsam adoptasse cum hoc epiphonemate: *Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem.* Quae vox non inanis et vacua, sed efficax omnino fuit, et cor ejus tanto amore, zeloque succendit, ut nil nisi Sponsi honorem, et animarum salutem spiraret.

Hoc zelo aestuans, grande illud reformationis opus in ordine suo auspicata est, multos labores ac difficultates perpessa; adeoque sublimem huic molimini intentionem praefixit, ut a muliebri ingenio nihil altius potuerit exspectari. Acceperat virgo sancta, cladem funestam a Luthero et Calvino aliisque haeresiarchis Germaniae Galliaeque illatam; optassetque pro salute vel unius seductae animae millies occumbere, si licuisset. Verum cum voti hujus ardentis compos per sexus et status sui conditionem fieri nequiret, nec regiones labe haeretica infectas praedicando et instruendo permeare posset: videte quid zelosissima juxta ac sapientissima virgo agat. Illa non solum infidelium et haereticorum tenebras perpetuis deflebat lacrimis (ut in Horis canonicis de ea legimus) et voluntariis cruciatibus iram divinam placare satagebat, verum etiam novo divinitus inspirato invento decernebat, orandi studio perenni, corporis afflictationibus assiduis aliisque piis operibus, quibus nova austeriorque institutio

velut catena continua contexitur, sic uti, ut tum ipsa, tum ejus filiae ac discipulae, pro fidei propagatoribus ac verbi divini praeconibus haereticorum conversioni intentis divinam clementiam jugiter interpellarent, atque hac ratione, quae sexus imparitate pugnare pro fide non possent, virili certe animo viros adjuvarent et ad athletarum dignitatem illarum juvandi conatus quam proxime accederet.

Discamus, charissimi, ab hac zeli magistra gloriam divinam et animarum salutem omni meliore, quo possumus, modo promovere, et tanquam Christi Domini sponsae honorem ejus zelare. Gloria haec divina est ingens et sublime bonum, et quodammodo infinitum, est bonum illud, quod ipsemet Deus in omnibus operibus suis intendit ; est bonum illud unicum, quod homo sive ut servus Domino, sive ut subditus Regi, sive ut filius Patri tribuere ac rependere valet. Et haec divina gloria vel maxime animarum conversione amplificatur, quae omnes mundi thesauros longissime antecellunt, conditoremque suum in caelis aeternum laudabunt et glorificabunt. His omni quo possumus modo opem feramus ; et cum tirones alia nondum ratione succurrere valeant, maximo saltem perfectionis studio ad labores apostolicos suo tempore obeundos esse disponant, et interim tot millionum animarum interitum sempiternum defleant, preces suas, labores, studia, aliaque pia opera pro illarum salute et gloriae divinae incremento libenter offerant ac dedicent.

III. Magistra patientiae.

III. S. Teresia insignis est magistra patientiae, in qua et ipsa excelluit et alios praeclare docuit, illud identidem in corde et ore gerens acroama : *Aut pati, aut mori,* aut adversis appeti, aut disrumpi. Innititur lectio ista, sicut et praecedentes, basi aeternitatis. *Momentaneum et aeternum.* Quidquid patimur momentaneum est, quidquid meremur aeternum, secundum illud Apostoli :

Momentaneum et leve tribulationis nostrae... aeternum gloriae pondus operatur in nobis.

Quaecunque autem virgo haec patientia invicta toleravit, ad tria revocari queunt, infirmitates nimirum et cruciatus corporis, opprobria et contemptus, ac daemonis infestationes : quae omnia, ut Sponso suo caelesti conformaretur, animo generoso tulit, illud solenne suum usurpans : *Aut pati aut mori*, adeo ut afflictionibus respirare, cruciatibus vivere, sine iis mortem obitura videretur. Obruit eam nervorum contractio, cordis palpitatio, animi deliquium, capitis corporisque tremor, febris prope continua, ita ut corpusculum ejus morborum plurimorum nosocomium jure appellasses ; at heroina haec aeternitati innixa, amore dilecti roborata, consuetum suum repetebat suspirium : *Aut pati aut mori.*

Ad haec gravissimis appetebatur injuriis. Coeperat divinus Sponsus eam ad visiones et revelationes, ad raptus et mentis excessus attollere ; verum haec complures interpretati alii daemonis praestigias, alii fraudes et mendacia, alii inania vacuae mentis ludibria, alii mera ad captandam sanctimoniae famam commenta ac figmenta dictitabant, donec res eo devenit, ut apud Regem Catholicum et Nuntium Apostolicum sacrosque Inquisitores traducta et in jus vocata, calumniisque oppressa sit, mortalium nemine patrocinante. Sed quid ad haec Teresia ? An lacrimas fundere ? An adversarios diris devovere ? An a coeptis piis desistere ? Minime gentium ; sed illa potius ad omnia ridere, in sinu gaudere, sibi mire applaudere, pro hostibus Deum orare, consuetamque paroemiam suam ingeminare : *Aut pati aut mori.*

Denique ab ipsis stygiis spiritibus plurimum exagitata fuit, et viginti annos eoque amplius ariditates mentis ac desolationes perpessa, Sponso suo caeli delicias animique solatio subtrahente, adeo ut oratio ipsa non nisi poena ac martyrium esse videretur, ut alias infestationes gravissi-

mas brevitatis gratia praeteream. At illa usitatum sibi *aut pati aut mori* iterabat. Nos tanquam ejus discipuli heroicam patientiam partim admiremur, partim addiscere connitamur, atque ut praxis ususque reddatur facilior : animet nos illud S. Teresiae : *In aeternum* juxta illud Apostoli (2 Cor. 4, 17) : *Momentaneum et leve tribulationis nostrae... aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

IV. Magistra claritatis

IV. Sancta Teresia excellens fuit magistra charitatis, quam variis patefecit docuitque argumentis, semper, ut in antecedentibus, aeternis principiis innixa. Postquam enim genius caelestis, e Seraphinorum numero a Sponso destinatus ad virginem, pectus ejus jaculo ignito transverberavit (veluti vita et lectiones Breviarii perhibent) : istud cordis vulnus incredibile in ejus visceribus amoris divini incendium excitavit, simulque expertissimam charitatis magistram effecit, quae et ipsa Deum toto corde, tota anima, tota mente, tota fortitudine diligeret, et apud alios nil nisi charitatem spiraret. Charitas haec ejus animam, tanquam ignis aurum, a naevorum scoria, nimioque erga res creatas affectu purgavit ; haec cor ejus, ut dilecto uniretur, elevabat, et ipsum nonnunquam corpus rapiebat ; haec inter tot languores, adversitates, persecutiones, ariditates, desolationes, stantem, ne concideret, tenuit ac fulsit. Haec ad omni meliore modo haereticis ac peccatoribus succurrendum incitavit. Haec ad Ordinis reformationem per multa obstacula impedimentaque gravissima auspicandam ac perficiendam roboravit ; haec ad id, quod est perfectius, in omni re eligendum inflammavit ; haec denique ut ex amore spiritum, in columbae specie, emitteret, ac Deo redderet, effecit. O excellentissimam charitatis magistram, quae prius fecit, quod docuit, ideoque merito magna vocatur in regno caelorum !

Docuit illa amorem divinum Ordinis sui filias ; docuit

viros reformationem Ordinis amplexos ; docuit externos et externas, quibuscum agebat, terrena despicere, amare caelestia, pertransire hujus vitae brevitatem, et quaerere atque amare Deum et aeternitatem. Nec tantum in vivis superstes amorem docuit, sed hodiedum quoque pie implorata magisterio suo fungitur. Expertus est id anno 1667 hujus sanctae magistrae, ut reor, festivae luce sacerdos quidam in missione septentrionali versatus. Audito enim in pio colloquio, devotissimam quampiam viduam Coloniae varios viros doctos pro cognitione amoris obtinenda interpellasse, ac tandem, aliis minus satisfacientibus, *quid sit amare Deum* ab uno viro doctissimo edoctam, totam sese huic sancto amoris exercitio tradidisse : sacerdos ille, hujus amandi artis, quae ars artium est, percupidus, oblatis precibus nonnullis per S. Teresiae intercessionem a Virgine Deipara *quid sit amare Deum* rescire flagitavit, et ecce in oratione versanti haec vox seu inspiratio ad interiorem animae auditum allabitur : *Amare Deum est* 1) *velle summum semper Deo bonum, summam laudem, summam gloriam ;* 2) *perfectissime semper agere et loqui ;* 3) *loqui semper sancta ;* 4) *omnia transcendere ;* 5) *nunquam tempus perdere ;* 6) *agere et concionari ex spiritu, ex spiritu, ex spiritu.* O praeclara instructio ! o lumen Teresianum insigne ! et moribus ac vitae S. Teresiae omnino conforme ! Pauca verba, sed quae permulta contineant et singula integram exhortationem mereantur. Alias hujus sanctae virgini lectiones de oratione et mortificatione, de humilitate et obedientia brevitatis gratia praeterimus.

Quare, dilectissimi, quatuor hasce lectiones a magna spiritus magistra S. Teresia sedulo addiscere studeamus. 1) Discamus cognoscere et aestimare aeternitatem, saepius cum illa repetentes *in aeternum, in aeternum, in aeternum ;* hac ratione terrena omnia aspernabimur :

modica hic voluptas, sed postea poena immensa. 2) Discamus zelum gloriae divinae et salutis animarum; utriusque pretio et aeternitate permoti, sic omnem laborem pro iis exiguum censebimus. Modicus hic labor, sed postea gloria aeterna. Et *nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria aeternitatis acquiritur* (S. Hieron.) tum nobis, tum aliis. 3) Discamus tolerantiam heroicam adversitatum quarumvis, sive corporis sive animae : modicus hic dolor, sed postea laetitia sempiterna. 4) Denique discamus ardentem charitatem, quae nos a defectibus purgabit, mentem ad Deum elevabit, inter aspera et ardua, ne succumbamus, tenebit, ad conversionem animarum, reformationem morum nostrorum, perfectiorumque electionem inflammabit, ac denique ad amorem in hac vita inchoatum, in altera tota aeternitate continuandum promovebit ac transplantabit.

EXHORTATIO I

DE SPIRITU S. IGNATII

Propagandae divinae gloriae.

THEMA : *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (Rom. 8, 14).

Spiritus est Deus, ut ait S. Joannes 4, 24. Et quidem spiritus sublimissimus, excellentissimus, efficacissimus, unus et multiplex, unus et omnium Sanctorum spiritus eminentissime complectens, a quo tanquam fonte omnes illi suum hausere spiritum, prout ei ipsum dividere et distribuere placuit. *Divisiones gratiarum sunt*, inquit Apostolus (1 Cor. 12, 4-11), *idem autem Spiritus... Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae,... alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Hac ratione

Deus prophetis communicavit spiritum propheticum, quem ab Elia petebat Elisaeus 4 Reg. 2, 9: *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus*, id est, ut explicat D. Thomas L. 4, contra Gentes c. 11, spiritus prophetiae et miraculorum quo hucusque Elisaeus caruerat. Et *requievit spiritus Eliae super Elisaeum* l. c. v. 15. Et mox prophetavit et miracula edidit. Ita Apostolis dedit spiritum zelosum propagandi ubique gloriam Dei et animas convertendi, Ecclesiae Doctoribus spiritum sapientiae et intellectus, martyribus spiritum fortitudinis, Ordinum fundatoribus non eundem sed varium et multiformem tribuit, uti et eorum asseclis ac sectatoribus. S. Francisco ejusque discipulis concessit spiritum solitudinis et silentii. Sancto vero Ignatio Societatis Jesu fundatori Deus de spiritu suo varia dona concessit, et spiritum multiplicem : spiritum castitatis, spiritum sapientiae et scientiae, spiritum obedientiae, et spiritum zeli gloriae divinae propagandae, quos spiritus per ipsum Deus in totum corpus Societatis diffundit, et quem quilibet genuinus Societatis filius etiam hodiedum pro capacitate sua et Dei libera dispensatione experitur. Breviter praemissis aliis, in hac exhortatione spiritum Ignatianum seu spiritum ac zelum propagandi Dei gloriam praecipue expendemus, quem verbo et exemplo nos docuit : *Omnia ad majorem Dei gloriam.*

I. Spiritus S. Ignatii spiritus sapientiae, castitatis et obedientiae.

I. *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, l. c. S. Ignatius in arce Pampelonensi prostratus globo tormenti anno 1521, quando summa in mundo erat ignorantia et virorum doctrina clarorum raritas, et simul quando Lutherus triennio ante auspicatus fuerat haereticos suos errores disseminare. Huic Deus providentia sua S. Ignatium opposuit, ut in Horis canonicis legit Ecclesia. Quomodo vero sese opponeret homo rudis literarum? Eum in finem dedit ei Deus spiritum sapientiae et scientiae, desideriumque literas addiscendi, in

quas tum in Hispania, tum in Gallia prope decennio incubuit; et praeter literas magnam doctrinam spiritus, seu rerum spiritualium cognitionem et sapientiam; et hic studiorum spiritus et sapientiae, Societati communicatus, hodiedum in ea viget, velut tot gymnasia, tot viri docti, tot libri in omni genere sapientiae praestantes testantur. Spiritus Dei est hic, et primus Ignatii spiritus.

2. Quoniam illo tempore supra modum tam in clero, quam in populo, etiam palam, grassabantur libidines et turpissima scelera, quibus ut se viriliter opponeret Ignatius, Deus singulare castitatis donum ei concessit. Ubi enim primo statim conversionis suae mense castitatis voto se obstrinxit, ita Deo gratum id accidit, ut ab eo tempore, patrocinio Beatissimae castissimaeque Virginis, omni prorsus libidinis sensu caruerit. Et haec virtus sive amor castimoniae a Christo per B. V. in Ignatium, ab Ignatio ad ejus primos socios, ab his ad alios, atque ita tandem ad nos devenit, nobisque in tirocinio atque adeo in primis exercitiis ita installata fuit, ut nullum vitium magis detestari, nullum e cathedra aut exhomologeterio magis insectari videamur, quam castitati angelicae contrarium. Spiritus Dei est hic, et alter Ignatii spiritus.

3. Quia eodem quoque tempore Lutheri concionibus ac editis passimque vulgatis libris Vicarii Christi Pontificis Maximi auctoritas maxime laedebatur, qui tanquam asinus, stolidus, et Antichristus ipse proscindebatur, adeoque obedientia ei exhibenda summe labefactabatur; deinde obedientia erga Matrem Ecclesiam imminuebatur, eo quod ejus praecepta de Sacro audiendo, de abstinentia a carnibus, de festorum observatione penitus abolerentur; ac denique obedientia erga Deum omnium Dominum e medio tolleretur, eo quod ejus praecepta violarentur, et tanquam impossibilia servatu passim proculcarentur: hinc S. Ignatius singulari obedientiae spiritu afflatus fuit; quo aurigante, se et Societatem quarto voto

Sedi Apostolicae adstringi voluit obedientiamque promitti, qua ad quaevis loca inter fideles et infideles proficiscendum obligarentur; catecheses instituit, quibus ubique terrarum homines docerentur praecepta Dei et Ecclesiae observare, adeoque obedientiam Deo, Ecclesiae et capiti Ecclesiae exhibendam instauravit. An non spiritus Dei est hic? et tertius spiritus S. Ignatii?

Inferamus igitur ex propositione universali conclusionem: *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei;* S. Ignatius spiritu Dei agitur, ergo est filius Dei, et quidem filius Dei electus, dilectus, et multorum filiorum Dei in Societate et extra parens et patriarcha. Si hic spiritus in nobis regnet, nos quoque pariter sumus filii Dei. Spiritus sapientiae, spiritus castitatis, spiritus obedientiae, est spiritus Dei, est spiritus Ignatii et spiritus Societatis Jesu: Hoc *spiritu ambulate* (Cf. Gal. 5, 15). Hoc triplici scilicet spiritu et filii Dei et proles S. Ignatii genuina eritis.

II. Spiritus zeli gloriae Dei.

II. Prae caeteris viguit in corde S. Ignatii spiritus zeli gloriae divinae, spiritus propagandae longe lateque Dei gloriae. Cum enim isto saeculo maxima regnaret in mundo ignorantia et malitia, ex quibus veluti fontibus omnis generis scelera propullulabant et ebulliebant, quibus Dei gloria quam maxime obscurabatur laedebaturque: Divinus spiritus eminenter omnem in se virtutem continens, pro sua bonitate, hunc quoque spiritum zeli divinae gloriae Ignatio impressit, quo diu noctuque stimulabatur ad Dei gloriam ubique propagandam.

1. *Qui spiritu Dei aguntur.* Spiritus Dei est nihil extra se intendere, nihil desiderare, nihil quaerere, nisi gloriam suam et manifestationem suae Bonitatis. Hic spiritus est a Deo, si in quopiam reperiatur, et hic spiritus est Dei, quia ipse eo regitur. Cur enim Deus creavit caelum et terram, ignem, aerem et aquam, homines et animantes, pisces et volucres, et caetera omnia,

quae ambitu universi continentur, nisi ad suam majorem gloriam? id est, ut infinitam suam potentiam, sapientiam et bonitatem manifestaret? Hinc regius vates in Psalmo 18, 2: *Caeli enarrant gloriam Dei*, scilicet objective nos ad Dei laudem et gloriam enarrandam excitando, non formaliter, cum ipsi intellectu et voluntate careant. *Plena est omnis terra gloria ejus* (Is. 6, 3). Sol, luna et sidera quid praedicant nisi gloriam Dei? Montes et valles, arbores et flores, campi et horti quid clamant nisi gloriam Dei? Et haec est intentio, hic finis ac scopus, quem Deus in omnibus operibus suis sibi praefigit; alium vero nec habet nec habere potest, et hic est spiritus Dei, qui eum semper et in omnibus ad gloriam suam quaerendam inclinat. *Universa propter seipsum operatus est Dominus* (Prov. 16, 4). *Soli Dei honor et gloria* (1 Tim. 1, 17).

2. Idem ille spiritus est spiritus Christi Domini nostri. Cum enim per Adami peccatum et totius naturae humanae corruptionem collapsum gloriae divinae decus vellet reparare, et nos mortales ad amorem, obsequium et gloriam Deo debitam persolvendam inducere; humanae naturae infirmitatem et miserias suscipere dignatus est, et pro infinita sua divini honoris aestimatione exinanivit semetipsum, ut quantum sit gloriae ejus pretium, quantaeque dignitatis sit ejus procuratio homini amore sui excoecato innotesceret. In eum finem natus est in stabulo, concinentibus Angelis: *Gloria in excelsis Deo;* eo fine praedicationis officium aggressus est, ut Patris aeterni gloriam, potentiam, sapientiam, bonitatem homines edoceret; eo fine patravit miracula, passus, crucifixus, mortuus est, ut Deus ab hominibus glorificaretur in tempore et aeternitate, in hoc mundo et in caelo. Unde ait: *Ego non quaero gloriam meam* (Joan. 8, 50); *sed voluntatem ejus, qui misit me* (ib. 5, 30).

3. Eundem spiritum in excellenti gradu statim initio conversionis suae hausit S. Ignatius patriarcha noster,

Cum enim in obsidione Pampelonensi lapide e maenibus excusso vulneratus esset anno 1521, 26. Maji feria secunda Pentecostes, et fallendi temporis ergo librum unum de vita Christi Domini et alterum de vitis Sanctorum legeret, et, quo pacto gloriam divinam propagassent, conspiceret, quamque ardua pro ejus gloria sustinuissent atque egissent, admiraretur : subito ingenti zelo eos imitandi ac gloriam Dei augendi succensus fuit. Quod ut reipsa ac practise praestaret,

1. Decrevit mundum relinquere, Christi et Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, ut in terra illa sancta, quam Salvator pedibus suis sacratis calcasset, fideles instrueret ac in spiritu promoveret, infideles vero ad fidem et Evangelium amplectendum adduceret, atque ita Dei gloriam amplificaret.

2. Ut vero sese ad hoc aliquo modo praepararet, a seipso incepit, et in se gloriam Dei promovere studuit, quod cuicunque gloriam Dei promovere cupienti imitandum est. Nam anno 1522 in hospitali Manresano, atque etiam in specu vicina ad littus fluvii, dignos poenitentiae fructus fecit, jejunando, corpus flagellando, ciliciis castigando, humi cubando, peccato expiando generali exhomologesi, excercitiis vacando, ut spiritu suo prius exculto, ipse deinde alios juvando Dei gloriam amplificaret.

3. Anno 1523 accepta Romae ab Adriano VI. Pontifice Apostolica benedictione, Hierosolymam contendit, ut animarum saluti operam navaret. Verum cum ob impendentia Turcarum pericula vetitus fuisset, in Hispaniam rediit : ubi, quo melius in rebus spiritualibus, animarum salutem spectantibus, proximis prodesse posset, triginta jam natus annos primo Barchinone grammaticae, deinde Compluti sesqui anno philosophiae et theologiae studuit, tum Parisiis omnia illa studia per annos repetiit, novem socios adlegit, qui voto se adstrinxerunt, quod Hieroso-

lymam profecturi essent, ut animarum saluti procurandae totos sese traderent : quodsi vero intra anni decursum navigandi occasio se non offerret, Romam pergerent, operamque suam ad spirituale proximorum auxilium Pontifici offerrent, quod anno 1537 praestiterunt. Ex quibus omnibus patet, quomodo spiritu Dei acti sint Ignatius et socii ejus.

4. Quare Societatem Jesu instituit, nisi ad fidei propagationem et fructum salutemque animarum? Quare ad tria consueta vota quartum addidit, nisi ut prompti essemus ad eundum in terras infidelium et haereticorum, ad eorum salutem, ut ab omnibus agnosceretur et glorificaretur Deus? Quare Romae instituit Germanorum et Hungarorum collegium, nisi ut juvenes Germani et Hungari probe instituti, in patriam suam reduces, contra haereticos pugnarent et aliis vitae exemplo praelucerent, quo et ipsi et alii Deum glorificarent? Quare instituit domum catechumenorum pro alendis Judaeis ad fidem conversis? coenobium male nuptarum, in quo ad tempus mulieres a maritis dissidentes delitescerent, quoad controversiis compositis in gratiam cum maritis redirent, quod nunc S. Marthae coenobium dicitur? quare coenobium puellarum, ob formae elegantiam et rei familiaris angustias in castitatis periculum versantium, instituit, quod nunc monasterium S. Catharinae de funariis nuncupatur, in quo puellae ejusmodi educantur, aetate matura vel vitae religiosae mancipandae, vel in matrimonio honeste collocandae? Ad majorem Dei gloriam!

5. Denique quidquid Ignatius cogitavit, quidquid dixit, quidquid scripsit, egit, molitus est, quo retulit ac dixerit omnia, nisi ad majorem Dei gloriam ? Hinc identidem in ore ferebat : *Ad majorem Dei gloriam.* Et in Constitutionibus, ut refert R. P. Nicolaus Lancicius 242 vicibus repetit : *ad majorem Dei Gloriam,* ad majus Dei et Creatoris nostri obsequium.

Hic igitur est spiritus Dei, Christi Domini, spiritus S. Ignatii, unice semper, semper, semper quaerere, desiderare, sitire Dei majorem gloriam. Spiritum illum ab Ignatio hausere S. Xaverius et alii primi patres, ut in eorum vitis ac gestis legimus. Quid aliud spectabant, quam peccatores convertere, haereticos illuminare, infideles reducere ; verbo, in omnibus Dei majorem gloriam promovere ? Adeoque vere habuerunt spiritum Dei, et fuerunt genuini filii Dei. Non degeneremus nos a praecelsis his cogitationibus filiorum Dei, et pariter erimus filii Dei ; nam *qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (loc. cit.).

III. Spiritus *majoris* gloriae Dei.

III. Zelus iste gloriae divinae et sitis seu desiderium tres habeat necesse est conditiones.

1. Prima est, ut sit universalis, et intentio haec ad universum vitae nostrae statum, omnesque ac singulas ejus actiones sese extendat, sive ex se naturales sive supernaturales fuerint : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (1 Cor. 10, 31) et (Coloss. 3, 17) : *Omne, quodcunque facitis in verbo et in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi ;* et (1 Petr. 4, 11) : *Ut in omnibus honorificetur Deus.*

2. Intentio ista sit summe appretiativa ; id est, ut pluris Dei gloriam faciamus, quam quodvis aliud bonum creatum ; est enim longe praestantius, quia est bonum Dei et quodammodo infinitum, et bonum totius, quod bono partis longe est praeferendum.

3. Non tantum quaeramus Dei gloriam, sed etiam *majorem* Dei gloriam. 1. Magna Dei gloria est ita saluti animae suae vacare, ut nullum peccatum letale admittere statuat, licet vita profundenda foret. 2. Major vero gloria Dei et amicitiae ejus est aestimatio, si potius mortem eligam oppetere, quam vel venialem maculam deliberate committere. 3. Adhuc major est, si quis ad perfectam puritatem, etsi opes, honores, commoda licite etiam et

cum aequali Dei gloria ac sine peccato veniali deliberato admittere posset, mallet tamen se omnibus iis exuere, et paupertatem, ignominiam, poenitentias et corporis incommoda amplecti, tum ut longius ab occasionibus peccatorum venialium abeat, tum ut Christo Domino similior evadat. 4. Adhuc major est Dei gloria, quando tanta puritas et perfectio non tantum propria procuratur, sed etiam pro occasione, licet non ex instituto, proximus ad eam adjuvatur. 5. Denique eo major est, quando ex instituto ita finis uterque conjungitur, ut simul utrumque in omnibus intendatur, atque adeo quasi aeque primario. Licet enim quisque de se prius esse sollicitus debeat, non raro tamen accidit, ut quis tanto divinam gloriam concupiscat amore, ut de se vix cogitet, et suam etiam gloriam et salutem, quatenus bonum quoddam proprium est, nihil vel parum curet, unius Dei gloriae agglutinatus, ubicunque demum illa existere possit. Sic Apostolus Paulus cupiebat etiam a Christo esse anathema pro fratribus suis, sic Moyses deleri se e libro vitae optabat, ut populus ille liberaretur; et hoc est ad Dei gloriam, quam uterque sibi propositam habebat quam maxime. Ita S. Ignatius malebat beatitudinis incertus vivere, et Deo interim ac proximorum saluti inservire, quam certus ejusdem gloriae statim emori. Ad hanc Dei majorem gloriam tota Christi Domini vita composita fuit: poterat assumere corpus virilis staturae, sed maluit infantis; potuit gutta redimere, sed redemit unda sanguinis; poterat venire in gloria, sed maluit in ignominia; maluit exinanire semetipsum pro majore Patris aeterni gloria et copiosiore hominum salute.

Quocirca, charissimi, si volumus desideramusque esse filii Dei, et filii S. Ignatii genuini, agamur quadruplici spiritu S. Ignatii, spiritu sapientiae, spiritu castitatis, spiritu obedientiae, et in primis spiritu propagandae gloriae Divinae: hic enim spiritus eluxit in omnibus

Dei operibus, eluxit in omnibus Christi dictis et factis, eluxit quoque in omnibus S. Ignatii molitionibus: omnia ad majorem Dei gloriam. Hanc quaeramus in omnibus et singulis, hanc prae omnibus rebus creatis magni aestimemus, nec solum Dei gloriam, sed *majorem* ejus gloriam spectemus et quaeramus. Hoc est unicum bonum, quod nos mortales Deo tribuere possumus; neque aliud habemus, quod Deo rependamus. Non eget quidem ipse gloria nostra, nec minus in se est gloriosus, licet nos ei gloriam et honorem denegemus; haec tamen ejus est benignitas, quod in nostra potestate esse voluerit gloriae suae bonum ipsi procurare, eo praemio, ut simul in nostram cedat utilitatem et gloriam sempiternam in caelis.

Per hanc intentionem majoris Dei gloriae quam maxime Deo, Christo et S. Ignatio similes evadimus; hac intentione satisfacimus praecipue illi obligationi, qua Deo obstricti sumus, sive ut tanti Patris filii, sive ut servi et mancipia tam excellentis Domini, sive ut creaturae adeo munifici Creatoris, sive ut subditi tanti Regis. Hoc enim bonum est, quod proprie decet filios Parenti optimo, servos Domino, subditos Regi, creaturas Creatori suo rependere; quid enim aliud habent, quod in signum amoris et animi grati efficaciter velle ac tribuere valeant? Ne degeneremus igitur a praecelsis cogitationibus filiorum Dei, et majorem semper ei gloriam procurare allaboremus; ita erimus filii Dei: *Qui enim aguntur spiritu Dei, ii sunt filii Dei.*

EXHORTATIO II

DE S. P. N. IGNATIO

Proponit ejus sapientiam.

THEMA: *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum, et ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiae suae* (Eccli. 39, 8 sq.).

Beatus Henricus Suso, sub annum Domini 1350 [† 1366] doctrina, sanctimonia, et miraculorum gloria inclytus, miro sapientiae amore exarsit, unde et ministri Sapientiae aeternae cognomen retulit; cumque haec Sapientis verba: *Quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius* (Sap. 8, 2) super mensam legi audiret, tanto ejus amore est inflammatus, ut spirituale cum ea connubium contraxerit. Ut enim Vitae auctor c. 4 recenset: Apparuit illi sapientia specie virginis, instar solis radiantis, atque in throno sedentis, cujus corona erat aeternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus satietas, quae benigne eum affata: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi;* et ipse pedibus ejus advolutus, lacrimantibus prae gaudio oculis, expanso cordis sinu eam circumplexus est et pectori suo suaviter astrinxit. Quod B. Susoni evenit, accidit quoque S. patriarchae nostro Ignatio. Nam et ipsi conversionis suae initio jam Christus Dominus, qui est incarnata Sapientia, jam sanctissima Trinitas fons inexhaustus Sapientiae, jam B. Virgo Mater Sapientiae apparuit, veramque ipsum ac caelestem Sapientiam docuit; hanc Sapientiam, tanquam caelestem, adamavit Ignatius: *Si enim magnus Dominus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum.* Quod ei libros de vita Christi et Sanctorum legenti accidit; tum enim oculos ei aperuit, et spiritum intelligentiae infudit, ut mundum contemneret et Christi

vestigia legere statueret. *Et ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiae suae,* copiose et abundanter, aeque ac suaviter et utiliter.

Declarabimus igitur quomodo S. Ignatius tres imbres sapientiae tanquam tres insignes sapientiae fructus protulerit : 1) Imbrem Deo, eum sapienter laudando ; 2) sibi, se ipsum sapienter dirigendo ; 3) proximo, eum sapienter instruendo. Omnia ad majorem Dei et S. P. N. Ignatii honorem et gloriam.

I. Imber sapientiae Ignatianae circa Deum.

I. Primus imber seu fructus sapientiae, quem S. Ignatius protulit, est erga Deum, scilicet Deum sapienter laudando. Unde Ecclesiasticus de viro sapiente, postquam dixit : *Emittet tanquam imbres eloquia sapientiae suae :* l. c. mox addit : *In oratione confitebitur Domino,* id est, immensam ejus gratiam, potentiam, bonitatem, sapientiam laudabit, celebrabit, ac pro collata sibi sapientia gratias aget, postulans, ut eam augere et perficere dignetur ; in oratione enim, meditatione et contemplatione oritur sapientia, cognitio, aestimatio et amor. Haec autem sapientia, seu donum sapientiae, quod a Spiritu Sancto est, tria efficit (ut in med. P. de Ponte legimus de Spiritu Sancto) : Nam 1) perficit nos in cognitione Dei et excellentiarum atque attributorum ejus ac rerum omnium ad divinitatem ejus spectantium ; 2) imprimit magnam aestimationem rerum divinarum cum gustu et dulcedine in iisdem ; 3) quarum gustu et experientia perficitur ipsa cognitio et spiritus elevatur ad accensos actus amoris Dei, et unitionis cum ejus bonitate.

Omnia haec Sapientia in excellenti gradu effecit in S. Patriarcha nostro Ignatio : Nam

1. Quoad cognitionem : mox ab initio conversionis suae fuit non tantum modis ordinariis, sed etiam extraordinariis et visionibus admirandis jam Beatissimae Virginis, jam Christi Domini instar solis, aut ignis, jam SS. Trinitatis ita illuminatus, ut clare cognoverit Deum,

Christum, et omnia fidei nostrae mysteria tam vivaciter et perfecte, ut licet sacrae literae non extarent, ipse tamen pro fide mori paratus esset ob ea, quae sibi Deus revelasset.

2. Ex cognitione lucida orta est summa rerum divinarum aestimatio, cum gustu et dulcedine in iis. Hinc tectum domus professae Romanae scandens et sidera suspiciens exclamabat : *Quam sordet mihi terra, dum caelum aspicio !* Dum Deum ejusque divina attributa ac reliqua caelestia contemplor, tota terra cum omnibus divitiis, honoribus et voluptatibus, quae in ea sunt, vilescit, et ea arbitror ut stercora.

3. Ex hac aestimatione et gustu ac experientia elevabatur ad amandum Deum, seque cum illo uniendum ; ex hoc vero amore toties rapiebatur ad gloriam ejus amplificandam. Hinc toties in corde et in ore habebat : *Ad majorem Dei gloriam,* eam unice in omnibus quaerendo, et ut in Bulla Canonizationis de eo refertur, *tanto ardebat amore, ut tota die illum exquireret, et nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quam placere Deo, et illius obtemperare voluntati. Itaque illi se totum committebat ; illum omnino sequi decreverat ; etiam si toto caelo, terraque privaretur, omnes suas cogitationes verba et opera in Deum tanquam in finem referebat.* Maximo gustu et amore cum eo colloquebatur et conversabatur. *In oratione confitebitur Domino.* Libentissime enim et cum suavitate ac dulcedine intima cum Deo colloquia instituebat, ac preces fundebat ; et quidem initio conversionis suae septenas horas quotidie genibus nixus orationi dabat, post Sacrum binas horas in contemplatione insumebat, ex floris cujusdam aspectu facillime in Deum rapiebatur. Atque hic est imber primus sapientiae e corde S. Ignatii scaturiens.

O si hic imber e pectore S. Patris in corda nostra defluceret ! O si Deum divinaque attributa, veluti ipse,

clare cognosceremus ! quod toties ipse petebat : O Domine, si te homines nossent ! O si Deum divinaque tanti, atque ipse, aestimaremus et cum simili dulcedine ac devotione degustaremus ! O si ex hac aestimatione et gustu ad excelsum Dei amorem et unionem cum ipso elevaremur, ita ut nihil, nisi ejus voluntatem et gloriam majorem quaereremus ! *Invocavi, et venit in me Spiritus sapientiae :* o veni, spiritus sapientiae, et posside nos !

II. Imber sapientiae S. Ignatii circa seipsum.

II. Secundus imber sapientiae, quem S. Parens noster Ignatius emisit, est is, quem protulit sibi, seipsum sapienter dirigendo, secundum disciplinam, doctrinam et consilium Dei. Innuit hoc Ecclesiasticus l. c. verbis proxime insequentibus ỳ. 10 : *Et ipse diriget consilium ejus et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. Ipse diriget.* Lyranus explicat de Deo : Deus ipsius consilia diriget et fortunabit ; graecum textum aliqui intelligunt, quasi ipse sapiens *dirigat consilium ejus,* scilicet Dei, q.d.: Non sufficit ei, quod sapientiam mente imbiberit, sed diriget consilium Dei (quod a Deo hausit, vel e scriptura vel e libris sacris) et in praxin rediget, ut scilicet ea, quae Deus consulit ac docet, exsequatur, in mores conferat ac juxta ea vitam omnem instituat atque conformet. Dirigere enim est opus rectum ac firmum efficere, quod nulla tentationum vel adversitatum vi evertatur. Sic S. Joannes Baptista clamabat : *Dirigite viam Domini* (Joan. 1, 23), et Isaias 40, 3 : *Rectas facite... semitas Dei nostri.*

Quam praeclare et sapienter hoc praestitit S. Ignatius ! Quomodo ex prima lectione vitae Christi Domini et Sanctorum, ea quae legit mox in praxin redigere et mores vitamque suam ad eorum imitationem conformare statuit : vestes pretiosas exuit, saccum induit, tota nocte in precibus vigilavit, loca sancta Hierosolymis invisit. 2. Consilium Dei quomodo direxit, quando ea quae Christus consulit consilia Evangelica amplexus est :

Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam sectatus? 3. Quomodo Christi Domini vitam et doctrinam seu disciplinam in praxin redegit, mortificationi et humilitati studendo, patientiam et zelum animarum exercendo, carceres cum gaudio incolendo, accusationes, opprobria ac virgas cum laetitia tolerando, et si par Dei honor foret, contemni potius quam honorari pro Christo exoptando, ut Domino suo similior evaderet? 4. *In absconditis consiliabitur,* l. c. Quam multa ei divina Bonitas revelavit, alias occulta, tum ipsum, tum alios, tum Societatis Institutum concernentia! ut vere dicere cum vate regio potuerit: *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi* (Ps. 50, 8). Large igitur hic imber sapientiae fluxit in ipsum: *Ipse diriget consilium ejus et disciplinam* l. c.

Optatisne et vos, charissimi, hunc imbrem sapientiae? *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo,* inquit S. Jacobus Apostolus 1, 5. Postulate et petite a Deo, ut ipse consilium vestrum dirigat, vosque ejus doctrinam in praxin deducatis. *Et ipse diriget consilium ejus et disciplinam* l. c., scilicet diriget vos quoad mortificationem, humilitatem, patientiam, charitatem, quoad contemptum mundi, honorum et terrenorum, quoad amorem crucis, contemptus, et adversitatis. Nec ipse petitionibus nostris deerit. Dirigite consilium perfectionis, quod Deus suggerit, per eloquia sua, conciones, instructiones; et quae auditis, vel ipsi legitis, in praxin redigite; et quae in absconditis Deus loquitur in vobis per inspirationes et illustrationes, perficite: hac ratione imbrem sapientiae copiosum emittetis.

III. Imber sapientiae Ignatianae circa proximum.

III. Tertius sapientiae imber, quem S. Ignatius emisit, est circa proximum, sapienter eum instruendo, juxta sequentia Ecclesiastici verba ℣. 11. *Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae, et in lege Testamenti Domini gloriabitur.* Atque hic est tertius fructus sapientiae,

scilicet, quod eloquia sapientiae suae aliis palam faciat et arcana sapientiae divinae, quae in corde abscondita continet, palam proferat et depromat. *Disciplinam,* id est institutionem doctrinae suae, quam praeclara et ad mores formandos doctrina instructus sit, ita ut gloriari possit et celebrare legis divinae magnalia, ejus summam aequitatem, sapientiam, pietatem, sanctitatem.

Quam praeclare haec praestitit S. Patriarcha! Vere imbrem emisit sapientiae, 1) ob copiam, 2) ob suavitatem, 3) ob foecunditatem: *fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stilla super gramina* (Deut. 32, 2). Potissimum vero mox ab initio conversionis suae licet adhuc indoctus et aliorum disciplinarum ignarus,

1. Eddit Libellum exercitiorum, in quo summam ostendit et palam fecit sapientiam et doctrinae suae institutionem: qui liber Deo ipso revelante et B. Virgine ducente conscriptus, ingentia et innumera patravit morum emendatorum miracula. In hoc libro palam facit et proximum docet: 1) Modum varium orandi, 2) modum meditandi, 3) modum conscientiam examinandi, 4) per examen particulare methodum vitia extirpandi, 5) pravos animi affectus et motus compescendi, 6) boni et mali spiritus motus discernendi seu discretionem spirituum, 7) praxin vitae statum eligendi, 8) scrupulos abigendi etc. Quo libro S. Xaverium et alios primos Patres Societati peperit, S. Carolum Borromaeum aliosque innumeros ad morum mutationem et vitam sanctiorem provexit.

2. Palam fecit disciplinam doctrinae suae, componendo Institutum seu constitutiones Societatis, quae decem partes complectuntur. Quas cum conscriberet, admirandis visionibus, luminibus caelestibus fuit illustratus; quae vel ipsos etiam heterodoxos, si legantur, in admirationem rapiunt, omnem humanam politiam sapientiamque excedunt, ac ideam perfectissimae et absolutissimae reipu-

blicae continere aestimantur, mire ob divinam plane in iis reconditam sapientiam plenissimamque totius Christianae ac religiosae perfectionis doctrinam a sanctissimis ac doctissimis viris depraedicantur ac suspiciuntur, adeoque merito a diversis summis Pontificibus approbantur.

3. *Ipse palam facıet disciplinam doctrinae suae.* Quam praeclara dedit monita Laynio et Salmeroni discedentibus ad Concilium Tridentinum? Quam eximia documenta Joanni Nunnez Patriarchae eunti in Aethiopiam? Quam egregias instructiones communicavit Laynio et Natali proficiscentibus ad comitia Augustana, Paschasio et Salmeroni pergentibus in Hiberniam Nuntiis? Ac postmodum, innumeris modis, in exhortationibus, in literis, admonitionibus, colloquiis, correctionibus, privatis instructionibus? Atque hi sunt imbres copiosi, suaves et foecundi, quas emisit S. Ignatius.

Si genuini tanti Patriarchae filii esse desideramus, ejus vestigia vos legere oportet. Ergo nunc, dum in tirocinio estis, privatim intra domesticos parietes, palam facite disciplinam doctrinae Ignatianae, eam moribus exprimendo, in colloquiis proferendo, ad eam sectandam invicem vos animando, et suo tempore, dum cum proximis agetis, exhortando, instruendo, monendo, catechizando, aliisque modis Instituto nostro conformibus.

Quod ut praestemus, dilectissimi, conemur in novitiatu triplicem hunc sapientiae Ignatianae imbrem acquirere, petendo, meditando, orando, mortificando, legendo, audiendo, colloquendo; dicamus cum Salomone (Sap. 8, 2): *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere.* 1) Circa Deum, divina clare cognoscendo, aestimando, gustando, et dulcorem in iis percipiendo, eaque amando: haec enim vera sapientia est; sicut e contra, ista non cognoscere, non aestimare, non amare, sed terrenis inhaerere summa stultitia est, qualis est illius, qui auro et gemmis abjectis

cistas suas luto et arena impleret; 2) circa nos ipsos, sapientiam haustam in praxin redigamus, vitamque nostram ad consilia Dei, ad vitae Christi exempla dirigamus, et cum constantia et fervore in omnibus eum imitari pro modulo nostro conemur: haec rursum est vera sapientia, contrarium vero stultitia; 3) tertium imbrem circa proximum effundamus, docendo et instruendo: haec iterum vera est sapientia, thesaurus enim absconditus nec communicatus quam utilitatem pariet? Quod si fecerimus: *collaudabunt multi sapientiam nostram,* scilicet Deus, Angeli et Sancti in caelo, et justi in mundo et *usque in saeculum non delebitur;* sed permanebit in animis hominum usque in aeternum.

EXHORTATIO I

DE S. FRANCISCO XAVERIO

Indiarum Apostolo, quem ostendit fuisse stellam matutinam in medio nebulae.

THEMA: *Quasi stella matutina in medio nebulae..., sic ille refulsit in templo Dei* (Eccli. 50, 6-7).

Stella matutina graece phosphorus, latine, lucifer dicta, inter nebulas tralucens, solisque ortum praecurrens ac praenuntians hominibus, post longas noctis tenebras lucem praestolantibus gratissima accidit, et blando, argenteoque nitore oculos eorum demulcet. Simili modo, ait Ecclesiasticus, Simon pontifex post longas captivitatis Babylonicae et Aegyptiacae, sub Ptolomaeo Lagi, calamitates, errores et vitia velut lucifer inter nebulas refulsit, tum populum sua majestate et beneficentia exhilarans, tum verbo et exemplo eidem praelucens. *Quasi stella matutina in medio nebulae..., sic ille refulsit in templo Dei,* l. c. Idem encomium,

Gregorius IX. Summus Pontifex S. Francisco Seraphico tribuit; dum enim eundem Sanctorum fastis ritu solemni adscriberet, ipse de Sancti laudibus facunde perorans, hisce verbis panegyrin auspicatus est: *Quasi stella matutina in medio nebulae, sic ille refulsit in templo Dei,* l. c. Quod Simoni pontifici tribuit Ecclesiasticus, et Francisco Assisiati Gregorius, idem jure optimo videor mihi aptare posse Indiarum Apostolo S. Francisco Xaverio. *Quasi stella matutina in medio nebulae..., sic ille refulsit in templo Dei.* Qui instar stellae non cujusvis, sed matutinae fulgidioris, refulsit in medio idololatriae et infidelitatis, in medio nebulae vitiorum et peccatorum, splendidos omnium virtutum et sanctitatis radios emittens.

Hunc igitur Sanctum in praesenti exhortatione stellae matutinae comparabimus, et sex virtutum ejus radios lucidissimos exponemus.

I. Oratio.

I. Primus stellae Xaverianae radius est oratio et familiaritas cum Deo, ita ut, quemadmodum stellae caelo infixae sunt, in caelo manent, nec inde descendunt, sic virum apostolicum omnino necessarium est esse deditum orationi, ut cum Apostolo (Phil. 3, 20) dicere queat: *Nostra autem conversatio in caelis est.* Cum enim viri apostolici Dei sint instrumenta in conversione animarum, instrumenta autem conjuncta esse cum causa principali oporteat, idque potissimum fiat mediante oratione: patet, quanta ejus sit necessitas; nisi enim cum Deo conjuncti sint, omnes eorum conatus, conciones, exhortationes nihil efficiunt; ut autem Deus simul cum instrumento concurrat, non eum permovet eorum industria, facundia, ingenium, doctrina, sed pia oratio ex humili et ardenti corde prosiliens. Unde Redemptor noster toties Apostolis inculcavit orationem: *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis* (Matth. 7, 7); et: *oportet semper orare et non deficere* (Lc. 18, 1), et Apostolis ait: *Vigilate itaque,*

omni tempore orantes (Lc. 21, 36); *vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. 26, 41).

Praeclare hic radius fulsit in S. Indiarum Apostolo, ipse velut stella fixus erat in caelo mente et spiritu: si instaret nebula tentationis, fervebat oratio; si dissipandae nebulae infidelitatis aut iniquitatis, succedebat oratio: si esset prae manibus conversio animarum, praecedebat oratio; orationibus, meditationibus, praecibus jaculatoriis, suspiriis, amorosis desideriis, affectibus inflammatis fixus erat in caelo, et velut stella matutina fulgebat in medio nebulae. Imo, ut testatur Bulla canonizationis pag. 5, tanto spiritus fervore in orando perseverabat, ut in ea noctes integras transigeret; fiebatque aliquando talis super eum mentis excessus, ut seipsum non caperet sed exclamaret, vultu adeo inflammatus, ut angelicam prorsus charitatem repraesentaret, et totus caelesti quodam igne exardescens, in praesentes quoque pietatis scintillas emitteret et aspicientes amore divino succenderet.

O Xaveri, orator potentissime, doce nos quoque recte orare, doce nos, excusso tepore, inflammatos in Deum affectus evibrare gratiamque impetrare juva, ut semper in caelis conversatio nostra existat, in quo velut stellae fixae, Deo conjuncti, instrumenta apta animas quam plurimas lucrandi evadamus.

II. Humilitas.

II. Alter stellae Xaverianae radius est profundissima humilitas, viro apostolico unice quoque necessaria, ut nullatenus sibi fidat, ut in gloriosis laboribus non evanescat, ut solam unius Dei gloriam, nequaquam vero suam, sincerissime spectet; et licet magnus sit, magnum se nesciat. Stellae, licet magnitudine sua totum terrae globum longe superent, imo ut Astronomi docent, vix ulla vel minima in firmamento stella luceat, quae non multoties universam terrae sphaeram magnitudine excedat: tamen parvae apparent ob distantiam et celsitudinem, et

quo celsiores sunt, eo minores esse videntur. S. F. Xaverius, quo major coram mundo fuit, eo in oculis suis minor; quo celsior, eo humilior. Licet enim Apostoli Indiarum nomen et omen sustineret, licet Legati Pontificii a latere dignitate fulgeret, vilissimis tamen quibusque libens sese subjiciebat; ad abjectissima quaeque officia ultro se demittebat, imo etiam pedissequi, ita ut cum mercatore, cui se servum addixerit, urbem Japoniae ingrederetur. Cumque omnibus esset ob sanctimoniam et miraculorum gloriam admirationi, se omnium contemptu dignum miserumque peccatorem et judicabat et profitebatur. Haec est magnorum Dei servorum humilitas. Sicut stellae substantiam et quantitatem suam maximam abscondunt, et tantum lucem exiguam instar scintillae ostendunt, per quam apparent et emicant; ita Sancti se suasque virtutes gratiam et gloriam hominibus abscondunt et latere appetunt; quare opera ipsorum quidem lucent, ut homines glorificent Patrem, qui in caelis est, sed ipsi personam suam abscondunt, vellentque non videri, ut homines, videntes opus et non auctorem, illud in Deum, qui est Pater omnium referant eumque celebrent. Haec praxis erat S. Xaverii, qui in omnibus non suam, sed Dei gloriam intendebat.

Utinam et nos hujus Sancti imitaremur demissionem, et servaremus illud Eccli: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus,* et instar stellae, licet magni, parvi tamen et viles haberi praeeligeremus!

III. Tertius stellae nostrae matutinae radius est castitas virginea; quae singulari ratione in hoc Indiarum Apostolo eluxit, viroque apostolico apprime est necessaria. Cum enim is homines carnalium vitiorum sordibus collo tenus infixos extrahere, et mundum totum in maligno positum pro viribus eripere et ab hoc sodomaeo incendio liberare debeat, quo pacto mundabit alios, ipse sordibus ejusmodi oppletus? Sane lux stellarum ac in

III. Castitas.

primis stellae matutinae purissima est, velut ipsa stella, et licet cloacas, fimeta, cadavera et sterquilinia illuminet, iis tamen ne vel hilum foedatur aut inficitur. Tanta Indiarum apostolus mentis et corporis puritate, integritate et castitate resplenduit, ut etiam in somnis impura phantasmata aut cogitationes repelleret, et inter gentes barbaras, pecudum more, in sordidarum voluptatum coeno sese volutantes, instar Angeli degeret, pellices dextre abstraheret, impuros ad castimoniae leges revocaret. In cujus castimoniae signum hodiedum corpus incorruptionis gloria refulget (1).

Haec divina castitas, haec virtus Angelica in nobis luceat, si alios e caeno cupiamus suo tempore extrahere. In hac firmiter pedem figamus, ne dum alios ex hac fovea conamur educere, ipsi nos pertrahant in profundum.

IV. Patientia. IV. Quartus Xaveriani sideris radius est invicta quaedam ac heroica patientia et celsitudo sublimitasque animi omnia mundana prospera aeque ac adversa transcendens. Quemadmodum stellae, supra mundana omnia elevatae, nihil ab his inferioribus pati queunt. Stellae nos patientiam docent, ait S. Augustinus in Psalm. 93, citans enim illud Apostoli ad Philip. 2, 15: « *In medio nationis pravae atque perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* »: *Quanta,* ait, *de ipsis luminaribus et luna fingunt homines et patienter ferunt!... Convitia fiunt stellis, quid? illae... numquid moventur, aut non exercent cursus suos?* Omnia haec et ferunt et tolerant, et non moventur. Quare? quia in caelo sunt. *Sic et homo qui in natione perversa et tortuosa habet verbum Dei,*

(1) Sanctum illud corpus, quod per saecula visum est servari incorruptum, a compluribus decenniis jam coepit collabi atque arefieri; est autem etiamnunc in summa veneratione, ita ut ad illud visendum et colendum, quando sollemniter exponitur, ex tota India ingens confluere soleat multitudo.

sicut luminare est fulgens in caelo (ML. 37, 1194). Ita S. Xaverius quanta pro nomine Dei et Evangelio pertulit? quam incredibili magnanimitate nihil arduum, nihil quantumvis adversum contrariumve fugit? quot, quantasque persecutiones a barbaris sustinuit? jam sannis et convitiis, jam telis appetitus et saxis; at nunquid ille propterea cursum sibi a Deo ordinatum stitit. Numquid a catechizando, evangelizando, ac baptizando, abstinuit? numquid virtutis, pietatis ac zeli viam inchoatam perterritus deseruit? sane convitia, pericula, naufragia, tela et saxa non pluris aestimavit, quam stella facit sannas puerorum, aut luna latratus canum sibi, dum splendet, tota nocte oblatrantium.

Utinam eo celsitudinis et patientiae ascendere liceret, ut conversatio nostra ita in caelis esset, ut ad omnia adversa, ad omnia obloquia et contradictiones, velut stellae in caelo immoti nec latum unguem a cursu perfectionis deflecteremus aut detineremur? Haec ratione veros viros apostolicos et Xaverii imitatores Societas numeraret. Hoc autem necesse est, si vultis animas lucrari. Quamdiu parum efficimus, diabolus quasi dissimulat; sed ubi primum incipimus magnos animorum quaestus facere, illico tangitur, frendet, concitat, et excitat tumultus: sed patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissionem.

V. Charitas. V. Phosphori Xaveriani radius est amor Dei inflammatus, qui vel maxime in pectore apostolico ferveat necesse est. Stellae duas proprietates continent, lucem et calorem; et 1. quidem lucem emittunt totumque orbem noctu illuminant, idque semper aequali et constanti luce. Non est illarum lux veluti lux candelae, lucernae aut taedae, quae sebo, oleo, cera alitur, eamque depascitur, eaque depasta emoritur; sed est stabilis, durabilis et inextinguibilis. Ita S. Xaverius in nocte hujus saeculi in tenebris Indiae lucem constantem emisit, dum evangelium

annuntiavit, viam virtutis docuit, iter in caelum verbo et exemplo ostendit, idque aequali animi serenitate et vultus hilaritate tam in adversis quam prosperis. Sunt qui lucent, at virtutem praeferunt ac praedicant ob lucra terrena, humana et carnalia, quibus cessantibus, velut oleo deficiente lucerna extinguitur. Non sic S. Xaverius, qui Dei amore succensus, non nummos, non lucra terrena, non honores et dignitates, sed unam dilecti sui gloriam spirabat et expetebat ac propagare satagebat, semper lucens ut stella, quae ex Deo, ipsique Deo relucet. 2. Nec solum lucem, sed et calorem stellae spargunt et impertiunt ; unde per eas inferiora haec vivificantur, vegetantur et crescunt. Ita Indiarum Apostolus divina charitate succensus et ipse ardebat, et alios inflammabat, velut *lucerna ardens et lucens ;* adeo enim incendebatur Dei amore, ut saepe vultu inflammato, divinitus a terra elevaretur, et quasi in caelum, ubi erat thesaurus et cor ejus, etiam corpus raperetur, et abundantiae charitatis et dulcedinis impar exclamaret : « Satis est, Domine, satis est », et audientes ad amorem accenderet.

O lucerna ardens et lucens ! o Stella matutina charitate succensa et rutilans, impetra nobis, ut simus nos quoque lucernae et stellae ardentes et lucentes, ardentes amore divino et ad exemplum proximis lucentes, jugiter amantes et suspirantes.

VI. *Zelus animarum.*

VI. Sextus Xaveriani sideris radius est zelus indefessus animarum, ex amore Dei et proximi ortus, habetque agilitatem et promptitudinem ad omnia opera zeli animarum. Stellae, ut docent astronomi sunt velocissimae, deinde ipsa stellarum lux velocissima est, in instanti enim spargitur, et propagat se per totum mundum (1).

(1) Quae plenius addiderat auctor, obsoleta sunt. Quoad motum stellarum satis accurate observatum habemus motum planetarum. Sufficiat hic notasse, nostram tellurem in cursu suo solari singulis *secundis* iter circiter 30 km. perficere. — Lux vero longe

Ita S. Xaverius zelo animarum ardentissimo inflammatus ad opera Dei et lucra animarum velocissimus fuit. Quanta celeritate ex Gallia in Italiam, ex Italia in Lusitaniam, ex Lusitania in Indiam, ex India in Japoniam, ex Japonia ad Chinae finitima provolavit? quanta alacritate fidem Christi 23 regnis intulit, decies centena hominum millia ad fidem christianam convertit, ad tam diversas regiones per undecim millium leucarum peregrinationes, per ingentes omnis generis labores et aerumnas, per adversitates, persecutiones, et sexcenta pericula, sine pecunia, sine famulis, sine amicis, sine omni humano solatio, feliciter penetravit, certus etiam maria natando trajicere, si navigii copia denegaretur.

O ingens zeli Xaveriani vis! o invictum animi heroici robur! quam confundis teporem nostrum! quam potenter nos ad zeli opera merito excitas.

Quapropter charissimi, si ad exemplum S. Indiarum Apostoli desideramus tanquam stellae fulgere in perpetuas aeternitates: 1) cum S. Xaverio instar stellae caelo infixi simus; 2) in parvitate et humilitate tamen nos contineamus, talesque haberi optemus; 3) purissimum lumen castitatis instar stellae matutinae ubique spargamus, alias omnis lux nostra obscurabitur et in tenebras convertetur; 4) instar stellarum terrena omnia prospera et adversa forti et patienti animo cum S. Xaverio transcendamus, nec magis moveamur quam stellae ad latratum canis; 5) instar stellarum amore divino ardeamus et luceamus cum S. Xaverio (*est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum, ardere et lucere perfectum,* teste S. Bernardo serm. de S. Joanne Bapt. n. 3, ML. 183, 399); 6) denique instar stellarum et S. Xaverii ad praedicandum, evangelizandum, catechi-

---

majore celeritate movetur; percurrit enim in *una secunda* temporis 300,000,000 km.

zandum, aliaque veloces et promptissimi curramus. Ita fiet, ut cum S. Xaverio aeternum fulgeamus in caelis; splendet ille quidem etiam in terris miraculorum gloria, splendet beneficiorum copia, splendet corporis incorruptione stupenda, sed vel maxime splendet in caelesti patria instar stellae matutinae prae multis Sanctis aliis corona seu laurea Virginis, Doctoris et Apostoli. Ut enim docet Propheta Daniel c. 12, 3: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

EXHORTATIO II

DE S. FRANCISCO XAVERIO

Ostendit S. Indiarum Apostolum fuisse vas electionis S. Paulo non absimile.

THEMA: *Vas electionis est mihi iste* (Act. 9, 15).

Hebraei in sua lingua quodvis instrumentum vasis nomine indigitant: nam Amos 6, 5 *vasa cantici* vocantur instrumenta musica; Gen. 49, 5 vasa belli nuncupantur arma et armati, quibus bellum geritur; Psal. 7, 14 vasa mortis appellantur gladii et tela, quibus mors infertur hostibus. Vas electionis est igitur instrumentum electum. Talia vasa electa fuere S. Paulus et S. Xaverius: vasa cantici seu, ut Tigurina vertit, organum resonans laudes Dei; vasa belli pugnantia contra fidei hostes, infidelitatem et peccatum; vasa mortis idololatriam extinguentes, et ipsi *oves occisionis in mortibus frequenter* et in vitae periculis; *vas electionis, vas admirabile, opus Excelsi.* Ita lucidissimum mundi oculum Ecclesiasticus praeclaro elogio vocat: *Vas admirabile, opus excelsi* (43, 2). Tale vas admirabile fuit S. Paulus, qui de tenebris vocabit in admirabile lumen Dei gentes.

Tale quoque vas admirabile fuit S. Xaverius, qui Indis in tenebris et umbra mortis sedentibus fidei lumen ostendit. *Sol quidam hominibus est Paulus*, ait S. Chrysost. de laudibus Pauli. *Sol orientis* vocatur a Francisco Remundo orat. 15. S. Xav. Xaverius. O, inquit, *inauditum portentum! Sol orientis generatur et quidem in occidente.*

De hoc ergo vase electionis, de hoc vase admirabili tanquam de sole et parelio, de Paulo et Xaverio agemus in praesenti. 1. De electione; 2. de cooperatione, ut imitemur.

I. Xaverii electio.

I. *Vas electionis est mihi iste.* 1. Vas admirabile, vas electum ut sol inter sidera S. Paulus, quia Deus illum ex tot millenis hominum millibus, prae caeteris, etiam Apostolis, elegit ad evangelizandum tam Judaeis, quam gentibus: *ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel;* atque ita mox a prima sui conversione apostolicam a Christo dignitatem et gratiam obtinuit. Ita quoque S. Franciscus Xaverius e millenis hominum millibus prae caeteris etiam viris Societatis electus est ad evangelizandum tam Europaeis quam Indis, et ad portandum nomen Jesu *coram gentibus et regibus;* atque ita, ut loquitur Urbanus VIII, Pont. Max. in Bulla Canonizationis, *novarum gentium Apostolus, unanimi totius christiani orbis consensu, meruit appellari.* 2. *Vas electionis* de S. Paulo explicat Hieronymus, vas praedestinationis; fuit enim Apostolus hic ad magnam gratiam et gloriam ab aeterno a Deo praedestinatus, ut ipse insinuat ad Gal. 1, 15. *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ab utero matris meae, et vocavit per gratiam suam.* Idque Christus revelavit Ananiae Act. 9, *vas electionis*, vas praedestinationis, *est mihi iste.* Ita quoque S. Xaverius ab aeterno praedestinatus a Deo fuit. Deus Mariae Magdalenae Francisci sorori, Gandiae discalceatarum virginum antistiti, magna

sanctitatis fama clarae revelavit: Xaverium novi orbis apostolum a se constitutum, a quo nomen suum ad gentes, ultimumque Orientem perferretur. (Cfr. Bulla Canonizationis et Nadasi in Anno dierum illustr. 2 Dec.) Haecque praedestinatio impleta, quando, Dei providentia disponente, P. Bobadilla in morbum incidente, et Mascaregna discessum urgente, S. Ignatius coactus fuit Xaverium substituere (Cfr. P. Daniel Bartoli in vita L. 1, n. 5, 3). *Vas electionis* S. Chrysostomus exponit de indole vivida, acri et alacri, heroica ac zelosa, quae omnes difficultates, persecutiones et pericula superet. Qualis in S. Paulo viguit: frigidi enim et phlegmatici, tametsi sancti, ad ardua perfringenda minus sunt idonei. Ita pariter Deus elegit S. Xaverium, *deditque ei*, ut refert P. Bartoli in vita L. 1, n. 1, *magnitudinem animi nobilis et erecti, spiritus generosos, et in quaevis ardua secundis successibus ituros.*

Mirari hic igitur jure possumus singularem Dei providentiam, sicut Paulum, ita Xaverium e millenis millibus eligentem, praedestinantem, ejusmodi donis et gratiis praevenientem, omniaque fortiter et suaviter sic disponentem, ut ad propositum sibi finem gloriae suae et salutis animarum perveniret. Deinde quis nostrum, si suam quoque mirabilem electionem, praedestinationem, vocationemque intimius perpendat, similem quoque successum felicem non speret, si se totum illi commiserit? Elegit nos ad Societatem, cujus finis est salus propria et aliena; an qui elegit, porro deseret? praedestinavit nos tam miris modis; an praedestinationem nostram fine suo frustrari permittet? ornavit tot gratiae et naturae donis; an ea nos in terram defodiemus? haudquaquam; sed statuemus nos gratiae divinae cooperaturos, et nos penitus ei gubernandos trademus.

II. Xaverii cooperatio.

II. Vidimus vas electionis quomodo electum; nunc videamus, quomodo electioni cooperando responderit.

Ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, ait aeterna Veritas. Celeberrimum encomium de M. T. Cicerone et de Demosthene Graecorum Oratorum principe commemorat S. Hieronymus Epist. 2, ad Nepotian. Demosthenes, praeripuit tibi, ne primus esses ; tu illi, ne solus. Sic asserere licebit : Paulus Doctor gentium praeripuit tibi, ne esses primus, o Xaveri ; tu illi, ne solus. Uterque enim strenue vocationi et muneri apostolico respondistis. Electi ut sol. Paulus sol ; Xaverius parelius, in nube lucida instar solis resplendens, et Pauli solis colores, lucem et radios virtutum exacte referens ac repraesentans.

1. S. Paulus vas et instrumentum electum fuit aestuans zelo et ardore propriae perfectionis, ita ut merito de illo dixerit D. Thomas in Praefat. in Epist. Pauli, quod de Simone dixit Ecclesiasticus (50, 10) : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso,* utque ipse explicat, vas aureum ob sapientiam, solidum ob charitatem, ornatum caeteris omnibus virtutibus. Idem sane de S. Francisco Xaverio Indiarum Apostolo dicere licebit : Vas auri solidum, omni lapide pretioso exornatum ; quo se ad munus apostolicum adornaret. 1. Fulsit in S. Paulo tanquam sole splendens radius, seu in aureo vase lapis pretiosus, puritas animi et conscientiae, dum dicere est ausus : Nihil mihi conscius sum. Fulsit quoque in S. Xaverio, qui quotidie conscientiam examinabat, et si liceret, Sacramento poenitentiae emundabat. (Tursellinus in vita L. 6, c. 13). 2. Fulsit in S. Paulo virginalis castitas ; ait enim : De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do : et volo omnes esse sicut meipsum. 1 Corinth. 7. Fulsit eadem in S. Xaverio, ita ut in somnis etiam impuram imaginationem a se abjecerit. 3. Fulsit in Paulo poenitentia ; ait enim : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (1 Cor. 9, 27). Fulsit in Xaverio : qui humi cubabat et corpus ad sanguinem usque flagellabat. 4. Fulsit in Paulo paupertas,

nihil habens et omnia possidens : *Argentum et aurum, aut vestes nullius concupivi* (Act. 20, 33). Fulsit quoque eadem in Xaverio; hinc rege Lusitaniae multa offerente, nihil acceptare voluit, non pecuniam, non servum etc., soloque breviario et baculo munitus iter Indicum aggressus (Bartoli L. 1, n. 32). 5. Fulsit in Paulo humilitas : *Ego,* inquit, *sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocare Apostolus* (1 Cor. 15, 9). Fulsit quoque eadem in Xaverio, ut cum Legatus a latere esset, vilissimis tamen quibusvis se subjiceret, stabula et equos curaret, omnibus instar famuli serviret (Barth. L. 1, n. 8.) 6. Fulsit in Paulo temperantia et abstinentia ; dum ait : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus* (1 Cor. 4, 11). Abstemium fuisse et nunquam vinum bibisse, censet Baronius ad annum Christi 36, et alii. Fulsit quoque haec in Xaverio, qui, ut in Horis canonicis, de eo legimus, interdicto sibi non carnis solum et vini, sed panis quoque triticei usu, vilibus cibis vesci solitus, per biduum subinde triduumque omni prorsus alimento abstinuit. 7. Fulsit Paulus virtute patientiae : *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus in necessitatibus, in angustiis, in plagis,... in laboribus, in vigiliis* (2 Cor. 6, 4 sq.). Fulsit quoque eadem Xaverius, in heroicis laboribus, in itineribus, in calumniis, in periculis, in morbis gravissimis. 8. Denique fulsit charitate Dei et proximi S. Paulus : *Quis nos separabit a charitate Christi?... Certus sum enim, quia neque mors, neque vita... neque creatura alia etc.* (Rom. 8, 35. 38). Fulsit eadem in S. Xaverio, quae ita eum accendebat saepius, ut vultu inflammato, oculis in caelum defixis, a terra elevaretur, quasi in caelum (ubi cor ejus et thesaurus erat) raperetur, et exclamaret, non valens sustinere dulcedinem divini amoris : *Satis est, Domine, satis est.* Et in his virtutibus conabatur de die in diem proficere cum Apostolo, dicens (Phil. 3, 13) :

Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum.

Atque hae sunt virtutes, quibus viri illi heroici ad apostolatum se praeparabant. Volumus et nos suo tempore Apostolicam auspicari vitam ? imitemur. Acclamat Paulus, acclamat nobis Xaverius : Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Aemulamini charismata meliora. Sic currite, ut comprehendatis.

III. Xaverii zelus animarum.

III. Postquam vas electionis hac ratione virtutibus exornatum et liquore divini amoris repletum fuit, eundem effudit in proximum. Uterque enim zelo animarum correptus prorsus incredibili, qui pectus illorum calcaris instar fodicabat ad laborandum, ad praedicandum, ad baptizandum, ad absolvendum, ad catechizandum, ad fidem et Evangelium propagandum ubique terrarum, ex hac enim virtutum luce ardor ingens zeli exortus est. Hinc 1. Apostolus Paulus : *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboravi* (1 Cor. 15, 10). Ita quoque Xaverius; nullus illi labor sufficiebat; clamabat : *Amplius, amplius.* Labor et amor sunt gemelli, ait Plato, quia quem quis amat, pro eo laborat, nec ullum pro amato laborem recusat. Xaverius totos dies laborabat in vinea Domini, noctes dabat orationi; tantum laboravit decennio, ut integro saeculo sufficeret. 2. Cum Apostolo Paulo (2 Cor. 5, 14) dicebat : *Charitas Christi urget nos,* et cum Psalmista (Ps. 68, 10) : *zelus domus tuae comedit me,* instar solis regna et provincias illustrans, instar ignis omnia succendens, igne divini amoris et zeli animarum. De hoc zelo Xaveriano scribit S. Franciscus Salesius l. 6, de amore Dei c. ult. in fine : *Ille magnus vir, et magnus Sanctus, Deique intimus amicus, Franciscus Xaverius, Societatis Jesu sacerdos, ita magnum et perfectum habuit zelum animarum, ut qui illum addiscere voluerit, Xaverii tantum gesta conside-*

rare debeat, prout tot illustria Societatis lumina gloriose fecerunt, qui ab hoc igne succensi sunt. Ita est S. Xaverius magnus vir, magnus Sanctus, quia zelus animarum verus et perfectus summa perfectio et sanctitas est ; neque enim potest esse magnus zelator, nisi sit etiam magnus Sanctus et intimus Dei amicus. Qui zelo immenso animarum correptus, cum rege Sodomorum non ab Abrahamo jam victore sed a Deo postulabat : *da mihi animas, cetera tolle tibi* (Gen. 14, 21) : zelus ejus erat sincerus. Hinc tantus fructus : multa centena hominum millia ad cognitionem verae lucis perduxit : cfr. Bulla Canon. Mira vis zeli sinceri et ardentis. Accipite zeli descriptionem a S. Patre nostro 10, p. const. § 2. Zelus sincerus animarum ad gloriam ejus, qui eas creavit et redemit, quovis alio emolumento posthabito : 1) Hic zelus est sincerus, nil terrenum spectans, sed gloriam Conditoris : 2) est acer : *zelus domus tuae comedit me ;* 3) est fervens et ardens, sicut in Elia patet, amore Dei cor inflammante (*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,* canit Claudianus ep. 8) ; 4) est constans, cum patiendi siti et commodorum odio, quae ejus geminae alae sunt. Hunc ergo zelum qui habet, magnus sanctus, magnus vir, intimus Dei amicus est, quales S. Paulus et S. Xaverius extitere.

Ad hunc ergo apostolicum zelum aspiremus. At quomodo, inquis, eum exercebo in tirocinio ? Respondeo, zelum exerces strenue te mortificando, vitia extirpando, passiones domando ; zelum exerces in virtutum solidarum studium incumbendo ; zelum exerces in oratione cum Deo familiariter versando et familiaritatem cum Deo acquirendo : sine his enim velle zelum animarum exercere est idem ac coecum et claudum in hostiles cuneos irruere, unde damnum hosti non inferes sed patieris, alios haud vulnerabis sed ipse vulnera referes et certus tibi erit interitus. Ab omnibus zelum animarum exigit

S. Ignatius etiam a novitiis; hinc in ratione conscientiae interrogantur, quem in se experiantur zelum animarum. Hinc 1 p. constit. c. 3, § 1 et in Epist. 2, n. 10 S. Pater exigit ab iis, qui ad Societatem in spiritualibus juvandam admittendi sint, ut universae virtutis et perfectionis studiosi sint: qui etiam constantes ac strenui sint in iis, quae ad divinum servitium pertinent, aggrediendis; quique zelum animarum habeant, et ea de causa ad nostrum institutum (quod ad eas juvandas et disponendas ad ultimi sui finis de manu Creatoris nostri ac Dei consecutionem recta tendit) sint affecti.

Vidimus, dilectissimi, Paulum et Xaverium, Pauli imitatorem, tanquam duos soles, aut certe tanquam solem et parelium similibus virtutum radiis coruscantes, paribus zeli ardoribus aestuantes: de quibus illa merito Senecae verba usurpemus: *Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat operi suo intentus Deus! Ecce par dignum Deo, viri fortes* etc. Quare, cum divina Bonitas nos, non secus atque S. Paulum et Xaverium, ad vitam apostolicam elegerit, praedestinarit, vocaverit, talentisque nonnullis instruxerit: 1) hos geminos Sanctos pro modulo nostro imitari studeamus, et gratiam Dei vacuam esse in nobis minime sinamus; 2) S. Paulum vas electionis et S. Xaverium in studio perfectionis aemulemur, et puritatem cordis, castitatem, humilitatem, patientiam, charitatem, caeterasque virtutes solidas obtinere satagamus; hac ratione apta vasa belli, apta organa Spiritus Sancti, apta ad animas Deo lucrandas instrumenta evademus, 3) cum hisce sanctis apostolis radios ignesque zeli conceptos in proximum effundamus, illosque verbo et exemplo accendamus, ut et ipsi evadant vasa electionis, vasa gratiae, ac denique vasa aeternae gloriae, quae nobiscum et cum Electis omnibus Deum O. M. laudent ac glorificent in perpetuas aeternitates. Amen.

EXHORTATIO I

PRO FESTO

SANCTI FRANCISCI BORGIAE.

Ostendit, quod mors imperatricis Isabellae sit mors mystica Borgiae.

THEMA : *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes* (2 Cor. 4, 10).

Verissime dixit Ecclesiastes c. 7, 3. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii :* Rationemque dicti sui illico subjungit : *In illa enim* (quisque) *finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat, quid futurum sit.* Quia scilicet in illa, ex spectaculo funeris, homo mortis suae admonetur, cogitatque se quoque propediem funus futurum, et ideo ad id bonis operibus incumbendo se disponit ; in hac vero deliciis, vinis, gaudiis, et sermonibus vanis dissolvitur animus, atque ad crapulam, levitatem et intemperantiam impellitur. Hujus sententiae veritatem expertus est S. Bruno in funere Doctoris Parisiensis, audiens eum in feretro surgentem et proclamantem : *Juste Dei judicio accusatus, judicatus, et condemnatus sum :* in eremum secessit, Ordinemque Carthusianum instituit. Eandem veritatem comprobavit S. Franciscus Borgias, Gandiae dux, ac postmodum Societatis Jesu tertius Praepositus Generalis, qui ex conspecto cadavere Isabellae imperatricis foede commutato, statuit mundo mori ac Deo vivere. Atque ita mors Isabellae mors fuit Borgiae. Quod in hac exhortatione declarabimus.

I. Mors Isabellae.

I. Mors Isabellae, mors S. Borgiae : ex illa enim orta est mors ejus, seu mortificatio perpetua, qua mundo, divitiis, thesauris, ac deliciis ejus omnino mortuus fuit :

quod hac occasione evenit. Dum potentissimus et invictissimus Romanorum imperator et Hispanorum rex Carolus V Toleti, nobili Carpetanorum urbe, ordinum omnium conventum celebraret : Isabella lectissima ejus conjux in morbum fatalem incidit, et modico post intervallo vitam clausit. Cujus funus Illiberim versus deducendum, atque in templo Catholicorum Regum sepulchris claro tumulandum Francisco a Carolo demandatur : cumque, ut in acta publica tabellionis fide et manu referretur, Augustae hoc cadaver esse, facies nudaretur aperto sarcophago, adeo illa deformis apparuit, ut spectantibus terrorem incuteret, gravi etiam odore itineris comites fugaret. Hic Francescus, tacitus et moestus, secum, praeteritis praesentia committens, cogitare : *Haeccine illa sunt lumina, quae omnium in se oculos converterant ? Haec venustas illa, quae aliarum formas extinxerat ? Tune Isabella ? Tune Augusta ? fallunt oculi ? aberrat mens ? Sed non fallunt. Nimirum humanarum haec rerum vicissitudo est. I nunc, et fragile illud formae bonum admirare.* Illud sane verum certumque est, uno hoc brevique cadaveris aspectu adeo immutatum et sui dissimilem redditum esse ipsum Franciscum, ut eundem esse negares. Legit nimirum in hoc mortali speculo, rerum omnium, quae mundus tanto ardore sectatur, vanitatem, brevitatem ac falsitatem. Cognovit verissimum esse illud Jobi effatum c. 14, 10 : *Homo, cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi quaeso* est ? statuitque, antequam mors appropinquaret, sibi et omnibus rebus mori, ac semper mortificationem Jesu in corpore suo circumferre. Mors, quae Isabellae oculos clauserat, Francisco aperuit, intellectum illuminavit : ex quo tandem affectus effectusque salutaris subsecutus fuit.

Dum vixit, fuit Isabella formae elegantia incomparabili, nulli aut oris venustate aut morum nitore aut membrorum

proportione palmam concedens. Omnium oculos animosque rapiebat, illa oris suavitas, oculorum amoenitas, sermonis affabilitas, vultus majestas, totius denique corporis gravis et modesta compositio, compositaque modestia. Verum o incredibilis formae metamorphosis ! ubi nunc caro illa nuper in capite aureis crispata comis ? ubi nunc illa caro, quae in roseis vernabat genis, in ore dulcissime rubuit ? periit, abscessit, evanuit; mutatus est color optimus; *vere fallax gratia, et vana est pulchritudo. — Homo cum mortuus fuerit,* omni specie ac decore *nudatus et* carne *consumptus, ubi quaeso est ?* Mors falce sua, qua sceptra ligionibus aequat, florem hunc vernantem demessuit, et subito exaruit, emarcuit, et non comparet amplius.

Vixit Isabella in deliciis et mundi gaudiis ac voluptatibus, quas honeste princeps femina posset desiderare ; nullum jucundum ab ejus auribus, nullum pulchrum ab oculis, nullum odoriferum a naribus, nullum dulce e faucibus, nullum lene a manibus honestis abfuit. Verum ubi nunc sunt illa omnia, quidnam emolumenti ferunt ? Evanuere cuncta et in auras abiere ; omnia mors luctuosa rapuit, turbavit, absumpsit. O Francisce ! *Homo mortuus* et omnibus deliciis ac voluptatibus jam *nudatus et consumptus, ubi quaeso est?* Mors ludi turbator lusum abrupit, et plausum in planctum commutavit.

Vixit Isabella omni thesaurorum genere, auro, argento, gemmis, margaritis, vasis aureis vestibusque pretiosis locupletissima. Carolo enim et ipsa aurigante Christophorus Columbus in alio orbe insulas detexerat opulentissimas, Floridam, Cubam, Hispaniolam, Jamaicam, auriferas et gemmiferas ; quarum beneficio opibus, margaritis et unionibus ita arcas repleverat imperatrix, ut omnes facile superaret. At ubinam nunc ista omnia ? ex cunctis cistulis nec gemmam, ex omnibus capsulis nec unionem, ex omnibus arcis nec teruntium in alteram

vitam conferre Isabellae licuit ; omnia deserenda, successoribus relinquenda fuere. Illa interim mortua, nudata, atque consumpta est. *Homo* autem *mortuus*, et omnibus divitiis ac thesauris suis jam *nudatus atque consumptus* ac in tabem conversus, *ubi quaeso est ?* Mors, praedo ille famosissimus, omnia rapuit, et invitae omnia clepsit.

Vixit Isabella summi mundi honoribus exaltata, collocata in regali solio, tot stipata famulis, tot comitata pedissequis, tot aulicis, nobilibus, comitibus et principibus circumvallata : quam prosequebantur duces, amabant proceres, venerabantur principes, a cujus supercilio et majestate pendebent omnes. Sed o tristes rerum catastrophe ! Quo nunc obsecro omnis ille spendor, pompa omnis et honor decidit ? Illa Europae luna suis modo tenebris maculisque obfuscatur, et intra unius monumenti angustias clauditur. Augusta illa, quae supra omnem fortunae aleam fuerat evecta, casibus humanis major, ad terram, ad saniem et vermes usque depressa, eorum praeda et spolium evasit. Illius collapsa sunt tempora, obsurdescunt aures, hiant oculi, putrescunt nares, prostant dentes, livent genae, torpent manus, et corpus totum putredine diffluit ; quodque nuper nil nisi croces et balsama spirabat, nunc mephitim intolerabilem quaquaversum diffundit. Omnis obscessit honor : in capite pro gemmis vermes, pro diademate lendes ; in collo pro monilibus teretes lumbrici ; in manibus pro armillis scolopendrae ; in corpore pro purpura tineae et teredines spatiantur, epulantur, convivantur ; atque adeo majestas omnis ad humilitatem, gloria ad contemptum, gratia ad horrorem et fastidium subsedit, nihilque in tanta imperatrice superest augusta Isabella dignum. O quam fortiter illa auribus tuis, Francisce, insonat : *Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri !* Tam futilis, tam fragilis et caducus est homo cum omni,

qua fulget, gloria, ut venti afflatu decidat et computrescat. Et cum mortuus nudatusque omni honore fuerit, ubi, quaeso est ? Mors securim ad radicem posuit, cedrum hanc proceram demessuit : *Transivi, et ecce non erat.*

Hic Isabellae casus Francisci animum ingenti lumine perfudit, oculumque intellectus aperuit, quo pulchritudinis corporeae, deliciarum, omniumque mundi bonorum inanitatem et inconstantiam clarissime perspiceret, ea nihili duceret, vera aeternaque momentaneis, caelestia terrenis, divina humanis longe anteponenda existimaret.

Charissimi, quemadmodum Isabellae mors Francisco, ita et illa, et quotidiana plurimorum mors oculos nobis reseret, tenebras discutiat, intellectum illuminet, ut nos quoque omnium rerum mundanarum caducitatem, brevitatem et falsitatem clare perspiciamus. Saepe nobis ingeminemus illud Jobi acroama : *Homo cum mortuus fuerit,* rebusque terrenis *nudatus atque consumptus, ubi quaeso est ?* Ubi modo est tot Caesarum gloria, tot regum potentia, tot principum opulentia, tot regnorum felicitas, tot regionum ubertas, tot Epicuri asseclarum voluptas ? Transierunt omnia, tanquam umbra, tanquam somnium, ventus et aura, quorum, cum avolarint, nec vestigium est reperire. Discamus igitur, Libitina magistra, omnia ista nihili ducere, et exemplo Sancti Francisci Borgiae pedibus conculcare.

II. Mors Borgiae. II. Mors Isabellae, mors S. Borgiae : collustratus enim lucis divinae radiis, longe diversa meditatur, animumque serio semel inducit falsis his fluxisque bonis, divitiis, clientelis, honoribus vale perpetuum dicere, et vera illa aeternaque unice sectari ; illis mori, his vivere ac totum sese mancipare, ac mortificationem ac mortem Jesu semper in corpore suo circumferre. Nec procrastinandum ratus, sed ubi primum licuit, rem strenue est aggressus ; et quidem :

1. Mors prima et abnegatio abdicatioque fuit honorum et officiorum splendidorum ; non enim diu post a Caesare veniam flagitat, ut proregis officium, et Gandiae ducatum aliosque dignitatum titulos abdicare liceat : *Ut* (verba ejus sunt) *reliquum vitae spatium ita transigam, quo antcactae vitae jacturam dignis poenitentiae fructibus sarciam ; praeterita errata corrigam ; praesentia pericula fugiam ; futura evitem.* Obtentaque a Caesare facultate, omnibus renuntiat, et ad Societatem Jesu deinceps in humilitate victurus convolat.

2. Mors altera fuit divitiarum ; omnia enim, quae in mundo possidebat, deseruit, palatia, rhedas, equos, aurum, argentum, supellectilem, vestes pretiosas, cum ducatu et dominiis, ex animo dicens: *A te, quid volui super terram ?*

3. Mors fuit deliciarum et voluptatum, quas vel ab epulis et conviviis, vel a lusibus et recreationibus, vel ab aucupiis et venationibus, vel ab amicis et familiaribus haurire poterat, semper deinceps mortificationem Jesu in corpore suo circumlaturus dicturusque cum Apostolo: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (Phil. 1, 21).

4. Mors fuit, qua suis liberis aliisque sibi sanguine junctis mortuus est. Proles enim partim vitae religiosae mancipata, partim in matrimonio locata, ac Deo commendata, ita deinceps se gessit, ac si pridem defunctus foret ; nam filiam suam Isabellam Lermae comitessam, vita functam, sine omni doloris sensu amisit. Lusitaniae principem Joannam eum non dolere demirantem sic fertur allocutus : *Depositum Dominus, qui crediderat, idem repetiit, non igitur tristitiam alieni redditio, sed usura gratiam postulat.* Alteri comiti idipsum demiranti, *Ego :* inquit, *ex quo me Deo tradidi, ita simul cor praebere studui, nihil ut perturbare illud deinceps, sive vita, sive mors possit.* In promptu causa est : mortuus erat Franciscus, mortificationem Jesu semper in corpore

suo circumferens. Unde et Pontifici de filii et filiae nuptiis interroganti respondit : Dum ipse suorum tanquam mortuus oblivisceretur, eo clementius Deum illorum memoriam et curam gerere.

5. Mors fuit sui ipsius ; dum mortificationem Jesu semper circumferret, et quotidie abnegationis gladio se feriret. S. Ambrosius L. de bono mortis c. 3 n. 9 (ML. 14, 543) praeclare disserit : *Nonne igitur unusquisque in hac vita positus speciem mortis imitatur, qui potest ita se agere, ut ei moriantur omnes corporis delectationes, et cupiditatibus omnibus, mundique illecebris etiam ipse moriatur, sicuti mortuus erat Paulus dicens : Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ?* Et S. Chrysostomus hom. 1, de laud. Pauli (MG. 50, 473) : *Paulus,* inquit, *semetipsum per singulos dies immolabat..., quotidie moriens..., et voluntate consummans martyrium.* An non et S. Franciscus Borgias illud Pauli usurpare potuit : *Quotidie morior* (1 Cor. 15, 31). Qui et sorori suae edixit : *Conveniens professionis nostrae exercitatio est, ut vicies quater* (horis nimirum singulis) *nos tanquam mortuos in monumento constituamus : ut simus ex his de quibus ait Apostolus : Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Tum illud subjecit : *Mecum quidem satis bene jam agitur, cui dicere fas est : Quotidie morior.* Ut in vita legitur.

Sane quotidie carnem suam velut hostem capitalem tractabat, et cum illo inducias pacisci perpetuo recusabat ; quin et domare indies magis magisque studebat ; qua in re quicunque opem ferre solerent, amicos et socios appellabat. In solis ardoribus summoque aut aestu aut frigore et imbribus iter faciens, dicere solebat : *Quam belle me juvant amici !* In morbis, summa adhibita patientia, dolores constanter ferebat ; quin et augere illos studebat, pharmaca amara sorbendo hauriens, et catapotia ac pilulas dentibus mandens, ut qui olim voluptatibus

fuerant ministri, nunc poenae forent; capillos sibi evellebat, scrupos, arenam, lapillosque calceis injiciebat, ut molestiam adferrent; noctu ad sanguinis profusionem se caedebat, horrido cilicio carnem domabat, sensus omnes, atque appetitus arcto mortificationis fraeno cohibebat. An non hoc est semper mortificationem Jesu in corpore suo circumferre?

Quamobrem, dilectissimi, sicut mors Isabellae fuit mors mystica S. Borgiae, ita crebra mortis memoria sit spiritualis mors nostra. Haec primo oculos mentis nobis aperiat, ut omnium mundi rerum vanitatem et brevitatem intime penetremus. Et si quandoque diabolus hujus vel illius in saeculo notae aut familiaris speciem ingerat, illico ad mortis memoriam confugiamus; si caro fortassis titillet, et voluptatis desiderium excitet, mox ad mortis vermiumque memoriam, velut ad asylum, recurramus: si mundum terrena bona, divitias, honores offerat, e vestigio ad funera quotidiana oculos reflectamus, ex quibus omnium harum vanitatum brevitatem, falsitatemque abunde perspiciemus. Mors enim speciem deturpat, voluptates abscindit, divitias rapit, honores praecipitat, omnia denique susque deque vertit et pessundat. Deinde ubi cum S. Francisco vanitatem intime penetraverimus, omnibus istiusmodi nugis et quisquiliis mundi mori satagamus. Moriamur in dies magis magisque voluptatibus, divitiis et honoribus saecularibus, quae in mundo dudum reliquimus, et nihil horum ne minimum quidem resumamus, aut repetamus; moriamur quotidie amicitiis particularibus, et affectui inordinato erga parentes et sanguine junctos, et alios quoscunque; moriamur denique nobismetipsis, corpori, carni, sensui, propriis commodis, quin et voluntati propriae; et in his nos quotidie, imo horis singulis abnegare studeamus: ita cum S. Paulo, cum Francisco Borgia semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferemus.

EXHORTATIO II

PRO FESTO

SANCTI FRANCISCI BORGIAE.

Mors Isabellae vita Borgiae.

THEMA : *Ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* (2 Cor. 4, 10).

Mortem Isabellae mortem esse Borgiae exhortatione praecedente declaravimus: nunc vela vertimus, et Isabellae mortem vitam Borgiae esse pronuntiamus, quemadmodum Franciscus ipse solitus fuit ejus mortem suum vocare natalem. A viris sanctimonia et miraculorum gloria illustribus mortuos ad vitam revocatos esse legimus quam plurimos; at a mortuis resuscitatos esse mortuos perpaucos reperimus: quamvis exemplum illius 4 Regum c. 13, 21 inveniamus: Ubi *quidam sepelientes hominem..., projecerunt cadaver in sepulchrum Elisei; quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos.* Quod in morte et vita naturali rarum est, in morte et vita mystica seu spirituali est frequens. Quot enim homines cadaverum aspectus aut seria mortis meditatio sive ab animae morte ad vitam, sive a vita tepida ad ferventem, sive a saeculari ad religiosam non traduxit! His jure annumeratur S. Franciscus Borgias, qui ex conspectu cadaveris Isabellae Augustae adeo deformatae quasi revixit; mundo mortuus, Deo in Religione renatus fuit; illo enim aspectu velut vulnere ictus, exclamavit: *O miseram vitae rationem! o fallaces hominum spes! et inanes nostras cogitationes! Quousque tandem diligimus vanitatem, et quaerimus mendacium? Quousque, veris neglectis, umbras consectamur? Regna, imperia, nobilitas, honores morte solvuntur; formae*

dignitas morbo et morte amittitur; omnia denique cito ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrimas reciduni. En illa Augustarum pulcherrima ut in funere deformata jacet! Expergiscere igitur anima mea, expergiscere e veterno. Sat principi mortali datum; te, te sequar, Immortalis. Illumina, Deus meus, oculos meos viamque commonstra, ut quod reliquum est vitae spatium, perbreve illud quidem, ac quantum id est, recte, pieque transigatur. Sic fere Franciscus, fusis ubertim lacrimis, repetens identidem: *Sat datum mortali principi; deinceps immortali serviendum, si sapis; transcribam igitur reliquum vitae tempus Regiae caelesti.* Ita Ribaden. in vita L. 1, c. 7.

Quomodo autem ex morte Isabellae in alium virum mutatus, non amplius vitam mundi, sed vitam piam, justam, sanctam egerit, imo vitam Jesu in se verus Jesuita manifestaverit, hac dictione explicabimus.

I. Vita S. Borgiae pura.

I. Ut Jesu vitam sanctam, puram et immaculatam in nobis manifestemus moribusque nostris exprimamus, ante omnia vitia et peccata mortificare necesse est, quae Jesu vitae contraria sunt et gratiae vitam prorsus extinguunt; ea de causa praemisit Apostolus: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes;* ac deinde subjunxit: *ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris;* illa enim ad hanc, tanquam medium unice necessarium, a S. Paulo requiritur. Cui consentit Doctor mellifluus serm. 1, de festo Apost. Petri et Pauli n. 3 (ML. 183, 407) ita interrogans: *Putas, parva res est scire vivere? magnum aliquid, imo maximum est. Non vivit, qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui caeteris inficitur pestibus; quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, et appropinquare usque ad portas mortis.* Quasi diceret: non est haec vita Jesu; sed vita mundi, vita carnis, vita bestialis. Quaenam igitur est vita Jesu? In primis vita pura, vita casta, vita

immaculata ; ait enim : *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Atque hanc vitam Jesu pro viribus in se manifestare et exprimere studuit S. Franciscus Borgias. Prima enim ejus cura fuit, declinare a malo; nam ea de causa mundum deseruit, Societatem Jesu elegit, ut in ea purius viveret, et caderet rarius. Sacerdotio initiatus, ut cor haberet mundius, singulis horis diurnis se ipse ad unguem excutiens, exploransque repetebat dicta, facta, et praetermissa, inquirens in se gnaviter, bisque in die exhomologesi sacra animum expians; Sacris in aurora operaturus, vesperi se ad quietem comparans nullum diem abire patiebatur, quo non suo se pede metiretur, actique temporis rationem subduceret, ne mors imparatum opprimeret, licet qui aures confitenti dabant, vix quod reprehenderent expiandumque putarent, reperiebant: at ille caelesti lumine acutius videbat, semperque pavidus vixit, omnia metuens, ac pene trepidans: Judicia enim Dei viventis, et videntis omnia, longe a mortalium judicio discrepare ajebat ; timeret itaque, quisquis saperet, Deum.

Nos, charissimi, ad Societatem Jesu vocati sumus, non ut nudum Jesu nomen praeferamus, sed omen et rem imitemur; Jesu autem est Agnus sine macula, est candor lucis aeternae innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus ; quem cum S. Francisco nostro pro modulo imitari conemur, ut in morte et supremo examine perspicax ille vultus Judicis corda scrutantis et renes nihil deprehendat, quod ejus oculos offendat. Quare fontes peccatorum, vitia inquam et passiones sedulo obstruamus, ne aquas peccatorum turbidas emittant ; sensuum portas diligenti custodia claudamus, crebram nostri discussionem instituamus, crebra exhomologesi peccata expiemus, ut vita Jesu pura et innocens manifestetur in nobis.

II. Pauper.

II. Vita Jesu a principio ad finem in summa paupertate transacta fuit ; a stabulo ad crucem dicere potuit, quod a vate regio in persona ejus praedictum : *Pauper sum ego... a juventute mea* (Ps. 87, 16), et: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos ; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* (Matth. 8, 20). Atque ita exemplo et vita sua viam nobis ad vitam aeternam monstravit, secundum illud Ps. 15, 11 : *Notas mihi fecisti vias vitae,* qui ipse es *via, et veritas et vita* (Joan. 14, 6). Hanc viam inivit, hanc veritatem cognovit, hanc vitam tenuit noster Franciscus, ut vita Jesu in se manifestaretur.

Quanto enim ardore viam paupertatis complexus fuit ! certe instar boni negotiatoris, *inventa* hac *una pretiosa margarita.., vendidit omnia, quae habuit, et emit eam* (Matth. 13, 46). Ideoque simul ac Societati nomen dedit, votisque se astrinxit, pecuniam exinde non contrectavit, et, quod mireris magis in homine adeo opulento, auri, argentique pretium ignorabat. Enituit isthaec rebus in omnibus virtus, in victu, in cultu corporis, in lecto, in cubiculo, in papyro, qua conciones suas excipiebat, in foco dum frigus urgeret instituendo, in calceis novis detractandis, in caligis licet pannosis ruptisque non permutandis. Stipem vicatim cogebat, et panis frusta libentius, quam panes integros gustabat ; in tot itineribus induci nunquam potuit, ut sanitatis gratia alteram sindonem mundam circumferret, ne quid in paupertatis jura peccasse videretur ; in stramine libens cubabat vel sub dio aut tenui tecto, ventis hac illac spirantibus ; chlamyde aut sago in itinere nunquam usus, sive hiberni, sive aestivi temporis hora foret. Ridab. L. 4, vitae c. 2. Verbo, in omnibus occasionibus paupertatem ardentiore quaerebat desiderio, quam quivis euclio divitias aut lucra, ita ut cum Jesu paupere dicere posset : *Pauper sum ego,* omnia paupertatis incommoda sua reputans lucra et emolumenta.

Si et nos, charissimi, Jesu vitam in nobis manifestare cupiamus, paupertatem cum Jesu et Francisco nostro amemus, et nec solum in oblatis rebus prompte admittamus, sed etiam in omnibus occasionibus quaeramus. Majora jam repudiavimus, et saeculo reliquimus ; caveamus, ne amorem et cor nostrum ab illis ad minora transferamus, et nugis quisquiliisque affigamus ; sed omnia, quae mundus amat, arbitremur ut stercora, ut Christum lucrifaciamus, et ejus vitam paupertatemque in nobis exprimamus.

III. Humilis.

III. Vita Jesu, tota, humilitate ac animi demissione plena fuit ; haec enim virtus propria Christi et Christianorum est, ab ipso exemplo et verbo commendata : *Discite,* inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11, 29), et in Psalmo 87, 16 : *Exaltatus autem, humiliatus sum;* cum summus essem ac maximus, infimus esse dignatus sum et minimus, *vermis, et non homo ; opprobrium hominum, et abjectio plebis* (Ps. 21, 7). Quae virtus, Augustino teste, homines Angelis adjungit ; sicut e contra, vitium elationis ex angelis daemones efficit. Non fugiebant ista S. Franciscum Borgiam, quando omni studio, omni industria et conatu in animi submissionem incubuit, a suae conversionis exordio usque ad finem vitae; et quoniam ad humilitatem, ut monet S. Bernardus, viam pandit humiliatio, curabat sedulo, ut, ubi se perfecte nosse coepit, rerum omnium conditarum puderet pigeretque. Hinc precationum omnium initia ducebat; hinc materiam disserendi desumebat ; hoc nunquam non animo versabat; jam se velut ab inferis reducem ac redivivum intuebatur; jam se ad Judae et Luciferi pedes abjectum contemplabatur: *Hodie,* inquiebat ad tirones, *in mundo locum nullum reperi ; sextum enim jam annum ad Judae pedes illum mihi fingebam ; nunc, dum Christum iis advolutum lavare, tergere et osculari attente considero, nullum mihi, inde expulso, relictum*

locum reperio (Ribad. L. 4, c. 1). Et ne in mente solum haec demissio lateret, ad vilissima omnis generis opera prodibat, quae majori gustu ac delectatione, quam superbissimus quisque sublimia et excelsa, exercebat. Ligna ad focum comportare, ollas mundare, lances tergere, pavimentum verrere, in omnibus culinae ministeriis coco obtemperare, mensae accumbentium pedes osculari, calcem et lapides ad fabricam domus deferre, pueros nola ad catechesin convocare, aegris in nosocomio inservire humillimus Dei famulus in deliciis habuit: quae omnia in tam illustris stemmatis viro haud dubie magis sunt admiranda.

Haec, charissimi, est humilis vita Jesu, haec est via veritatis ad vitam, quam Franciscus quoque noster constanter tenuit, ad quam mortis consideratio ingressum reseravit. Si nos superbiae, ambitionis, vanae gloriae tentatio impetierit, mors nostra, cinis, pulvis, vermis nullo eam negotio dissipabit; solum, quid simus, quid fuerimus, quid futuri simus, assidue animo volvamus atque intime penetrare allaboremus, et facile confusionis depressionisque nostrae mille titulos inveniemus, atque ad omnia infima vilissimaque ultro nos dimittemus, ut vita Jesu manifestetur in nobis.

IV. Vita Jesu laboriosa extitit et activa, licet contemplatione mixta. Nunc enim Redemptor noster verbum divinum praedicabat, nunc preces fundebat, nunc oppida et castella obibat, nunc Patrem caelestem adorabat; dies integros conversioni animarum tribuebat et in oratione pernoctabat; quin et inter assidua negotia, itinera et labores spiritum ab oratione non relaxabat. *In laboribus a juventute mea.* Franciscus, ut hanc vitam Jesu laboriosam et quietam, activam et contemplativam in se exprimeret, nullam non industriam adhibuit. IV. Laboriosa.

Ad Marthae officia vitamque ejus laboriosam spectabat Societatem universam gubernare, literas quam plurimas

exarare, itinera jussu summi Pontificis ex obedientia conficere, verbum Dei praedicare, doctrinam Christi rudi popello et pueritiae exponere, aliaque zeli opera exercere. Ad Mariae et contemplativae vitae munus pertinebat assiduas praedictis functionibus preces interserere, ardentiaque suspiria velut jacula in caelum emittere, annua octiduana S. Ignatii ascesi spiritum inflammare; post mediam noctem quinas senasve horas in quiete, summa animi voluptate orando et contemplando exigere, et veluti Jacob cum Deo pro obtinenda benedictione luctari. Quibus viis, ut notat Ribad. L. 4, c. 4, eo devenerat, ut Deum ubique praesentem circumferret, et locus frequens ac negotium templi et solitudinis vicem nec non materiam segetemque precandi suppeditaret. In itineribus, licet corpus lassitudinis incommoda sentiret, animo tamen id praeclare evenire asserebat, ut in via liberum ab interpellantibus et vacuum precandi tempus nanciscereturr: montes enim, silvas, et flumina, et apricos campos, herbis, vitibus et arboribus vestitos, ad orandum invitare, praeconisque vocem emittere, Deum ut mortales agnoscant, agnitum ament, amatum rerum conditarum gratia laudent assidue, et laudato tandem aliquando, morte feliciter obita, perfruantur. Ea vero attentione et ardore in his pietatis exercitiis versabatur, ut crebro extra se positus, ac totus in Deum abreptus atque absorptus cerneretur.

Talis, ad imitationem Jesu, vita Francisci fuit, laboriosa et quieta, activa et contemplativa; talis et nostra esse debet, si Jesu vitam in nobis exprimere desideremus: ad quam viva mortis meditatio juvabit plurimum, quam angusti sint vitae et laboris termini demonstrando, ex quo, dum tempus habemus, operari pro Dei gloria statuamus; veniet enim nox, appropinquabit brevi mors, quando nemini ultra operari pro aeternitate felici licebit.

Quocirca, dilectissimi, cum mors Isabellae fuerit vita

Borgiae, et ansa ac origo Jesu vitam non qualemcunque, sed perfectam sanctamque in se manifestandi et exprimendi: mors nostra, mors cujusvis proximi, mors aliorum quotidiana stimulum nobis et ansam praebeat, non segniter sed ferventer Jesu vitam exprimendi. 1. Jesu vita pura, sancta, immaculata fuit, expressit eam sanctus Franciscus Borgias; ut nos imitemur, mors persuadeat. Fac ea quae moriens facta fuisse voles: optabis in morte puram te duxisse vitam; nunc id praesta, et in fine laetaberis. 2. Vita Jesu et Francisci nostri pauperrima extitit: mors, quae omnia auferet, nihil relinquet, imitationem persuadeat. 3. Vita Jesu et Francisci summa humilitate eminuit: mors, cinis, pulvis, et omnium honorum instar fumi in auras abeuntium brevitas ad aemulandam impellat. 4. Vita Jesu laboribus assiduis referta fuit, orationibus intermixta: si Jesu vitam agere optemus, laboribus nostris preces et suspiria inseramus, et alleviabuntur; stimulumque strenue pro Dei gloria laborandi mors addet, in qua *tempus non erit amplius.* Quadruplicem hanc vitam Jesu si in praesenti mortalitate in nobis ad Christi et sancti Francisci exemplum expresserimus, in futuro quoque saeculo gloria Jesu manifestabitur in nobis: quando *similes ei erimus, videbimus eum sicuti est,* ejusque visione, dilectione et fruitione tota aeternitate beabimur.

EXHORTATIO I

AD NOVITIOS PRO FESTO

SANCTI ALOYSII GONZAGAE

Proponit vitam ejus absconditam in saeculo actam.

THEMA: *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo* (Coloss. 3, 3).

Duplicis generis in Ecclesia Dei reperimus Sanctos: nonnulli enim, veluti lucerna, non sub modio, sed super candelabram positi atque a Deo collocati; vel miraculorum stupendorum gloria, vel facinorum heroicorum splendore, vel apostolici muneris dignitate, vel martyrii pro fide fortiter tolerati laude et honore, sanctitatis suae radios longe lateque diffundunt. Ejusmodi lumina extitere S. Petrus Apostolorum Princeps, S. Paulus Doctor gentium, S. Antonius Paduanus saeculi nostri thaumaturgus, S. Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, aliique innumeri viri apostolici, martyres et confessores, nunc in caelo cum Christo triumphantes.

Alii sanctitatem et perfectionem occultam fuere professi, et tanquam lucerna in domo latens, tanquam margarita in concha, tanquam aurum sub terra delituerunt, et opera sua ac virtutes abscondere studuerunt. Tales fuere eremi incolae S. Antonius, S. Macarius, aliique anachoretae innumeri, quos Theodoretus, Palladius, Sophronius et Ruffinus commemorant. Tales fuere : S. Maria Magdalena triginta annis in solitudinee degens; S. Maria AEgyptiaca, quae annis quinque et quadraginta in eremo nullum mortalium vidit, nec ab illo visa est ; S. Pelagia poenitens, S. Caecilia, S. Agnes, et virgines millenae vel domi latitantes, vel in coenobiis et claustris, mundo incognitae uni Sponso Christo vivere et placere satagentes.

Inter hos, qui etiam in mundo perfectam absconditamque vitam duxerunt, merito numeramus S. Aloysium Gonzagam, quem divina Bonitas a puero attraxit et a vanitatibus mundi abduxit, ut vel in saeculo vivens vitam absconditam inchoaret, quam postmodum in Societate consummaret.

Ostendemus proinde, hac exhortatione, quam absconditam beatus hic adolescens in saeculo vitam egerit ; sequente, de abscondita ejus in Societate vita tractabimus.

I. Mors spiritualis S. Aloysii.

I. *Mortui estis,* ait Apostolus ad Coloss. 3, 3. Ut quis vitam absconditam, vitam perfectam auspicetur, necessarium est, ante mori mundo, carni, sanguini, peccatis, vitae et conversationi mundanae et carnali, imo sibimet ipsi, ut praeclare exponit *S. Gregorius.* Moral. l. 5 c. 6 (al. 5) n. 9 ML. 75, 684 : *Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum, semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Unde bene per psalmistam dicitur : Abscondes eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum* (Ps. 30, 21). *Quod quamvis perfecte postmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalium desideriorum tumultibus delectatione in interiora rapiuntur, ut mens eorum dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est, quod Paulus per contemplationem mortuos et quasi in sepulchro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Col. 3, 3. 4). *Qui ergo mortem quaerit, gaudet dum sepulchrum invenit, quia qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut exstinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. Talium mortuorum,* ait S. Augustinus L. de continentia

cap. 13. *Vox est: Vivo autem ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* (ML. 40, 370).

An non ejusmodi mortuis accenseri potest S. Aloysius noster, qui tanto ardore cuncta dereliquit, gloriam honoris calcavit, mundi solatia sprevit, omnem corporeae voluptatis delectationem penitus in se necavit? Si mortuus est, ut quidam Sanctorum inquit, qui nulli detrahit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, neminem opprimit, non invidet bonis, non insultat malis, non luxuriae carnis servit, non odiorum flamma inardescit, non blanditur divitibus hujus saeculi, potentibus non adulatur, non turbae plausu capitur, non auro argentoque aut veste pretiosa distenditur, non salutationibus potentum delectatur, quem superbia non inflat, non ambitio saeculi necat, non vana gloria turpiter jactat, non extollit opulentia, non perstringit species aliena: quis haec omnia in vita S. Aloysii luculenter effulgere deprehendens, eum penitus mundo, sibique mortuum esse negaverit?

Offerebat illi mundus divitias, ditiones, principatus, quae ei tanquam primogenito Marchionis Ferdinandi filio debebantur. Sed iis omnibus se mortuum esse ostendit, quando tanta animi laetitia iis se abdicavit. Ea in abdicatione parens Ferdinandus lacrimis, ille gaudio et solatio maximo perfundebatur; moxque in cubiculum se recipiebat, ibique in genua subsidens dignas aeterno Numini grates persolvit, quod se tandem diruptis catenis illis, quae specioso torquis vocabulo principes captivos tenent, in suorum filiorum libertatem aliquando asseruerit, eamque gratiarum actionem amplius integram horam extraxit.

Offerebat mundus honores, sed et illis mortuum fuisse Aloysium sat demonstravit. Dum rogatus a familiaribus, quid ita populos usque adeo sui observantes cupidosque, cum maxime ut insignia juraque imperii capesseret expectarent, tunc e vestigio desereret, respondit: alia imperia,

alias coronas mente sese agitare ; quarum collatione coronae chlamydesque nostrae comicorum vestimenta essent, paulo fortasse serius, sed fortasse etiam ocius, quam comici soleant, exuenda; non perdere imperii jura, sed perpetuare, finesque in immensum aeternumque proferre, in animo esse.

Offerebat mundus delicias et voluptates, convivia et bellaria, choreas et tripudia, venationes et hastiludia, et quidquid auditum, visum, gustum, odoratum, tactumque oblectare valeret; sed his omnibus mortuum se probavit Aloysius, quando non solum ista omnia velut puerorum crepundia respuit ac dimisit, verum etiam contraria elegit atque assumpsit, dum rigidis jejuniis, asperrimis ciliciis, acribus ac longis flagellationibus carnem quam maxime maceravit et in servitutem redegit.

O vere mundo mortue! sed Christo Domino vivens Aloysi! Charissimi: haec mors in Aloysio adhuc in saeculo degente reperta fuit. Quid nobis in saeculo acciderit scimus; quam mundus, caro, fastus fortasse in nonnullis ex nobis regnaverit vixeritque, haud ignorant illi; at nunc postquam mundum deseruimus, saltem omni studio illi mori satagamus, divitias cum S. adolescente ut sordes conculcemus, honores, dignitates, applausus, laudes, et vanitates caeteras ut fumos et nebulas explodamus, voluptates, delicias, cupedias, et carnis oblectamenta veluti guttas respectu caelestis omnium deliciarum oceani et paradisi ex animo aspernemur. Hac ratione et nobis dici vere poterit: *Mortui estis*, mortui mundo, sed viventes Christo, cum S. Aloysio.

II. *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Mundo mundanisque mortuo haud difficile accidit vitam inchoare absconditam, adeo Deo gratam. Sicut enim Deus, res per se pulcherrima et pretiosissima, latet absconditus ab oculis nostris, ita optat nos vitam sibi similem absconditam instituere. Quid autem est vita abscondita?

II. Vita abscondita S. Aloysii.

1. Est nova pie, sancte et interne vivendi forma, quam mundus ignorat, aversatur et mortem aestimat. Hoc vivendi genus, mundo ejusque principiis plane est contrarium, at Christi futurique saeculi principiis omnino conforme. Ad hanc vivendi formam et normam hortatur Apostolus, dum ab illa deterret, dicens: *Nolite conformari huic saeculo* (Rom. 12, 2). Ad quod pulchre Origenes L. 9, in Epist. ad Rom. (MG. 14, 1205 sq.): *In quo,* inquit, *ostendit esse quandam formam hujus saeculi: et aliam esse saeculi futuri: et si qui sunt qui amant praesens saeculum, et ea quae sunt in hoc mundo, secundum formam saeculi praesentis aptantur; qui vero non respiciunt ea quae videntur, sed quae non videntur et aeterna sunt, transformantur et renovantur ad futuri saeculi formam; et inde fit, ut eos non cognoscat hic mundus, sed odio habeat.* Digna cedro et auro verba. Est omnino forma hujus saeculi mundi filiis optime perspecta; est etiam forma alterius saeculi illis probe nota, qui Christo se conformant et spem suam a mundo avulsam in solo caelo collocant itaque vivunt, ne caelo difformiter vivant.

Talem vivendi formam, etiamtum in saeculo degens, amplexus est angelicus noster Aloysius, mundi principia calcans, et Christi principiis omnino se conformans; ut in sequentibus patebit.

2. Vita abscondita sua humilitate tegitur, Sancti enim latere cupiunt et latebras amant, gaudent mortificatione corporis et aerumnis. Recte monuit Epicurus: *Latenter vive,* et Ovidius: *Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit.* Latebrae hae a puero S. Aloysio fuere dilectae. Ut enim Marchettus in ejus vita c. 1 refert, cum primum pedibus uti solusque sine ductoribus ingredi coepit, saepe domus latebras quaesivit, ibique, diu a domesticis quaesitus, haud aliter quam positis genibus totusque in preces compositus atque intentus repertus fuit. Cum vero (ut cap. 7 recensetur) animum religioso instituto jam adjecisset,

coepit diutius domi, atque adeo in conclavi latitare, repudiare delicias omnes, se ipse assiduo labore frangere, dura omnia et quae magis sensus pulsarent libentius perpeti, brumali tempore frigus sustinere, ignem in cubiculo non admittere, manus frigoris acrimonia tumidas et fatiscentes circumferre, et si quae offerrentur remedia recusare.

3. Vita abscondita gratiam et virtutes, quae novae hujus vitae spiritualis quodammodo anima sunt, intus in anima tegit, quantum licet. Quales in anima S. Aloysii gratiae virtutesque reconditae fuerint, si vitam legat, quis non obstupescat? Talis fuit gratia in baptismo inita, nunquam amissa, et vitae innocentia, omni labe peccati gravioris libera et ad mortem usque conservata (cap. 2 vitae); in septenni aetate mentis ad Deum conversio et a terrenarum rerum studio ad caelestium amorem traductio (l. c.); gratia in eo (judicio Cardinalis Bellarmini viri doctissimi ac sapientissimi) ita peculiari nexu confirmata, ut nullis tartarei hostis conatibus dirimi potuerit; ea mentis adhuc pueri devotio et orandi frequentia, dura corporis asperaque tractatio, voti virginitatis perpetuae emissio atque observatio tam exacta, ut passim et palam Angelus e caelo delapsus audiret, l. c.

4. Vita abscondita a mundi cupiditatibus et mundana conversatione se abstrahit et occultat ex mente S. Anselmi. Praeclare *S. Augustinus* in sententiis num. 201 [i. e. *Prosperi Aquit.* sent. ex Aug. delibatae ML. 45, 1876]: *Boni,* ait, *latent, quia bonum ipsorum in occulto est; nec visibile enim est, nec corporale, quod diligunt; et tam merita eorum sunt in abscondita constituta, quam praemia.* Quam belle haec conveniebant Aloysio! Mundi cupiditas est famam suam vane dilatare ac propagare, nomenque suum et aestimationem in mundo celebrem reddere ac in posteros operose transmittere; Aloysii, etiamtum saecularis, cupiditas fuit latere, mundo igno-

tum vivere, Deo in Societate Jesu servire, ac mundo mori. Mundi cupiditas est vestitu pretioso aureis argenteisque lemniscis fulgido corpus ornare, pompamque in publico magnam ostentare ; Aloysii cupiditas fuit in obsoleto attritoque amictu prodire, assutis ad genua panni frustulis sarta gestare tibialia, quod in aulae splendore, humillimo cuique pudori esset. Mundi cupiditas est in apricum prodire, conversari cum magnis, gratiam, amicitiamque captare apud potentes ; cupiditas Aloysii fuit domi delitescere, Dei gratiam quaerere, cum Deo agere, et si quando cum principibus conversari vel obedientia vel officii ratio postularet, summa modestia verecundiaque id muneris obire, tam arcta oculorum custodia, ut plures annos quotidie salutans Mariam Austriacam nunquam oculis intueretur (L. 1, c. 10).

5. Vita abscondita in Dei amore et contemplatione sese abdit; nam ut ait *S. Gregorius* L. 5, moral. l. supra cit.: *Qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut extinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat.* Excelluit in his S. Aloysius; nam adhuc in saeculo licet degens, Dei tamen causa ab hominum commercio semotus, omniaque aetatis oblectamenta respuens, caelestibus a benignitate divinae charitatis deliciis recreatus, et divina contemplandi viam ac rationem divinitus edoctus, huic internae contemplationi magnam diei partem, nunc divinam in condenda administrandaque universitate potentiam, nunc infinitam, qua homines in cruce deperiit, charitatem contemplando, exigebat; in ejusmodi vero contemplationibus, incredibili quadam mentis dulcedine ac suavitate delibutus, ingentem lacrimarum vim fundere cogebatur c. 5. Inde solitudinis et silentii amor incrementum in dies capiebat, veritus, ne, si in hominum consuetudinem se vulgaret, caelestem illam cum divina voluptatem amitteret; unde

fere nunquam domo, imo ne e conclavi quidem efferebat pedem. O beata solitudo! o sola beatitudo!

6. Vita abscondita vitam gloriae, mortalibus omnibus expectatam sed absconditam, praestolatur. Vita nostra quasi hiems est, in qua sol, id est Christus, occultatur; homines velut arbores exterius aridae, sine fronde, id est sine decore, specie et pulchritudine cernuntur, sed interius vivam habent radicem, scilicet charitatem in Deo, quasi in terra vitali defixam et viventem; veniet aestas, scilicet Christi revelatio et gloria, cum revirescemus resurgendo, ac vitales dabimus frondes et fructus, scilicet dotes beatitudinis tam in anima quam in corpore. Ita S. Anselmus. Eleganter S. Augustinus serm. 112. [?] de temp. Hiemis tempore, inquit, etiam viridis arbor aridae similis est. Venit aestas, et viva radix folia producit, et impletur fructibus. Sic hiems nostra Christi occultatio est, aestas nostra Christi revelatio; mortui enim estis, ait Apostolus, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Ista sane spes erat S. Aloysio, ista vita, ista mors, unde omnia mundi fluxa bona, principatus, diademata, honores, delicias ac divitias aspernabatur, ut bona invisibilia, caelestia et aeterna consequeretur.

Quae cum ita sint, cum Deus nos non ad gloriosam et in oculis hominum stupendam vitam vocet, saltem conemur cum S. Aloysio: 1. Mori mundo ejusque divitiis et honoribus; mori carni ejusque oblectamentis et voluptatibus, quae omnia fluxa, vana, momentanea, et periculosa sunt et aeternae damnationi quam plurimis obnoxia. 2. Si vero mundo carnique mortui fuerimus, vitam absconditam auspicabimur cum S. adolescente, eamque 1) mundo, mundique legibus ac principiis contrariam; 2) humilitate tectam, latebras amantem, corporis mortificationi deditam; 3) virtutes internas possidentem et occultantem; 4) a mundi cupiditatibus et

conversationibus sese abstrahentem ; 5) orationi, meditationi, contemplationi caelestium insistentem ; 6) ac denique vitam gloriae aeternam in caelis expectantem. Haec est vita S. Aloisii adhuc saecularis, quam conemur imitari jam religiosi, pluribus praesidiis et mediis instructi. Haec est vita abscondita, vita perfecta, vita sancta ; quam si vixerimus, erimus vere mundo mortui, Christo autem viventes, et ut S. Augustinus l. c. loquitur, certe mortui, sed mortui specie, vivi radice. Attende autem venturum tempus aestatis, quomodo sequatur et dicat : Cum autem apparuerit Christus vita vestra ; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Eja ergo, dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit : plane moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas ; totus intra me silebo, ut tu loquaris in me ; totus quiescam, ut tu opereris in me. Quod si fiat, vere praedicabitur de nobis : Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

EXHORTATIO II

AD NOVITIOS PRO FESTO

SANCTI ALOYSII

Proponit ejus vitam absconditam in Societate, sub figura thesauri absconditi.

THEMA : *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro* (Matth. 13, 44).

Mundus universus agro, religio autem seu status religiosus thesauro in agro hoc abscondito recte assimilatur. Dum Christus Dominus parabolam proferret de agro et zizaniis, rogatus a discipulis, eam exposuit, (Matth. 13, 38) dicens: *Ager est mundus... zizania autem filii sunt nequam :* his zizaniis ager mundi totus obsitus

est et repletus. *Per agrum hominis pigri transivi,... et ecce, totum repleverant urticae, et operuerant superficiem ejus spinae.* (Proverb. 24, 30 sq). Mundus est ager hominis pigri, quales innumeri in eo reperiuntur, in virtutum studio et opere perfectionis omnino desides et segnes ; ac proindè ager iste repletus est urticis scandalorum et spinis peccatorum. Nihilominus tamen in agro hoc inculto, spinis tribulisque obducto, thesaurus magnus absconditus delitescit. Thesauri hujus nomine Ordinem religiosum merito intelligimus, qui vere thesaurus magnus est, magnis bonis divitiisque accumulatus ; sed absconditus ab oculis mundi : *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (Matth. 11, 25), est revelatus parvulis, id est, religionis candidatis, quorum oculos divina Bonitas aperit, ut videant et thesaurum hunc cognoscant, cognitum desiderent, desideratum quaerant, donec inveniant, omnia vendant, omnia relinquant, ut eundem sibi comparent.

Thesaurum istum ut sibi acquireret B. Aloysius Gonzaga, quid non molitus est? quibus molestiis et oppugnationibus non est tentatus a parentibus et cognatis, atque a saeculi filiis ? sed omnia vicit amor tanti thesauri, propter quem omnes mundi divitias, honores, delicias et honores, delicias et principatus dimisit, ut vitam mundo absconditam ageret, et in abscondito triplici thesauro reperto frueretur, scilicet abscondito et oculto vocationis, occultiore virtutum, et occultissimo internorum actuum ferventium et heroicorum. Quod in exhortatione praesente exponemus, ut charismata meliora aemulemur.

I. Si religiosus Societatis mundum cum omnibus deliciis ac divitiis nihil aliud esse, nisi desertum, terram arentem et inaquosam, terram feris, bestiis et draconibus obnoxiam, locum horroris et vastae solitudinis ; Religionem vero terram lacte et melle manantem, terram jubili, terram omnium deliciarum, alterum caelum, thesaurum

I. Thesaurus absconditus et occultus vocationis.

incomparabilem esse assereret, adderetque, se hunc thesaurum non venditurum omnibus mundi divitiis, nec mutaturum suam lacernam cum purpura principum, suum olusculum, suam vervecis aut bovis particulam, suam panis crustam cum omnibus totius mundi cupediis, cellulam cum palatio : in cachinnos abiret saeculi filius, suaderetque religioso, ut hunc thesaurum, hoc caelum, has delicias sibi servaret, favere illi omnes delicias enumeratas, se interim libenter in deserto mundi permansurum. Neque id mirum ; *ignoti enim nulla cupido.* Absconditus est thesaurus iste ab oculis eorum. Interea religiosus certe non fallitur. Cur enim tot nobilissimi juvenes, in optimo aetatis flore, judicio maturo, ingenio perspicaci, cur tot viri principes, tot reges e saeculo sese proripuerunt et e divitiis ac deliciis suis in Religiones transvolarunt, nisi ut thesaurum hunc absconditum sibi compararent?

Hos inter merito recensemus Beatum Aloysium nostrum, qui thesaurum istum, Deo collustrante, probe cognovit, dilexit, quaesivit, et invenit summo animi gaudio ac solatio. Tirocinii enim domum ingressus, atque a P. Joanne Baptista Piscatore, tyronum magistro, in conclave, ubi nostri rudimentum ponere primumque se Societati probare instituunt, inductus, mirifice laetus illud Davidicum usurpavit: *Haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam* (Psal. 131, 14); mox omnibus paulatim dilapsis, fores occlusit, genibusque ante Numen submissis, amantissimis verbis in lacrimas subinde abeuntibus, immensas illi gratias egit, quod se, ex Aegypti servitute vindicatum, in promissam hanc terram, promissi caeli specimen ac pignus, medios inter hostes, induxerit, seque propterea hostiam, religiosae vitae austeritate, ejus honoribus mactandam libentissime devovit. *Marchettus* L. 2, *vitae* c. 20.

Causas vero, cur prae aliis Ordinibus Societatem Jesu

eligeret tantaque aestimatione et amore complecteretur, recensebat sequentes : 1. quod Societatis Jesu leges moresque adhuc in prima aetate incorrupti florerent. 2. Quod in ea voto suscepto, quasi foribus ferreo vecte praeclusis, omnes dignitatis gradus atque una cum iis assidua comes ambitio, bonorum omnium tabes ac pestis, excluderentur. Verebatur scilicet, ne si quod aliud Institutum sibi poposcisset, inde brevi parentum vel amicorum studiis ad honores, quos declinaverat, revocaretur. 3. Quod mirum in modum ea nostrorum lege et consuetudine gauderet, quod tenera ductilisque puerorum aetas, literis, tanquam esca divini amoris sapore condita, ad pietatem et castimoniam traheretur. 4. Quod Societas nostra universas gentes, quae a recta salutis via misere aberrant, toto orbe conquisitas in evangelicae virtutis semitam reducere omni ope ac viribus studeat, hac enim via fundendi pro Christo sanguinis spem conceperat. 5. Quod ejusmodi institutum Deo auctore sibi persuasum haud dubie crederet.

His de causis, tum aliis, quas paulo post afferemus, tanti Aloysius thesaurum hunc ducebat, ut mille palatia, mille principatus, si possedisset, libens exposuisset, ut illum sibi coemeret; nullis tentationibus, nullis minis, blanditiis, lacrimis parentum amicorumque se a Societatis adeundae proposito divelli sineret.

Felicitas ista et vobis, charissimi, obtigit, reperistis thesaurum status Religiosi, in quo vitam absconditam et perfectam agere valetis, nonnihil jam bonorum in thesauro isto latentium experti e tis et degustatis: vos estis, quibus nonnunquam mica labitur de mensa Domini ; quibus scintilla cadit ex incendio caeli et amoris Dei ; quibus denique guttula mellis defluit ex mari dulcedinis vitae religiosae, qua gustata, velut Jonathas, illuminamini, et generose ad conflictum cum Philisthaeis, passionibus scilicet propriis, per aspera et abrupta rigidioris

vitae saxa conscenditis. Sed haec dulcedo abscondita est filiis saeculi; quam si clare perspicerent, mundum unanimiter desererent. Felices vos estis, qui totum mundum et vos ipsos, exemplo S. Aloysii, vendidistis, ut thesaurum istum religiosae vitae adipisceremini. Felices estis (alloquor vos cum Nazianzeno) qui proprio carentes, humiles estis et terreni, sed super terrena: inter homines versamini, sed rebus humanis estis superiores; qui vinculis pressi, et liberi estis; retineri, et teneri non potestis, nihil de mundo habetis, et omnia possidetis; alieni ab amore saeculi, sed Deo conjuncti; abjecti, et super thronum collocati; voluptatibus privati, et perpetua mentis tranquillitate et oblectatione laeti et exhilarati. Agnoscite igitur felicitatem vestram, divitias et thesaurum repertum diligentia omni custodite, atque attendite, ne unquam vestra incuria amittatis.

II. Thesaurus magis absconditus et occultior virtutis.

II. Thesauri nonnulli simplices sunt et unius solum generis bona continent, ut vel auri, vel argenti solius; alii vero ex variis diversisque bonis conflati et accumulati, et argentum, et aurum, et gemmas, et vasa pretiosa, et vestes et utensilia domus, et alias opes valoris immensi comprehendunt. Ejusmodi thesaurus multiplex et copiosus est status religiosus, qui omnis generis divitias spirituales complectitur; quae viro religioso Angelorum amico, caelestis patriae civi, et per adoptionem filio Dei necessaria et consentanea sunt, quorum possessione Deo gratus, sibi sufficiens, aliis utilis atque proficuus existit. In hoc enim thesauro abscondito non chrysolythi aut uniones, sed veriores gemmae multoque pretiosiores congregatae sunt; quarum usus et pretium non in terra tantum, sed in caelo quoque maximum est.

1. Primus thesaurus absconditus, quem vita religiosa intimius in sinu suo continet, est argenteus purusque animae nitor, seu conscientiae mundities a gravioribus noxis libera, idque per omnem vitam. Tantus sane is

mihi videtur esse thesaurus, ut si mundanorum oculis pateret, omnes merito, meo judicio, mundum desererent, atque ad eum capiendum provolarent. Vere, *divitias nihil esse duxi in comparatione illius*. Hunc thesaurum in Societate Jesu possedit et conservavit ad ultimum usque spiritum S. Aloysius. Tanta enim erat ejus vitae innocentia, animae puritas tanta, ut licet summa diligentia sese suaque omnia rimaretur, nihil deprehenderet, unde merito vel levissimae noxae reus agi posset (L. 2 vitae c. 6). Deinde extremo aetatis tempore multi ejus aequales jurejurando testati, se nunquam illum in aliquam ex levissimis culpis prolapsum advertisse. Atque inde exorta est tanta in morte tranquillitas, securitas et laetitia, ac tantum coelestis patriae desiderium.

2. Secundus thesaurus absconditus in vita religiosa est humilitas, quae libenter latet ; similisque est pretiosis margaritis, quae conchyli, foedo ad speciem cortice, involvuntur ; similis lapidibus pretiosis, et metallo primo, quae omnia latebras amant, et infima terrae viscera inhabitant. Si quis inexpertus glebam terrae flavae nondum excoctam et colatam in agro deprehenderit, abjiciet molestum pondus ; etiam conchyle infantem ad scrutinium non movebit ; peritus tamen rerum de invento pondere vel scrupeo cortice gaudebit, quia novit pretium abscondi rebus vilibus solere. Habent hoc res naturales, quod libenter lateant, habent hoc artificia eximia ; sed virtus humilitatis palmam quoad latebras omnibus praeripit, quia se non tantum intra terrea viscera, sed infra centrum terrae, ut sic loquar, condere vellet, si posset. Et haec est nostra infelicitas, quod non possimus ob hunc amorem latebrarum, pulcherrimos in justis absconditos virtutum thesauros deprehendere. Quam felix esset etiamnum Societas, quam gloriosa in suo sanctissimo Patriarcha Ignatio, si arcana soli Deo et aliqua ex parte conscientiae arbitro nota rescire potuisset!

Vulgare conchyle putabatur Ignatius, communis scilicet ac tritae probitatis ; quam pretiosa interim intus latuerit margarita, confessarius scivit, qui communem Sanctorum magnorum commendationem excedere ea quae de Ignatio sciret asseveravit. Didicit hanc pulchram absconditae humilitatis artem a patriarcha suo S. Aloysius. Evangelicam enim turrim aedificare cogitanti ea cura praecipua fuit, alte ut fundamentum poneret ; quod cum ex humillimis tanquam rudi et vili coemento constet, nihil illi optatius, quam sese omnibus submittere, loco cedere, sua omnia contempta, aliorum praeclara ac sublimia censere, B. Virginem aliosque Sanctos humilitatis virtute illustres pro ea obtinenda interpellare, humilem de se suisque opinionem fovere ; genus, fortunas, res abs se praeclare gestas silentio involvere, vel verbis pro viribus elevare ; dona a Deo concessa ut aliena sedulo tueri, ad laudes suas rubore suffundi, vilissima munia maxima alacritate obire ; verbo, tanquam minimum reputari ac tractari, postponi, negligi, reprehendi, ac latitare ex animo cupere ac desiderare.

3. Thesaurus absconditus vitae religiosae est paupertas voluntaria ; nihil in hoc mundo possidens, nihil formidans, quoniam omnem thesaurum suum recondit in coelo, semper hilaris, semper abundans est, et cum nihil habeat, omnia sibi facit communia.

4. Thesaurus quartus absconditus est angelica castitas, quae juxta S. Basilium angelos facit, carnis illecebris reluctans, diaboli tentamenta perpetua exercitatione vincens.

5. Thesaurus absconditus est obedientia, quae in mente recondita, perpetuas loquitur victorias, juge Deo sacrificium immolat, et libertatem, quae non bene pro toto venditur auro, sed bene pro caelo et Christo, eidem consecrat.

Qua ergo ratione hos quoque tres thesauros possederit

S. Aloysius, in ejus vita L. 2, c. 8 et 10 et seqq. legere est. Et nobis thesauri isti non absconditi sunt, cum thesaurarium, Societatem inquam, jam ingressi simus, et in ea ad reconditos istos thesauros clavem acceperimus, tantummodo manus admoveamus, cum gratia Dei cooperemur, et capiamus, divitesque evademus.

III. Thesaurus maxime absconditus et occultissimus, internae perfectionis.

III. In distribuendis thesauris ac talentis suis Dominus uni decem, alteri quinque, tertio unum elargitur ; et accidere potest, ut duo paria accipant talenta, sed lucra disparia referant. Quemadmodum agri, caeteris paribus, illi uberiorem fructum ferunt, qui ab agricola studio majore coluntur : ita ager religionis sive perfectio religiosa promicat uberius ex illa terra, quae solertius proscinditur. Latet tamen mysterium mirabile in agro evangelico, eo quod copiosior fructus non raro proveniat ab uno, quam ab alio, licet pari, ut sic loquar, aratro uti videantur ; imo quod mireris, plus saepe fructus accrescit ab illo, qui uno anno in Religione, quam qui decem aut viginti laboravit. Manet quis in Ordine viginti annis, et accedit Stanislaus aut Aloysius aliquis, et primo anno alteri in fructu et profectu palmam praeripit. Pulsatur personis viginti aut pluribus ad unam meditationem, et unus ardescit atque alium virum induit, alius manet in glacie et antiqua pelle. Quid causae, obsecro, hic subesse arbitramur ? Non aliam, nisi vitam absconditam, seu ut in allegoria coepta pergamus, intimum quendam in mente reconditum thesaurum ferventium actionum internarum.

Nostrum intueamur angelicum Aloysium ; quo adminiculo tam exiguo tempore, in florente aetate, ad tantum perfectionis culmen conscendit ? An ardua et heroica inusitataque edidit facinora ? An apostolicis laboribus gentes et regna ad Ecclesiae sanctae ovile reduxit ? An miracula patravit et signa ? An tormenta et martyria pro Christi fide et amore sustinuit ? Nequaquam. Quo

igitur titulo Beatorum albo inscribi meruit? In tirocinio cum tironibus aliis meditationem instituit, conscientiae latebras discussit, libros asceticos pervolvit, preces fudit, exercitia corporis frequentavit; tirocinio absoluto, studiis philosophicis vacavit cum aliis forte septuaginta et pluribus. Sed unde huic apicem perfectionis conscendere datum est, non aliis coaetaneis ac condiscipulis? Non reperio aliud praeter intimum in anima ejus reconditum thesaurum; in quo haec tria latebant: 1. Intentio purissima interna, soli Deo nota. 2. Interni virtutum actus, ut humilitatis, mansuetudinis, patientiae, zeli, ac praesertim charitatis ardentis. Qui quidem in corde ejus, velut lux intra humilitatis lucernam clausa, foris quidem ad exempli boni sufficientiam lucebant; sed intus magis ardebant ac splendescebant. 3. Victoriae internae et occultae, mortificationes passionum, repressiones affectuum inordinatorum, judicii, voluntatis et amoris proprii debellationes. Communia igitur cum aliis obivit munia et exercitia, sed non more aliis communi, sed singularibus, sublimibus, ardentibus, internis virtutum actibus exornata et animata. Quod Deus S. Mariae Magdalenae de Pazzis revelare dignatus est.

Dum enim haec sancta (cujus corpus etiamnum Florentiae in ecclesia Monialium Carmelitanarum sub altari summo incorruptum asservatur) anno 1600 4. Aprilis in raptu Beatum Aloysium conspiceret, tota attonita exclamabat: *O quantum habet gloriam Aloysius, Ignatii filius! nunquam id credidissem, nisi id Jesus meus mihi ostendisset;* moxque hujus gloriae causam adjungebat: *Habet gloriam tantam ob actus internos, quibus in vita totus deditus fuit, et quia obediens erat divinis inspirationibus. O quantum amavit in terris! ideo fruitur Deo, pleno amore in caelis, et sagittae in cor Verbi ab illo directae, nunc in corde ejus requiescunt. O si pretium, vim et praestantiam internorum virtutum*

actuum probe intelligeremus! Vere externorum cum internis nulla est comparatio. Hactenus illa, ut p. 1, vitae ejus c. 69 recensetur.

O si et nos hunc occultisssimum et maxime absconditum thesaurum reperiremus! O si in his internis virtutum actibus, ferventissimis desideriis atque amoribus hunc Sanctum imitaremur, ad quantam in caelo gloriam eveheremur! Quantas in caelo divitias nobis compararemus!

Quapropter, charissimi, cum ex gratia vocationis speciali et Dei munere singulari primum thesaurum absconditum repererimus, est quod summas divinae Bonitati grates referamus, omnique custodia thesaurum hunc custodiamus. 2. Latentes alios in hoc uno thesauros magis absconditos, scilicet virtutes, ut puritatem conscientiae, humilitatem, paupertatem, castitatem et obedientia, tanquam gazas intimiores et latentiores inquiramus, et exemplo S. Aloysii obtinere omni studio connitamur. 3. Ejusdem scholasticorum principis exemplo, ad omnino intimos et latentissimos thesauros penetrare allaboremus, ut actus internos, ferventes, heroicos crebrius excitemus, iisque opera externa animemus; ita opera communia non communi et vulgari more, sed Sanctorum eximiorum, et in primis S. Aloysii ritu, exercebimus, thesaurosque in caelo promerebimur, quales nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis ullius comprehendit.

EXHORTATIO I

PRO FESTO

SANCTI STANISLAI KOSTKAE
SOCIETATIS JESU

Probat fontem sanctitatis esse gratiam vocationis et cooperationem nostram.

THEMA : *Consummatus in brevi explevit tempora multa* (Sap. 4, 13).

Dum complures e Beatorum coetu, exiguo temporis intervallo, ad magnam evectos sanctimoniam cernimus, ad quam alii toto vitae quantumvis longaevae spatio non pertingunt, merito in admirationem rapimur. Quis enim non admiretur S. Agnetem tredecennem puellam virtute jam perfectam ad martyrii tormentum, velut ad nuptiale convivium, anhelantem ? Quis non stupeat tres S. Sophiae filias vigines, Fidem, Spem, et Charitatem, charitate eximia illustres ad martyrii cruciatus non secus atque ad epulas properantes ? Et ne abeamus longius, quis non demiretur S. Aloysium Gonzagam, anno aetatis quarto supra vicesimum, Societatis initae quinto, ad consummatae sanctitatis culmen elevatum ? B. Jacobum Chisai annis quidem gravem, sed in Ordine nostro tironem, et B. Joannem de Goto, undevicesimo aetatis anno, tirocinii Societatis primo, in Japonia ad martyrii palmam evolantem ? Pari ratione, quis non obstupescat S. Stanislaum nostrum, adolescentem duodeviginti annorum, decem mensium tironem, ad eum perfectionis verticem conscendere, ad quem alii plurimi quadraginta aut quinquaginta annorum intercapedine non eluctantur ? Quem vero fontem tam acceleratae sublimisque perfectionis esse arbitrabimur ? Geminum

in ejus vita fontem reperimus, copiosam scilicet religiosae vocationis gratiam et strenuam sancti hujus adolescentis cooperationem; quem exhortatione praesente elucidabimus, ut pro modulo nostro charismata meliora aemulemur.

I. Praestantissima et copiosissima vocationis gratia, qua nonnulli Sanctorum ad vitam religiosam perfectionemque sublimem accersuntur, fons est omnium bonorum ac donorum inde promanantium. Ut recte observavit P. Franciscus Sacchinus vitae S. Stanislai auctor, atque hisce verbis insinuat: *Affluentia donorum, quae deinceps alia super alia semper uberius congesta in eum e caelo sunt, quasi fons et semen fuit efficacissima et uberrima, donata ei a principio religiosae gratia vocationis.* Gratia haec teste *S. Augustino*, De Gen. contra Manich. l. 2 c. 4 (ML. 34, 198 sq), fons est paradisi, nimirum divina illustratio interior, a Deo velut paradiso profluit. Cui jure aptamus quod S. Bernardus serm. 1. de Nativ. n. 6 Christo Domino attribuit, a quo omnis gratia vocationis tanquam fonte dimanat. Est ergo fons gratiae vocationis, *fons misericordiae ad diluendas culpas dans aquas remissionis; fons est sapientiae ad sitim nostram potandam dans aquas discretionis; fons est gratiae ad irrigandas plantas bonorum operum dans aquas devotionis; denique fons est aemulationis dans aquas ferventes ad coquendos cibos affectionum, quae fervent igne charitatis.* (Cf. ML. 183, 118.)

I. Fons sanctitatis eximia vocationis gratia.

An non ejusmodi fons sancto Stanislao extitit *efficacissima et uberrima, donata ei a principio, religiosae gratia vocationis?* ita sane. Illa enim vere fuit ipsi fons misericordiae divinae, larga in eum vena scaturiens, et copiosa dona ac charismata profundens; illa fons fuit sapientiae, rerum spiritualium ac caelestium gustum saporemque tribuens, terrenarum vero nauseam pariens. Illa fons in eo fuit gratiae, ad omnem Dei et superiorum

nutum promptissimum reddens, plurimaque opera bona proferens. Illa fons fuit aemulationis ac zeli omnia vocationis impedimenta fortiter perrumpens, passiones mortificationis fraeno cohibens, virtutum cimeliis inhians, omniaque religiosae vitae consentanea ornamenta pro viribus conquirere satagens.

Sed videamus in particulari, qua sapientia et aestimatione, qua aemulatione ac zelo prosecutus fuerit gratiam vocationis. Quemadmodum praedictus vitae auctor refert, ex vocationis gratia ejusdemque tenerrima dilectione ortum duxit: 1) Ut dies et noctes nihil in mente ejus et ore foret, nisi Deus et Societas Jesu. 2) Ex hac profluxit fervor instandi et perurgendi apud Patres et Pontificis Legatum, quo voti tandem compos in Societatem adlegeretur, adhibendo non preces modo assiduas, sed etiam lacrimas. 3) Licet P. Laurentio Magio, provinciae Praesidi, staret sententia, eum nisi bona a parentibus impetrata venia nequaquam admittere, animum tamen ipse minime despondit, vocationem non deseruit; sed potius ejus desiderium in immensum auxit, atque ut contra diaboli jactationem sese firmaret, sacram jecit anchoram, et proposito votum adjunxit, quo se plane Societatem ingressurum spopondit. 4. Postquam collocato a Beatissima Virgine in ejus lectulo puero Jesu, sanitati restitutus, et ab eadem de ineunda Societate diserte monitus fuit, multo amplius ejus desiderium excrevit; quare Imperatricis ecclesiasten Viennae adiit, atque ut consilio et auxilio adesset, per Deum rogavit. 5. Cum vero hic suaderet, ut vel Augustam ad P. Canisium, vel Romam ad P. Borgiam, tunc Societati universae Praepositum, se conferret, mox assumpto pueri rusticani habitu, literisque ab ecclesiaste aulico obtentis, ad Canisium et Borgiam concessit, voto etiam addito, se nullum peregrinandi et interim victum emendicandi finem facturum, quoad in tam optatum sibi Ordinem

penetrandi vel rimulam inveniret. 6. Ubi ad Canisium pervenit, is spe nonnulla ostentata, et ut interim videret, num quid parentes molirentur, in convictorum aedibus Dilingae jubet nobilem hunc adolescentem humilia et servilia tractare opera, varieque probatum Romam ad Borgiam destinat; quando totum illud iter rursum pedes confecit, atque, ubi Romam appulit, anno 1567 festo SS. Apostolorum Simonis et Judae tandem in tironum numerum est adscriptus. 7. Ut autem thesaurum hunc absconditum reperit, tanto labore quaesitum, nunquam satiabatur gaudens; et quia ex abundantia cordis os loquitur, plerique ejus sermones instituebantur de beneficio vocationis, nec fere unquam sine magnificentia sententiarum, gravitate verborum et uberibus lacrimis. O incredibilis vis et energia gratiae vocationis! O fons copiosus misericordiae, sapientiae, gratiae et aemulationis! O beneficium ingens! o vena caelestium donorum largissima, omni possibili actione gratiarum digna!

Sed nunquid et vos, charissimi, obtinuistis a benignissimo Numine gratiam vocationis? Nunquid et in vos fons hic miserationum Domini est profusus? Quinimo. Accepistis enim singularem a Deo vocationis gratiam, etsi fortasse S. Stanislao haud parem, sed tamen efficacem, sed magnam, sed specialem; qua aurigante, patriam, parentes, amicos et omnia reliquistis, atque ad hoc Trevirense tirocinium tanquam ad salutis aeternae asylum et perfectionis gymnasium confugistis. Omnia haec fonti gratiae vocationis debentur; sed estne fons iste vobis quoque fons misericordiae, fons sapientiae, gratiae et aemulationis? Est, respondetis, sed tenuis fortassis non largus, parcus, non copiosus. Unde vero istud? Cur fluxit S. Stanislao abundantius, vobis parcius? utique ex cooperationis defectu, de quo sequenti puncto pluribus.

II. Fons sanctitatis strenua cooperatio cum gratia vocationis.

II. Quo fons altius et copiosius e monte per canales descendit ac defluit, eo quoque in artificiosis fontibus

elevatur et ascendit sublimius; quo vena vocationis Divinae e caelo emanat largius, eo per cooperationem vocati refunditur in Deum liberalius. Patet id in angelico nostro Stanislao, de quo P. Sacchinus in ejus vita, postquam retulisset uberrimam vocationis gratiam ejusque amorem et aestimationem, mox subjungit: *Cui ipse egregie respondit; et cum eidem se gratissimum et obsequentissimum praeberet, ea re largum divinae benignitatis flumen in illum refundebatur et egregie praeparatum foecundabat; et ipse vicissim, ut fidelis servus, in agro cordis sui multiplex virtutum incrementum proferebat, quod ad Deum veluti fructus redibat.*

S. Stanislaus gratiae uberrimae vocationis *egregie respondit,* eidem cooperando. *Gratissimum et obsequentissimum ei se praebuit,* exactissime eam sequendo, regulas et omnia, quae exigit, quam diligentissime observando; hinc largum divinae benignitatis oriebatur flumen, hinc multiplex virtutum incrementum, hinc fructus bonorum operum, hinc manabant aquae remissionis peccatorum et vita pura ac prope angelica, quae ad exhomologesin vix absolutionis materiam adferret; ex hoc fonte scaturiebant aquae sapientiae salutaris, aquae discretionis, amor instituti, rerumque spiritualium et aeternarum aestimatio; hinc fluebant aquae devotionis, pietatis, promptitudinis ad obtemperandum moderatoribus divinisque inspirationibus prorsus singularis, ita ut nihil, quantumvis parvum, exile ac minutum reputaret aut contemneret, aut jussa variis interpretationibus ad sensum suum accommodaret, sed simplicitate et fidelitate summa capesseret. Ex hoc fonte scaturiebant aquae aemulationis, zeli, fervoris et charitatis, cum seria voluntate et generosa resolutione omnia ardua vincendi; quod dum reipsa gratiae divinae cooperando praestat, intra paucos menses in tirocinio Societatis transactos ad perfectionis culmen est provectus. Hoc nisu et impetu fortu-

natus ac rapidus cursor, perexiguo tempore longissimum virtutis spatium emensus, destinatum apprehendit bravium, mense ab ingressu Societatis decimo, vere *consummatus in brevi explevit tempora multa*. Sap. 4.

Cur vero nos, obsecro, charissimi, tam tarde ac sero ad perfectionem pertingimus; et non dico, intra denos menses, sed intra denos, vicenos, aut tricenos annos, non eo quo ipse tam cito eluctamur ac pervenimus? Non deest nobis vocationis gratia, ut diximus; sed deest tam magna vocationis aestimatio; deest tam ardens ejusdem amor, et ex eo nasci solitus fervor intensus, et seria efficaxque voluntas omnia implendi, quae vocatio requirit, omnia impedimenta perrumpendi, omnia media generose adhibendi, qualis in Stanislao eluxit. Hinc tardo ac testitudineo gradu procedimus, hinc adeo segniter perfectionis negotium aggredimur. Exempli gratia unum adduco praestans perfectionis adminiculum, examen particulare, quo si strenue uteremur, cito longum perfectionis iter absolveremus; verum, quia ignavia laboramus, et seria deficit voluntas, in imperfectionibus haeremus: intra dies quatuordecim cum divina gratia obtinere possemus exactam oculorum custodiam, sed vix intra tres menses assequimur; intra octiduum, si efficaciter vellemus, valeremus acquirere virtutem silentii, sed vix intra complures menses adipiscimur; idemque est in aliis virtutibus: quia deest generosa mens, deest fervor, deest efficacia, et seria voluntas vocationi divinae cooperandi et nos eidem quam gratissimos et obsequentissimos exhibendi. Quoties diximus ad religionem aspirantes, cum Apostolo: *Domine, quid me vis facere?* Etiam hodiedum dicimus; sed verba sunt, absque re, inefficacia; vocatio enim ostendit, quid facto opus sit, et non facimus.

Alio spiritu, alio fervore, alia resolutione et resignatione Doctor gentium eadem verba pronuntiavit: *Domine, quid me vis facere?* Ideoque tam cito perfectionis

culmen conscendit, atque ad apostolici muneris dignitatem et sanctitatem pertigit. Mittebat Dominus (Act. c. 9) Ananiam ad Saulum dicens : *Quaere in domo Judae Saulum nomine Tarsensem.* Admirans Ananias ejusmodi imperium, illico reponit : *Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem.* Sed respondet Dominus : *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste.* Ad solum Sauli nomen expalluit Ananias et dixit : Tantundem est mittere me ad Saulum, quantum ad silvam amandare, ut a tigride devorer, aut dilacerer a leone. Nonne jam gladios strinxit ? Nonne patentes ad omnes fideles comprehendendos, vincendos et trucidandos obtinuit ? sed sedavit Dominus Ananiae timorem, dicens : *Vade,* noli timere ; nam Saulus non est amplius ille qui fuit. Quomodo ? reingerit Ananias, nonne ante triduum persecutor erat ? Omnino ; at jam triduum est, quod sit sanctus. Non est, qui erat, plenus minarum et caedis ; sed *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel. Est,* non ait, *erit; mihi,* quia extra caelum non habeo in terris quemquam, in quo plus confidam, quam in Saulo. Piscatum exerceat Petrus : *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* (Matth. 4, 19) ; sed Saulus pro amplificatione nominis mei terras barbarorum peragrabit, tyrannis obviam ibit, et nomen meum atque Evangelium ad gentes et reges deportabit.

Quam stupenda res est ista ! Quam admiranda metamorphosis ! Saulus persecutor Ecclesiae et juratus Christi inimicus, triduo evadit Apostolus et sanctus et vas electionis ; nec tamen vel regulam habuit, a qua dirigeretur, nec instructorem, a quo doceretur, nec methodum seu normam vivendi, qua ad sanctitatem duceretur. Et Religiosi complures omnibus ejusmodi mediis probe instructi, non solum post tres dies aut post decem menses, sed post decem annos et plures ad

perfectionem non provehuntur ; sed in eodem manent, et utinam non quandoque imperfectiores quam fuerunt in principio ! Causam jam insinuavimus : deest fervor, deest impetus spiritus, deest seria et efficax voluntas, deest strenua cooperatio ; quae in S. Stanislao, quae in Saulo emicuit. *Domine,* ait, *quid me vis facere ?* indica mihi duntaxat ; et nihil tam erit arduum, quod amore tui non sim aggressurus, quemadmodum et confestim aggressus est ; nam totus mutatus in alium, quia totum seipso se spoliavit, a charis suis se separavit, et precibus vacavit : *Ecce enim orat* (Act. 9, 11). Antea spirabat minas, nunc spirat et suspirat ad Deum ; jejunium sibi severum indixit : *Et erat tribus diebus non videns ; et non manducavit, neque bibit* (l. c. v. 9), non curans amplius corpus suum. Libenter caecitatem suam toleravit : *Et erat tribus diebus non videns,* cinerem in ore, lacrimas in oculis gerens, genibus in terram curvatis, cor in caelo defigens, atque ut verbo absolvam, urna illa veneno plena mutata est in phialam incensi, persecutor in Apostolum, Saulus in Paulum, vas reprobationis in vas electionis ; et hoc non nisi triduo. O mutatio dexterae Excelsi ! O mira vocationis gratia et vis, cum cooperatione strenua conjuncta ! *Non ego* (solus) *sed gratia Dei mecum,* et ego cum Dei gratia.

Et Societas nostra non poterit, quod Damasci potuit domus Judae ? Omnino. Nam Ignatius non erat Apostolus, non erat purissimus, non erat sanctus, dum Manresanum antrum subiret ; miles erat, et inter milites insolens, et inter insolentes superbus, aliisque vitiis irretitus, sed brevi temporis intervallo sanctimoniam fuit adeptus ; Stanislaus paucis mensibus in Societate ingentia sanctitatis incrementa fecit. Totum est in hoc, ut efficaciter velis, ut gratiae vocationis coopereris, ut serio et veraciter cum Saulo dicas : *Domine, quid me vis fascere,* ut reipsa cum S. Stanislao vocationis gratiae te

gratissimum et obsequentissimum, quod neglectum hactenus, praebeas, et quidquid, etiam minutissimum, quod vocatio aut regula requirit, exequaris.

Quapropter, charissimi, si ad sublimem perfectionis evangelicae, ad quam vocati sumus, culmen ascendere desideremus, S. Stanislaum novitium, aeque ac nos sumus, pro modulo nostro aemulemur. Accepimus cum ipso efficacem uberemque vocationis gratiam, quae, ut ostendimus, largissimus fons est misericordiae, sapientiae, gratiae et charitatis : quam si amemus intense, si aestimemus summe, tanquam fons paradisi copiosus, aquas remissionis peccatorum, aquas devotionis, discretionis et fervoris in nos largiter effundet, quemadmodum in S. Stanislao conspeximus. Sed omnino necessarium est, ut ejusdem exemplo vocationis gratiae animose respondeamus, eidem nos gratissimos et obsequentissimos praebeamus, nihil minutum reputemus, nihil quantumvis parvum spernamus ; sed seriam, firmam, constantem, et invictam voluntatem afferamus, praestandi generose omnia, quae vocatio nostra et Instituti ratio postulat. Dicamus igitur cum Apostolo : *Domine, quid me vis facere ?* et simul manum applicemus, ac cum eodem Apostolo, cum S. Ignatio, S. Stanislao, et sexcentis aliis generosissimis Societatis nostrae athletis, opus perfectionis aggrediamur : hac via, cum iisdem, per singularem vocationis gratiam, strenuamque cooperationem nostram, ad perfectionis culmen eluctabimur.

EXHORTATIO II

AD NOVITIOS PRO FESTO SANCTI STANISLAI KOSTKAE SOCIETATIS JESU NOVITII

Suadet amorem Dei, Christi Eucharistici, et Beatissimae Virginis, exemplo hujus Sancti.

THEMA : *Et ego tres sagittas mittam.., et faciam quasi exercens me ad signum* (1 Reg. 20, 20).

Omnes, quotquot in orbe universo ab Adamo descendimus mortales, jaculatores sumus et sagittarii ; a Deo arcu, pharetra, et sagittis instructi ; a centro praefixo ad jaculandum dispositi. Arcus et pharetra nostra sunt cor et voluntas, sagittae affectus, centrum et scopus Deus O. M., qui cum magnus sit et immensus, haud difficulter tangitur et tamen quot, pro dolor! mortales a nobilissimo hoc scopo aberant ! Primo enim deviant infideles omnes, qui, cum scopum suum ignorent, Deum non videant neve cognoscant, quid mirum est si toto caelo aberrent ? Deinde aberrant haeretici, quorum oculi et cor cum haereseos labe inficiantur et verae fidei lumine destituantur, consequens est, ut nec sinceras fidei, spei et charitatis sagittas emittant, et caecutientes scopum non attingant. Tertio, pravi christiani et catholici frigidi sceleribusque irretiti non Creatorem, sed creaturas, sed seipsos et ventrem pro scopo sibi praefixerunt, inimici crucis Christi, quorum finis interitus, ac proinde longissime a meta aberrant. Quarto, religiosi tepidi, qui non Deum Deique gloriam, sed gloriam vanam, scientiam inflantem, dignitatem, honorem, praelationem pro centro sibi statuunt ; o quam procul a scopo deflectunt ! Non sic Beatus noster Stanislaus, qui pharetram sagittis electis refertissimam habuit, et felicis-

sime scopum semper attigit, et licet varias et quam plurimas ejaculatus sit sagittas, tres tamen nobiliores et praestantiores emisit, scilicet sagittam amoris et charitatis in Deum, deinde in Christum Eucharisticum, ac denique in Beatissimam Virginem. Quas sagittas exhortatione praesente declarabimus, ut novitii hoc novitiorum speculum pro modulo nostro imitemur.

I. Sagitta amoris Dei.

I. S. Dorotheus Doctrina 6. Dominum Deum mundi et amoris nostri centrum recte nuncupat, ad quem e cordis nostri pharetra aureae dilectionis sigittae, id est ferventes amoris affectus indesinenter ejaculandi sunt. Novit praeclare hanc sagittandi artem S. Stanislaus. Quot enim ille in Deum centrum suum charitatis tela ardentia evibravit! Refert P. Franciscus Sacchinus, Societatis nostrae theologus, auctor vitae ejus: *Tanto cum amore in Deum ferri solitum, ut calor in ipsum corpus redundaret. Certum est,* inquit, *ipsum ex animi redundantia ita amoris divini incendio incalescere, ita exacstuare solitum corpus, ut pectori ad refrigerandum cor imbutos frigida panniculos necesse esset apponere.*

Verum unde, obsecro, hi aestus? Unde ardentis hae affectuum sagittae ortum duxere? Non aliunde, quam ex illustratione mentis et clariore Numinis supremi cognitione, quam divina Bonitas puris mentibus impertiri consuevit; nam *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8). Assidue enim orationi, meditationi et contemplationi intentus erat, absque animi evagationibus. *Quo enim evagaretur,* inquit Sacchinus, *qui jam se totum ac penitus in oceanum immensum divinitatis immerserat, unde, quocunque se verteret, nunquam emergeret.*

Hac ratione immersus cognoscebat et stupebat non solum Deum tanquam inexhaustum omnium bonorum et beneficiorum fontem, quae ex illo tanquam rivuli liberalissime emanant; verum etiam Deum videbat et

intuebatur tanquam summum, infinitum et unicum bonum, in quo omnia bona, omnia attributa, omnes perfectiones possibiles et imaginabiles eminentissime continentur, ita ut nec unica illi queat deesse, ac proinde dignissimum esse, qui amore summo omni et unico a nobis diligatur, absque ulla cordis ad alios amores divisione, qui ad ipsum non ordinentur.

Quodsi et nos, charissimi, cupiamus ardentes in Deum sagittas amoris ejaculari, studeamus primo in oratione et meditatione Deum probe cognoscere, et infinitam ac summam ejus beneficentiam, infinitam et summam ejus potentiam, infinitam et summam ejus sapientiam, pulchritudinem, amabilitatem, bonitatem ac sanctitatem ponderare. Duplici autem via Deum concipere et cognoscere valemus, ut docet Sanctus Dionysius Areopagita c. 1, de divin. nomin. et c. 3, de myst. theol. 1. Per affirmationes, quibus omnes perfectiones ei tribuimus. 2. Per negationes, quibus omnes perfectiones, ut a mente creata absque lumine gloriae concipiuntur, de eo negamus. Priori modo concipimus Deum esse spiritum sublimissimum, optimum, maximum, sempiternum, benignissimum, sapientissimum, potentissimum, sanctissimum, justissimum, pulcherrimum, rebus omnibus intime praesentem, omnia interius creantem, formantem, conservantem, gubernantem, et ad suam gloriam dirigentem, tanquam primum principium, et ultimum finem rerum omnium. Posteriori modo Deus concipitur esse spiritus infinitus, immensus, sempiternus, infinitus supra omnem excellentiam et magnitudinem quae a mente creata concipi potest elevatus, supra omnem substantiam, supra omnem potentiam, sapientiam et bonitatem, supra omnem intellectum, lucem, beatitudinem et gloriam: adeo ut ipse nihil horum proprie sit, nulli horum sit similis, sed infinite sublimior et praestantior.

Atque ubi hac ratione summum hoc Bonum cogno-

verimus, arcum et sagittas depromamus, et in affectus cum S. Stanislao amoris ferventes erumpamus. Deum nostrum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, et ex omnibus viribus diligamus. O summum et infinitum bonum, quid multum est, si te super omnia diligamus, cum tu sis infinite elevatus super omnia ? Et quid magnum est, si tibi reddamus totum summum et unicum amorem nostrum, siquidem hoc totum est exiguum, comparatione ejus amoris, quem tota tua bonitas summa et unica meretur.

II. Sagitta amoris Christi Eucharistici.

II. Altera sagitta, quam S. Stanislaus ex pharetra cordis sui deprompsit et evibravit, fuit sagitta amoris erga Christum Eucharisticum ; erga quem a puero, tenerrimo affectu ferebatur, et veluti in centrum suavissimae pietatis, devotionis et charitatis sagittas emittebat. Solent militiae tirones (quanquam et jaculandi optime periti) vel relaxationis animi, vel praemii gratia pro dexteritate in tangendis objectis acquirenda, scopum aliquem, quem centrum simul appellant, praefigere, scilicet in medio fuscae tabulae centrum album, hostiae non absimile ; huc omne studium conatumque impendunt, ut tangant. Christus Dominus noster, sapientia et bonitas infinita, in mysterio Eucharistico sub figura metae se nobis proposuit ; neque enim gratis dixit per Prophetam : *Posuit me tanquam signum ad sagittam* (Lam. 3, 12). Posuit eum Dominus tanquam signum et scopum, ut saluberrimis illum affectuum telis petamus. In Calvariae vertice propositus nobis fuit in figura doloris, *in signum cui contradicetur* (ex vaticinio S. Simeonis Lc. 2, 34), tanquam signum ad clavos et lanceam, id est, scissus, laceratus, punctus, contumeliis et injuriis appetitus fuit ; at in hoc amabili Sacramento positus est etiam quidem *tanquam signum*, sed *ad sagittam*, nimirum amoris.

Ad hoc signum sagittam dilectionis vibrabat S. Stanis-

laus ; illuc collimabant devotionis, desiderii et voti ejus affectus. Memorabile est, quod de illo refert P. Sacchinus in ejus vita p. 24. Mense Decembri paucis ante morbum diebus, in sanctae Barbarae vita, quam solemnia ejus celebraturus legebat, scriptum forte repererat, qui sese ei virgini commendarent, eam non passuram, ut sine supremis divinorum mysteriorum praesidiis e vita concederent. Quo loco haud paulo magis, quam si thesaurum invenisset amplissimum, laetus, tanti beneficii ut se quoque patrona sua facere participem vellet, precibus Sacramentisque poenitentiae atque Eucharistiae ad eam rem susceptis institerat. Hoc igitur in praesentia secum studiose reputans, caelesti plenus fiducia, in tanta sua necessitate ac solitudine ut memor sui sit, benignissimam martyrem rogat ; venisse illud tempus, quo praecipue ejus ope indigeret. Ecce autem (singulare donum, paucisque concessum) nocte intempesta, ipsa apparet S. Barbara duoque Angeli in claro lumine sacrosanctam afferentes hostiam, qui cum ad lectulum accessissent famelici aegri, reverenter ei porrexerunt ; atque ipse summa primo animi demissione veneratus, pari deinde cum gaudio Deum cordis sui, parentem et arbitrum vitae salutisque suae suscepit. Hactenus Sacchinus. Quas vero fidei, spei, charitatis, devotionis, adorationis, gratiarum actionis, laudis ac benedictionis sagittas in obtentum voti sui scopum ejaculatus fuerit, quis verbis expresserit ? Easdem deprompsit, dum postmodum supremum viaticum renidenti ad stuporem ore, et animi laetitia gestientis exultatione obtinuit ; easdem repetiit, cum S. Sacramentum pie invisens, precibus suis consodali tristitiae nebulas discussit : ut historia vitae ejus perhibet.

In hisce denuo sanctum adolescentem imitemur. Positus est quoque nobis in Eucharistia Christus Dominus, *tanquam signum ad sagittam*. Quare quivis nostrum cum Jonatha dicat (1 Reg. 20, 20) : *Et ego tres sagittas*

mittam juxta eam, et faciam quasi exercens me ad signum. Quas tres ? Fidei, spei, charitatis. *Ecce sagittae, intra te sunt,* eaeque variae, quas in eum, vel dum in tabernaculo latentem visitas, vel dum in synaxi sacra recipis, ejaculari poteris; stringe igitur arcum, sagittas deprome et evibra, jam religionis et devotionis, jam adorationis et cultus, jam petitionis et obsecrationis, jam querelae coram illo expositae, et propositi, jam resignationis et patientiae, sed ut plurimum tribus Jonathae sagittis utere, tribus inquam actibus theologicis, fide, spe et charitate: nullae enim magis acceptae, nullae magis ad cor penetrant. Atque ita, a nostri amantissimo Redemptore animae majorem puritatem, virtutum robur, charitatis et omnigenae perfectionis incrementum reportabimus.

III. Sagitta amoris B. V.

III. Tertia Sancti Stanislai sagitta fuit charitatis tenerrimae erga Beatissimam Virginem Deiparam, quae ab ipso in eam dirigebatur tanquam in scopum, non ultimum, sed intermedium, ut eo mediante geminos priores scopos attingeret facilius. Erat autem affectus et charitas ejus omnino filialis, tanquam filii erga matrem caelestem. S. Stanislaus, ut scribit Sacchinus in vita, filii amorem usque adeo erga B. Virginem induerat, ut eam in omni sermone Matrem appellare consueverit, idque tanto cum sensu et ingenuitate, ut audientibus partem suae suavitatis aspergeret ; cumque frequentissime de ea loqueretur, nova semper et magnificentissima nomina excogitabat, et gradus altissimos, in quibus eam collocabat; identidem in manibus ejus videre erat aut corona precatoria, et pius libellus precationes vel laudes parentis sanctissimae continens, quibus satiari haud posse videbatur.

Tenerrimo huic filiali amori vicissim Beatissima Virgo amore materno respondit et singularibus beneficiis eum affecit; dum aegrotanti apparuit ac se videndam exhibuit, Christum Filium suum in lecto ejus collocavit, sanitatem

ei restituit, atque ut Societatem Jesu ingrederetur diserte monuit.

Discamus, charissimi, hujus beati adolescentis exemplo sagittas filialis amoris in amantissimum Deiparae cor ejaculari, discamus filiali tenerrimoque eam amore complecti; ipsa est non solum Mater Jesu dilectissimi fratris nostri, verum etiam Mater nostra dulcissima; nam et nobis in Joanne Apostolo dictum est: *Ecce mater tua*, mater misericordiae, mater pulchrae dilectionis, mater viventium, mater totius generis humani. Nam ut ait sanctus Antoninus p. 4, tit. 15, c. 20: *Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratia spirituale, in cruce patiendo; ita Beata Virgo nos genuit et peperit, in maximis doloribus, filio compatiendo.* Sicut pia mater abscondit filium sub pallio, quando pater vult eum verberare; ita B. Virgo confugientes ad se, Christi justitiam formidantes, abscondit, defendit ac protegit: ut ait Richardus L. 12, de laud. Virg. *Sicut Mater generis nostri*, ut docet Sanctus Augustinus serm. de Annunt. B. V. n. 2 [inter non genuin. serm. 194, ML. 39, 2105] *poenam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo; auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit; illa percussit, ista sanavit.*

Quidni igitur tam benignam Matrem filiali amore complectamur, crebroque sagittas orationis, precumque jaculatoriarum ex amore profectas ad eam ceu metam dirigamus; eandem omni cultu, devotione et veneratione prosequamur; sic illa vicissim se matrem erga nos monstrabit, nos tanquam filios Dei adoptivos fovebit, suis precibus ac meritis in hac adoptione seu gratia divina conservabit, et haereditatem caelestem, tanquam mater optima, nobis relinquet.

Quae cum ita sint, dilectissimi, quodsi cum innumeris a centro seu scopo nobis praefixo aberrare nolimus, instar

Jonathae, cum S. Stanislao tres aureas amoris sagittas ejaculemur, et quidem 1) sagittam charitatis in Deum; atque ut ea ex arcu cordis non remisso, sed intenso procedat, saepe Dei magnalia, attributa ac perfectiones animo volvamus, saepe infinitam ac summam ejus potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, beneficentiam, sanctitatem etc. in meditationibus et considerationibus nos perpendamus; ita velut ex luce calor, ex cognitione amor, ex amore ignis, ex igne scintillae et flammae, igneaeque sagittae dilectionis in Deum velut centrum nostrum ascendent. 2) Cum S. Stanislao sagittam auream amoris in Christum Eucharisticum, tanquam in scopum candidum evibremus, sive sacram synaxin frequentemus, sive ab ea redeamus, sive interdiu Dominum Deum nostrum in Sacramento absconditum pie invisamus: et jam sagittam adorationis, jam petitionis, jam salutationis, jam laudis et benedictionis, sed potissimum fidei, spei et charitatis tela jaciamus, et in omni adversitate remedium, in omni defectu auxilium, et in in triplici perfectionis via progressum impetrabimus. 3) Sagittam cum S. Stanislao amoris erga Beatissimam Virginem mittamus, atque ita ipsa mediante duplicem priorem scopum facilius attingemus; diligamus eam ceu filii Matrem: quod si fecerimus, illa adoptione, dilectione, protectione et haereditatis donatione veram se nobis matrem luculenter demonstrabit.

EXHORTATIO I

PRO FESTO SS. TRIUM MARTYRUM JAPONIAE

PAULI, JOANNIS, ET JACOBI

De praestantia martyrii cruenti.

THEMA : *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. 6, 14).

Ecclesiae christianae nihil tantum gloriae et incrementi attulit, quam persecutorum tyrannorumque immanitas ac perpetua insectatio, qua seipsa auctior fortiorque evasit, sic ut merito sanguis martyrum crederetur semen Christianorum. In eandem sortem et gloriam admissa est minima Jesu Societas ; quae ne vana solum ostentatione Jesu nomen circumferret, facta est non solum nominis, sed etiam crucis ac passionis Jesu Societas. Frusta enim glorioso insigniretur nomine, nisi et omine gauderet et iisdem cum Salvatore insignibus indueretur. *Absit enim* a Socio Jesu *gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Cum quo *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus* inveniri debet *frequenter.* (Cfr. 2 Cor. 11, 23). *Non est scilicet servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Joan. 15, 20).

Hujus gloriae et felicitatis participes evasere tres et Societate Jesu Japoniae martyres, quibus solis ex omnibus suis martyribus ex auctoritate Romanae Ecclesiae trisagium hactenus accinere Societas potest (1),

(1) Inter Sanctos sollemni canonicatione relatos quidem martyres Societas Jesu non numerat nisi hos tres, multos tamen Apostolicae Sedis judicio inter Beatos collocatos et altaris honore insignitos. Inter quos recensere licet magnum numerum eorum qui post dictos tres martyres in persecutione Japonica pro fide catholica occici sunt, complures martyres Anglos pro primatu

dicereque: Sanctus Paulus, Sanctus Joannes, Sanctus Jacobus. Ibi primi e Japonia martyrii palma donati, quam maximo in pretio habuerunt omnibusque mundi thesauris praetulerunt. Cum vero Sanctus Paulus noster comprehensus, vinctus et in carcerem conjectus, (ut in vita legitur apud Tannerum pag. 261). qua praestabat dicendi facultate, ad custodes suos aliosque ethnicos incarceratos prolixam habuerit orationem de fidei mysteriis, de Domini cruciatibus, ac de martyrii excellentia, admirantibus qui aderant dicentis incredibilem ardorem robustamque charitatem, quorum duobus carcere detentis eam veritatis lucem affudit, ut pollicerentur, simul ac vinculis expediti forent, baptismum se suscepturos. Et nos, ejus exemplo et imitatione, in praesenti exhortatione de excellentia martyrii cruenti tractabimus, ut ejusdem desiderio inflammemur.

I. Desiderium martyrii in Sanctis.

I. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* (Gal. 6, 14). *Poterat,* (ait S. Augustinus serm. 11, de verbis Apostol. ord. nov. serm. 160 n. 4 ML. 38, 875) *Apostolus gloriari in sapientia Domini nostri Jesu Christi....: et verum diceret....; sed dixit: in cruce. Ubi mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit... Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo. Ubi humilitas, ibi majestas; ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita: Si vis ad illa venire, noli ista contemnere... Noli erubescere de cruce Christi: ideo in fronte tanquam in sede pudoris signum ipsum accepisti.* Hactenus Augustinus.

Pari modo alii Apostoli, primi christiani, et sancti

Romani Pontificis asserendo trucidatos, 40 martyres in itinere Brasiliano pro catholica fide a Calvinianis interemtos, martyres qui in Indiis orientalibus pro Christo mortem subierant, alios quibus schimatici propter catholicam fidem propagatam necem intulerunt.

martyres in cruce gloriam suam collocarunt, et in ea thesaurum maximum repositum habuerunt ; ideoque ad illam tanto ardore anhelabant et suspirabant. Sanctus Andreas Apostolus in locum martyrii adductus (ut de eo testati sunt presbyteri et diaconi Achaiae, et in Horis canonicis legimus) cum crucem vidisset a longe, exclamare coepit : *O bona crux, quae decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quaesita, et aliquando cupienti animo praeparata, accipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit:* itaque cruci affixus est. Pari affectu in martyrium ferebatur S. Ignatius Martyr, ut de eo perhibet Sanctus Hieronymus in Lib. de Scriptoribus eccles. seu de Viris illustr. c. 16 (ML. 23, 635), nimirum exclamasse illum: *Utinam fruar bestiis, quae mihi sunt praeparatae, quas et oro mihi veloces esse ad interitum, et alliciam eos ad comedendum me, ne, sicut aliorum Martyrum, non audeant corpus meum attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer. Ignoscite mihi filioli; quid mihi prosit, ego scio.* Magnum utique hi similesque viri sancti in cruce et martyrio thesaurum reconditum esse agnoverunt.

Quemadmodum in primaevae Ecclesiae athletis singularis eluxit martyrii cupido, ita nec defuit recentioribus Japoniae martyribus ardens sanguinis pro Christo fundendi desiderium. Nam ut recenset Tannerus p. 261, simul atque ad carcerem revecti sunt, Paulus Miki noster Franciscanos Patres arcte reverenterque complexus, illis impense gratias egit, quorum sub umbra tam grandis et tam diu desiderati a Deo beneficii compos evaderet. Satellites aurigaeque qui aderant spectaculo, attoniti: *Quid hoc est hominum,* ajebant, *prorsus insuetum atque mirabile, in suis malis atque opprobriis juxta ac secundis in rebus exultantium?* Postmodum rursum Paulus noster,

vir 33 annorum, quorum undecim puer domi, undecim in Societatis institutione, reliquos undecim in ipsa Societate transegit, jam in cruce pendens, ex ea velut e cathedra ad suos populares convertit sermonem: Japonia, inquit, mihi patria est, Societatem Jesu jam olim complexus, en agor in crucem idcirco, quia Christi doctrinam evulgavi. O factum bene! Deo meo gratias ago ob hoc beneficium; necis auctoribus perlibenter condono, et iis vitam divinae gratiae per salutarem baptismum exopto. Alter e Societate martyr Joannes de Goto, undeviginti annos natus, qui catechistam templi nostri praeclare diu egit, potuisset facile se tempestati subducere, sed maluit fortunam Societatis, quam habebat in votis jam pridem, praesertim tam pulchram experiri. Quo die ad supremum supplicium, contumeliamque in propatulo subeundam Ozaca discessit, flexis humi genibus Deo gratias pro beneficio habuit. Inde quam laeto, quam hilari ore atque animo scenam feralem peregerit, permirum est; votis Societatis Patris Vice-Provincialis concessu coram P. Francisco Pasio nuncupatis, tanquam novo quodam imbutus spiritu ad crucem alacer adspiravit. Eam ut conspexit, pronus salutavit, ac pronuntiatis sospitalibus Jesu et Mariae nominibus, gemina transfixus lancea, ad destinatam in caelo gloriam coronatus abscessit. Tertius e Societate martyr, Jacobus Kisai, domi nostrae diu janitorem egit, et rem familiarem curavit. Ozacae domo custodiis circumsepta, suo in tabulas relato nomine, Societatem quoque ipse a P. Organtino postulavit et obtinuit. Educendus Meacum, Deo pro beneficio publicae contumeliae de genibus gratias egit, cruciatus autem illatos et opprobria excepit animo non solum aequo, sed hilari et festivo. Demum acceptis hasta vulneribus, pronuntians sacra Jesu et Mariae nomina, victor in caelum palma insignis immigravit, sexagenario major. O generosos athletarum christianorum animos! o gratiam sin-

gularem, tam mirifice pugiles Christi roborantem et animantem! O fidem magnam! O charitatem ardentem, de omnibus suppliciis et morte ipsa gloriose triumphantem! Sed quid perspexere heroes isti in martyrio, quod lucrum, quem thesaurum, quam gratiam gloriamve, a quibus tanto ardore succenderentur?

II. Prim causa desider praesta tia ma tyrii.

II. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,* l. c. Sed curnam? Quia summa omnium gratiarum, quae in hac vita homini ab infinita Dei liberalitate concedi potest, est gratia martyrii, qua quis vitam et sanguinem pro Jesu Christo Domino nostro profundit? Probant hoc tanquam certissimum divina oracula, testantur sacrarum literarum monumenta, comprobant SS. Patrum volumina. Et quidem inter hos sanctus Augustinus asserere haud dubitavit: Nihil pretiosius quam mori pro Christo: Gratia haec excedit gratias Apostolorum, Doctorum et Evangelistarum, ut ait D. Chrysostomus: Illustrius est pati pro Christo, quam sive Apostolum sive Evangelistam esse. Non est inferior haec dignitas et excellentia, ipsa Beatorum in caelis gloria: resumit idem Augustinus: Unde dilatio gloriae in Enoch et Elia compensabitur tolerando Martyrium. Imo ex mente S. Chrysostomi gloriam illam quodammodo superare videtur: *Potius mihi est,* inquit, *male affici pro Christo, quam honorari pro Christo: non ideo bonum est pro Christo ligari, quod inde regnum caelorum accipitur; sed ideo bonum, quod pro Christo fiat: non ideo beata praedico vincula, quod caelum destinent ligatum; sed quod pro caeli Domino ferantur.* [Cf. haec ipsa, at longe fusius tractata in praeclara Hom. 8 in ep. ad Eph. n. 1-3, MG. 62, 55 sqq.].

Quonam vero ex fonte tantam hujus actus excellentiam desumemus, aut quamnam illius praestantiae ac nobilitatis causam esse arbitrabimus? Doctor Angelicus 2, 2, q. 124, a. 3, perspicuam allegat rationem. Quoniam *est*

actus maximae perfectionis: Cur autem? *quia est maximae charitatis.* Secundum illud S. Evangelistae Joan. 15, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quae enim major potest esse dilectio, quam pro Christo propriam contemnere vitam, omnibus mundi longe praestantiorem, quam maximo amore complectimur, et eligere mortem violentam et probrosam, quam odio maximo prosequimur? Atque id ipsum basi est ac fundamentum, cui innititur admirandum martyrii privilegium, quod ex opere operato, ut theologi loquuntur, totam peccati culpam poenamque remittat, non secus at baptismus. Si quidem ea est nobilitas et eminentia illius actus, quo quis Christo vitam et sanguinem fundit, ut in virtute illius praeter omne meritum personae operantis (tametsi in statu peccati sit constituta, modo tamen ad illud affectum non habeat, illudque detestetur, et incipiat diligere Deum tanquam fontem omnis justitiae) in ipso actu passionis, in ipsa morte, in fieri, ut loquuntur theologi, non in facto esse, Deus ipsi conferat gratiam, charitatem, et remissionem peccatorum, et poenae aeternae et temporalis: S. Thomas in 4 Dist. 4 qu. 3, a. 3 ad q. 3. O stupendum privilegium! o gratia aliis longe anteponenda! Ratio autem hujus insignis privilegii, ait *S. Augustinus* de civit. Dei l. 13, c. 7, est promissio Christi: qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto,* dixit etiam: *Qui confitetur me coram hominibus, confitebor et ego eum,* et declarabo eum haeredem gloriae meae. (V. ML. 41, 381). Nam si baptismus hanc virtutem continet, eo quod quaedam Christi mortis et passionis sit repraesentatio, multo magis ejusmodi vim habebit martyrium, cum repraesentatio baptismi sit solum mystica et sacramentalis, martyrii vero realis.

O si ad summam hanc gratiam nos disponere possemus, ut ea digni redderemur! o si pro Christo, nostri causa

mortuo, vitam nostram immolare liceret, quo veluti renati sanguinis baptismo, omni culpa et poena liberati, ex mundi hujus exilio in patriam caelestem evolaremus, martyrii corona aeternum coronandi!

III. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Actus martyrii, quo quis corporalibus suis passionibus testimonium perhibet veritati non cuicunque, sed quae secundum pietatem est, quae per Christum nobis innotuit, adeoque evadit martyr Christi, id est testis Christi, praeter antedictum privilegium plures alias praerogativas complectitur; quas enumerat D. Thomas, 2. 2. q. 124. a. 1 sqq. III. Secun causa d siderii, praerog tiva m tyrii.

1ª Martyrii praerogativa est donum vivae cujusdam fidei, per quam visibilia omnia prae invisibilibus martyri contemnenda proponuntur, ut dicitur Hebr. 11, 33. *(Sancti) per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Ad martyrium enim pertinet, ut ait S. Thomas l. c., ut homo testificetur fidem, scilicet opere ostendens se omnia praesentia contemnere, ut ad futura et invisibilia bona perveniat.

2ª Martyrii praerogativa est donum fortitudinis insignis, qua animus martyris confirmatur in bono virtutis, fidei et justitiae, dum eam non deserit propter imminentia pericula mortis, quae a persecutoribus imminent. Unde S. Cyprianus ad martyres scribit Ep. 8 (ML. 4, 246): *Vidit admirans praesentium multitudo caeleste certamen, certamen Dei, certamen spirituale, praelium Christi, stetisse servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina:* ac proptera de martyribus legitur: fortes facti sunt in bello. Ita d. Thom. l. c.

3ª Martyrii praerogativa est donum sublimis obedientiae et patientiae, dum ita obedit praecepto divino, ut mortem subire malit, quam Dei legem praevaricari; patientiam vero exercet sustinendo gravissima tormenta, opprobria et mortem pro Christo: *Lapidati sunt, secti*

sunt, in occisione gladii mortui, insuper experti et vincula et carceres.

4ª Martyrii praerogativa est donum eximiae charitatis. Licet enim actus martyrii sit elicitive a fortitudine, imperative tamen est a charittate ; ac proinde semper martyrium est cum charitate vel antecedente vel consequente, et aut est ex charitate aut ad charitatem. Hinc S. Maximus in quodam sermone ait : *Charitas Christi in martyribus vincit.* Sine charitate etiam martyrium nihil valet secundum illud S. Pauli (1 Cor. 13, 3) : *Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam ; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

5ª Martyrii praerogativa est donum maximae perfectionis, non in quantum elicitur a fortitudine, sed in quantum imperatur et procedit a charitate, et habet motivum primum charitatis. *Charitas enim est vinculum perfectionis* (Coloss. 3, 14). Martyrium autem inter omnes actus virtuosos maxime demonstrat perfectionem charitatis, quia tanto magis ostenditur aliquis rem quampiam amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, et rem magis odiosam pati eligit. Manifestum est autem, quod inter omnia bona praesentis vitae homo maxime amat ipsam vitam, et ex adverso maxime odit ipsam mortem et praecipue cum doloribus corporalium tormentorum (D. Th. l. c.). Quare mediante illo actu quo quis acceptat et patitur mortem pro Christo, qualiscunque sit etiam peccator et quantumvis imperfectus, subito evadit perfectus, ut docet S. Augustinus.

Quamobrem, charissimi, intueamur crebro tres nostros athletas generosissimos, Japoniae martyres ; consideremus saepius eorum alacritatem ad mortem obeundam pro Christo, quemadmodum et S. Pauli dicentis : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi ;* et S. Andreae crucem tam suaviter salutantis et amplexantis ; et S. Ignatii M. leonum dentibus commoli

desiderantis ; et excitemus nos ad sequelam, ad fortitudinem, patientiam, charitatem. Quo vero amplius excitemur et animemur, saepenumero meditemur et ruminemus ea motiva, quae calcaria votis et desideriis nostris valent addere. Martyrium est summa omnium gratiarum, quae in hac vita a liberali Numinis manu nobis queant conferri ; excedit gratiam Apostolorum, Doctorum et Evangelistarum ; accedit ad gloriam Beatorum ; est actus maximae perfectionis, instar Baptismi omnem peccatorum culpam et poenam abolet ; complectitur in se sublimissima et excellentissima dona fidei, fortitudinis, obedientiae, patientiae et charitatis. Hoc itaque saepe desideremus, saepe a Deo flagitemus, ad illud nos eximio virtutum studio praeparemus : ita aeternam consequemur beatitudinem essentialem et, si Deo placuerit, aureolam martyrum seu gloriam accidentalem, aureola Virginum et Doctorum ob pugnam luctamque majorem longe excellentiorem ; per totam aeternitatem saltem gaudebimus nos in Christi obsequium morte lenta licet incruenta consumptos, conformando nos Agno occiso ab origine mundi palmamque semper virentem, nunquam marcescentem reportabimus.

EXHORTATIO II

PRO FESTO BB. TRIUM MARTYRUM JAPONIAE

De martyrio incruento.

THEMA : *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armanimi* (1 Petri 4, 1).

Duo martyrii genera distinguere solent sacri Doctores, S. Augustinus, S. Gregorius, S. Hieronymus, S. Bernardus et alii ; unum nuncupant cruentum, alterum incruentum ; sive unum sanguinis, alterum sine

sanguine ; unum mortis, alterum patientiae ; unum est passio consummata, ultra quam nulla, alterum passio inchoata, ultra quam alia. In utroque offerendus est Dei famulus tanquam hostia grata Domino in odorem suavitatis ; et ubi mortis deficit martyrium, supplendum est per martyrium patientiae, quod tametsi excedatur intensione, excedit tamen diuturnitate, ut docet D. Thomas. *Etenim non tantum occasu, sed etiam contemptu carnis ad palmam martyrii possumus pervenire,* ait S. Augustinus serm. 46. de Sanctis [videtur esse *Caesarii ;* cf. ML. 39, 2159 inter serm. spur. 224]. *Non solum eventu, sed etiam proposito,* inquit id confirmans S. Chrysostomus in Psal. 91 [op. spurio]. *Non solum perdendo vitam, sed etiam affligendo carnem,* subjungit S. Bernardus serm. in Cant. (cf. serm. 30 n. 11. ML. 183, 939). In utroque praemium suum consequetur Christi martyr. Et sane plerique martyres prius fere incruentum sustinuere martyrium, quam cruentum, scilicet tolerando persecutiones, afflictiones, carceres, tormenta, aut in religione vel apostolico munere labores, sudores, fatigationes, mortificationes. Idem evenit nostris tribus Japoniae martyribus. Nam S. Paulus Miki Societatis nostrae scholasticus, exarsit studio propagandae religionis, disputationes instituit cum Bonziis, exhortationes et conciones ferventes ad populares suos habuit ; quae ad convellendas Japoniae superstitiones aliis usui esse possent, scripto vulgavit. S. Joannes de Goto nostris Patribus ad servitia templi traditus fuit et catechistam egit. S. Jacobus Kisai rem familiarem Patrum nostrorum curavit, janitoris officium sustinuit, officiosa charitate et humilitate egregia praeditus, et passionis Dominicae meditationibus unice addictus, hisce virtutibus ad martyrii palmam rite se disposuit.

Quod si igitur nos martyrii cruenti gratiam excellentissimam cum tribus hisce martyribus obtinere nequea-

mus, saltem martyrium incruentum non solum patienti, sed et libenti animo quotidie subeamus. Qua vero ratione, aut methodo id in praxin redigendum sit, quibusve in rebus, hac exhortatione declarabimus.

I. Ipse status religiosus est martyrium incruentum. I. Marty rium Re ligionis. *Monasterium*, inquit S. Chrysostomus hom. 59. ad pop., *est lugendi domus*. S. Thomae Aquinati *est status poenitentiae*. (In Opusc. 18). S. Basilii in Constit Mon. vita Religiosorum est *crucigera* (cf. c. 20 n. 4 MG. 31, 1394), juxta illud Christi Lucae 14: *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. S. Augustinus* in Ps. 83 n. 1 (ML. 37, 1056), inquit: *Quoniam dictum est: Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem; accedens quisque ad servitutem Dei ad torcularia se venisse cognoscat; contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc saeculo pereat, sed ut in apothecas Dei defluat:* tanquam vinum laetificans cor Dei ex uva in torculari tribulationum expressum. Quocirca S. Pachomius, ut habet ejus vita, cuidam monacho volenti claustra egredi ad captandum martyrium: *Frater*, inquit, *monachi certamen fortiter et strenue sustine; et cum vitam tuam nulli reprehensioni affinem gesseris, ut Christo placeas, habebis in caelo communicationem martyrii.* Et S. Cyprianus vel quisquis est auctor (1), de duplici martyrio, passionis scilicet et actionis, puta, sanctae vitae (hoc enim testimonium perhibemus Deo, illumque glorificamus aeque ac illâ) *Conemur*, inquit, *ut tota vita martyrium, hoc est, testimonium reddat Deo; quod adeo negligendum non est, ut nisi ea praecesserit, martyrium, quod sanguine perhibetur, non sit martyrium. Frustra enim cervicem praebueris carnifici, nisi prius occideris membra quae*

(1) Certe non est S. Cypriani opus.

sunt super terram, hoc est affectus qui militant adversus spiritum, odium, invidiam, avaritiam, libidinem etc. (ML. 4, 894). Videtis, charissimi, non deesse vobis arenam certaminis, campum pugnae, occasionemque quotidianam incruenti martyrii. Quisquis igitur cupit esse martyr incruentus, persistat cum sanctis in arena, pugnet et bellum gerat contra vitia, passiones et seipsum ; et coronam legitime certanti promissam certo obtinebit : qui enim cum Deo et sanctis ejus fidelis descendit in in arenam, cum eis pariter ad palmam gloriosam ascendet in caelum.

II. Martyrium paupertatis, castitatis et obedientiae.

II. Paupertas, castitas et obedientia est incruentum martyrium. De paupertate testimonium dat S. Bernardus serm. 1. de festo om. Sanct. n. 15 (ML. 183, 462) *Vere martyrii genus est paupertas voluntaria ;* (multo magis castitas et obedientia)... *Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas erurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus ? An non merito coronabitur, qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et, quod gloriosius est, de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem ?* S. Angelus Martyr apparens S. M. Magdalenae de Pazzis dixit : *Anima, quae possidet paupertatem, usurpat sibi coronas martyrii.* 2. de castitate testimonium praebet idem S. Bernardus in sententiis [?] *Martyrium,* inquit, *sine sanguine triplex : Parcitas in ubertate, quod habuit David et Job ; largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua ; castitas in juventute, qua usus est Joseph in AEgypto.* Idem confirmat S. Augustinus serm. 250. de tempore (scil. inter spurios sermo 293 n. 3 ML. 39, 2302) : *Contra mortifera blandimenta* luctemur,... *scientes quod in malis omnibus, quae supra diximus, etiam quotidiana*

martyria christianis desse non possunt. S. Agnes asseruit S. Brigittae: *Martyrii genus est delicias habere et deliciis non uti.* L. 4. Revel. c. 7. 3. De obedientia Divina Scriptura testatur: *Melior est obedientia quam victimae* (1 Reg. 15, 22). Ut enim *S. Gregorius* docet Moral. l. 35 c. 14 n. 28 — al. c. 12 vel 10 — (M. L. 76, 765), *per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur*, et quodammodo martyrio afficitur. Quisquis igitur Superioris jussa varia et ardua strenue capessit et adimplet, martyr est obedientiae. Ita B. P. Petrus Faber, primus S. Ignatii fundatoris nostri socius, et ab eo per omnem vitam variis jussionibus mandatisque exercitus, ac tandem Romam revocatus, licet medici ob intensos calores iter dissuaderent, maluit obedire, quam vivere. Vitam ergo, quam in obedientia traduxerat, in obedientia posuit, ideoque inter alias in caelo laureas, hanc unam praecipuam obtinuit, quod sit hostia obedientiae. Post mortem enim apparens ipse cuidam personae sanctae, ostendit ei suam gloriam, cum laetissimus saepius diceret, se obedientiae nomine mortem oppetivisse, ideoque miris in caelo gaudiis perfrui. Ita in ejus vita l. 2, c. 28, narrat Nicolaus Orlandinus, id se accepisse ex literis R. P. Andreae Oviedo Patriarchae AEthiopiae, asseverans.

En quantum campum hic rursum cernimus obeundi indies quotidiana incruenta martyria? cum maxima spe ingentis in caelo gloriae et coronae. *Ceterum qui morigeretur serio, sub obedientia positus, non definito ullo tempore, quin perpetuo idem obtinet certamen. Quodnam? Nequaquam gerere se ex sua libidine, sed ducis regi deformatione; quod cum aliis cunctis studiis sublimius est, tum martyrii habet diadema.* S. Theod. Studita, serm. catech. 53 (MG. 99, 580), et serm. 93 (ib. 630): *Inhaerere frangendae voluntati martyrium est.*

III. Martyrium mortificationis.

III. Mortificatio et patientia in statu religioso incruen-

tum est martyrium. Dum scilicet Deum glorificamus, ac Christum Dominum nostrum imitamur in eo, ut omnes mortificationes, quas aut sponte eligimus, aut a Superioribus, aut ab aequalibus, aut ab externis, aut a Deo immissas subimus, patienti animo sustineamus. Hanc autem mortificationum tolerantiam martyrium esse ait S. Chrysostomus in psal. 127 n. 3 (MG. 55, 369) *Fer*, inquit, *forti et generoso animo quae accidunt ; hoc enim est tibi martyrium. — Quamvis occasio persecutionis desit*, inquit S. Gregorius hom. 3. in Evang. 3 (ML. 76, 1089), *habet tamen et pax nostra martyrium suum, quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.* Et S. Augustinus serm. 250. de temp. (ML. in app. serm. 293 ; 39, 2301) *Nemo dicat quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possint ; habet enim pax martyres suos. Nam... iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrii est. Non sine causa mortificatio martyrium dicitur*, ait S. Thomas, *quia similis est vero et proprio martyrio.* Quod S. Augustinus serm. 250, pulchra similitudine declarat. Etenim sicut in martyrio sanguinis, tormentis mediantibus, tyranni satagunt tollere fidem Christi, ita in martyrio incruento seu sine sanguine, diaboli conantur eripere ac penitus extinguere charitatem Christi. Sicut enim charitas, veritas, et justitia Christus est, sic et ille qui insidiatur, persecutor est, et ille, qui eam in se et in aliis custodire voluerit, martyr est.

Deinde quemadmodum in martyrio sanguinis, minatur tyrannus : abnega Christum et sacrifica idolo, aut morere, respondetque S. martyr : Non sacrifico nisi soli Deo, et hoc semper optavi, ut cedens temporali et misera vita perveniam ad sempiternam : simili modo in martyrio mortificationis tentat daemon per concupiscientiam :

sacrifica mammonae et eris dives, respondetque penitus tentatori : quid mihi et tibi est Belial ; ego Christi servus sum, nihil tuum quaero, nihil desidero.

Omni igitur tempore, ut patet, martyrium subire possumus, si forti ac constanti animo inimicorum nostrorum assultibus resistamus. *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur,* ait Apostolus 2 Tim. 3, 12, aut ab extra a tyrannis, ut explicat D. Thomas, aut ab intus per pugnam contra daemonem ; et si deest tyrannus, si tortor, si spoliator, non deerit concupiscentia, martyrii quotidiani materiam nobis exhibens.

Denique, si mors aureola caput martyris coronat, non deest quoque mortificationi sua corona : *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit,* teste Apostolo ; si quis autem legitime concupiscentiis suis repugnaverit, et contra internos hostes decertaverit, utique coronabitur, ideoque S. Bernardus eos, qui nos mortifiant, affligunt, vexant, persequuntur, aurifices nuncupat, eo quod aeterni regis coronas nobis fabricent. De sancta Lydwina virgine Schiedamensi in vita ejus legitur, quod in mentis excessu coronam pretiosissimam conspexerit, nondum tamen in orbem perfecte absolutam ; demum post aliquot mortificationes, generoso animo toleratas, Angelus se conspiciendum obtulit, dicens : Salve, charissima soror ; ecce nunc absoluta est corona, persecutiones patienter toleratae gemmae fuere, quas in corona illa adesse vidisti et deesse.

Quantum hic rursum panditur nobis stadium currendi in dies ad martyrii bravium, jam mortificationis, jam humiliationis, jam patientiae gladio tolerandum ! pugnemus strenue, vincamus generose, et quot victorias reportabimus, tot gemmas nobilissimas diademati gloriae aeternae inseremus. *Mortifica ergo corpus tuum, et crucifige : accipies et tu martyrii hujus coronam.* S. Chrys. hom. in c. 6. ad Hebr.

IV. Martyrium operum misericordiae.

IV. Charitas et misericordia, quae sive a sacerdotibus, morbis, febribus petigialibus, aut lue pestifera infectis, sacramenta ministrantibus, sive ab aliis non sacerdotibus iisdem servientibus exhibetur, incruenti martyrii coronam offert. Quot ejusmodi athletas P. Alegambe, quot Tannerus e Societate recenset? Qui pestiferis aliisque morbis contagiosis servientes tanquam ad martyrii lauream proxime accedentes depraedicant; nec immerito, cum ex charitatis motivo in mortem quodammodo certam vadant. Quid quod et Ecclesia ipsa, hujusmodi, qui ex charitate morbo ministrant et eodem afflati mortis victimae cadunt, martyribus annumerat. Exemplum illustre est in martyrologio Romano die 18 Februarii, ubi sic legimus: *Alexandriae commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, et aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani imperatoris, cum pestis saevissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem oppetiere; quos velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* Ubi Baronius ex Eusebio L. 7. Histor. c. 16 et seq. citat S. Dionysium Alexandrinum Episcopum Epist. ad Hieracem de eisdem sic loquentem: *Ex Patribus, qui virtute erant praestantissimi, in hunc modum mortem oppetierunt, quorum nonnulli erant presbyteri, alii diaconi, quidam e populo, virtutis ergo multum laudati; adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem et robustam fidem suscipiebatur, nihil a martyrii splendore abesse videretur.*

Hic igitur rursus arena et palaestra reseratur, in qua non solum sacerdotes sed et scholastici et fratres atque novitii decertare et incruenti martyrii palmam reportare valeant.

Quapropter, dilectissimi, felices nos existimemus, quod in religiosum statum adlecti simus, in quo, si digni non simus martyrii cruenti coronam obtinere, saltem martyrii incruenti laudem referendi campum amplissimum

nacti sumus. Aperit illum nobis ipse status religiosus et Societas nostra, in qua illud nancisci valemus: 1) poenitentiam agendo, mundo moriendo, atque ita Deum confitendo, ac testimonium reddendo; 2) paupertatem, castitatem et obedientiam profitendo; 3) mortificationem, depressionem, patientiam libenti animo tolerando; 4) infirmis morbo contagioso afflatis ex charitate ministrando.

In his stadiis pugnemus fortiter et toleremus 1. patienter: patientia nos firmet, et quodammodo insuperabiles reddat, instar scopuli, qui ab undis tundi potest, frangi non potest, ut ait S. Hieronymus; simus fortes instar adamantis, nec ferro, nec igni cedentis; instar petrae durissimae, in quam sagitta non infigitur, sed resilit, exemplo Christi, exemplo trium martyrum nostrorum Japanicorum aliorumque innumerorum animati.

2. Libenter, et quasi insatiabiliter desiderando plura amore Domini Jesu pati, imo mortem ipsam obire. Hoc erat desiderium S. Francisci Xaverii, constituti in tribulationibus, et eructantis: *amplius, amplius*, usque ad mortem. Didicerat hoc a Patre suo Ignatio dicente: *plura et majora pati pro Christo et hoc semper orate.* Hac praxi utebatur S. Paulus, qui semetipsum (ut refert S. Chrysostomus de laud. Pauli) Deo per singulos dies immolabat; quam hostiam dupliciter offerebat, cum quotidie moriens ad pericula se jugiter praeparabat, *consummans voluntate martyrium*, tum corpore suo mortificationem sine intermissione circumferens.

Imitemur, charissimi, hos pugiles et heroes; nemo hic se potest excusare; nemo oggerere: felicia ista martyrii tempora jam transierunt, desierunt persecutores, transiit Nero, Decius, Diocletianus. Nam hostis nulli nostrum deest; persecutor jugiter nos infestat, nunc daemon, nunc mundus, nunc caro; cum his acriter confligamus et martyres erimus. Si caro, si peccandi occasio ad obscoena sollicitet, repudiemus, et cum Joseph castissimo fugia-

mus, et martyres erimus pudicitiae; si bonorum rapinas, fraudes, injurias patienter sustinuerimus, martyres erimus patientiae; si contemptum, depressionem, opprobria hilariter tulerimus, martyres erimus humilitatis; si superiorum jussa difficilia executi fuerimus, martyres erimus obedientiae. Agamus igitur ut quotidianas hasce martyrii palmas non negligamus, sed patienti ac libenti animo arripiamus, et martyribus, si non cruentis, certe incruentis in caelesti gloria accensíbimur.

EXHORTATIO I

IN FESTIS NATALITIIS

DE RENOVATIONE VOTORUM

Christus natus velut exemplar paupertatis, castitatis et obedientiae proponitur.

THEMA : *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri..., erudiens nos, ut abnegantes... saecularia desideria* (Tit. 2, 11 sq).

Proposui exhortationibus Christum natum, tanquam exemplum humilitatis et simplicitatis; nunc, cum instet votorum renovatio, proponam illum tanquam Magistrum perfectissimae paupertatis, castitatis et obedientiae. Ideo enim de caelo descendit, ideo in carne apparuit, ut has aliasque virtutes exemplo suo nos edoceret. *Apparuit*, inquit Apostolus ad Titum c. 2. *gratia Dei Salvatoris nostri*, 1) B. Virgini et S. Josepho, 2) pastoribus, 3) tribus regibus, 4) *omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.* Apparuit ergo Salvator, ut doceret nos abnegare

saecularia desideria, id est, mundanas concupiscentias, cupiditates omnes carnis, opum, honoris, et gloriae, sive, ut ait S. Bernardus serm. II. inter parvos (ord. nov. 54 inter divers. ML. 183, 677), concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitae. Quanam vero ratione hoc melius praestamus, quam emittendo tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae. Nam per votum paupertatis abnegamus concupiscentiam oculorum, per votum castitatis concupiscentiam carnis, per votum obedientiae superbiam vitae; atque hac triplici abnegatione praemissa, sobrie, juxta Syrum caste, juxta Graecum pudice, juste et pie vivimus in hoc saeculo, scilicet, ut exponit S. Bernardus l. c. *Sobrie (et caste) erga nos, juste erga proximos, pie erga Deum,* et expectamus beatam spem, seu speratam beatitudinem, et adventum laetum gloriae magni Dei.

Quod ut melius exequamur, Christum natum, paupertatis, castitatis et obedientiae Magistrum ac speculum proponemus.

I. Christus natus Magister paupertatis.

I. Primo itaque loco caelestis hic Magister, tanquam primam lectionem proponit nobis discipulis suis paupertatem evangelicam. Haec virtus, licet ingentia contineat in se bona, antequam tamen Christus Dominus eam verbo et exemplo doceret et eveheret, mundo erat penitus incognita : neque homines ejus pulchritudinis, dignitatis et utilitatis notitam habebant : *Quid enim,* inquit S. Bernardus in festo Om. SS. serm. 1 n. 7 (ML. 183, 456), *tam erat absconditum, quam paupertatem esse beatam ?* Et quia homines excellentiam paupertatis non cognoscebant, eam nec amabant, nec voluntarie exercebant, quin potius fugiebant, oderant et persequebantur. Omnes enim homines sectabantur avaritiam et quaerebant opes et bona terrena, ut prophetae passim lamentantur (Is. 56, 11) : *Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novis-*

simum, et Jeremias (c. 6, 13) : *Omnes*, ait, *avaritiae student*, et c. 8, 10: *Omnes avaritiam sequuntur*. Et quia ex avaritia omnis generis scelera nascuntur, quia *radix omnium malorum est cupiditas* (1 Tim. 6, 10), *avaro nihil est scelestius* (Eccli. 10, 9).

Videns ergo Dominus, ante adventum suum propter ignorantiam rei tam utilis et propter amorem divitiarum abundare mundi malitiam, omnesque homines tanquam profundum omnis generis peccatorum pelagus effectos esse, decrevit e caelis in terras descendere, ut homines salvaret, e peccatis extraheret et caeli aditum eis reseraret.

Atque inter alia media, quibus ad hunc finem usus est, unum valde principale fuit, amplecti paupertatem, amare eam, summoque affectu ac rigore exercere eam. Ita S. Bernardus serm. 1, de vigil. Nativ. n. 5 (ML. l. c. 89): *Divitiarum*, inquit, *et gloriae aeterna in caelis affluentia suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat et superabundabat haec species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua aestimatione faciat pretiosam.*

Hac de causa veniens in mundum, non dives, sed pauper esse elegit, et quidem valde pauper. S. Paulus hoc mysterium manifestans, ait 2 Cor. 8, 9: *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi :* altissimum illud donum ex ipsius gratiosissima et liberali voluntate, amore et misericordia profectum: *quoniam cum esset dives*, in majestate et magnitudine divinitatis suae, et in dominio absoluto, quod habet super omnes divitias bonaque temporalia et spiritualia caeli et terrae tanquam rerum omnium creator, *propter nos egenus factus est*, in hoc mundo, assumens nostram naturam, in eaque voluntarie magnam omnium rerum necessariarum penuriam patiens. Hanc paupertatem elegit, ut nos per eam divites

faceret veris divitiis et infiniti valoris, spiritualibus atque caelestibus, eas per paupertatis usum nobis promerendo. Declaramus nunc in specie exempla paupertatis, quae nobis Dei Filius in carne mortali dedit.

1. Homo futurus, ex omnibus totius mundi virginibus poterat ditissimam et reginarum omnium opulentissimam eligere, sed id noluit; verum admodum pauperem et viro pauperi desponsatam elegit, quae nihil aliud haberet, nisi quod hic manuum labore lucraretur. *Pauper fuit Mater,* ait S. Cyprianus serm. de Nativ. [op. certo spur.] *pauper Filius, domus paupercula, supellex exigua.*

2. Jam incarnatus, tam arctae paupertatem amplexus est, ut extreme mundum obstupefecerit, summaque admiratione Angelos caeli defixerit, totam cupiditatem filiorum Adam confuderit ac condemnarit, et omnem divitiarum deliciarumque terrae fraudem et vanitatem detexerit. Etenim supremus mundi Dominus, in ipso mundo nasci volens, non invenit locum ubi nasceretur in tota civitate Bethlehem, nec in privata alicujus civis domo, nec in ullo publico diversorio; sed deficiente alio hospitio, natus est in spelunca, sive porticu, quae vicina erat moenibus civitatis, serviebatque brutis stabulantibus, vel si quis forte pauper viator a pluvia et frigore se tueri vellet.

3. Postquam in loco tam vili, tam paupere et ventis pervio natus est, non alias cunas, non alium lectum, in quo eum Virgo collocaret habuit, quam praesepe animalium, quod ibi erat. Nec ad eum vestiendum, ligandum defendendumque a frigore alia aulaea et peripetasmata serica, nec aliam culcitram plumeam habebat, quam pauperes quosdam panniculos, et foenum ac stramen quae in animalium usum illic erant. O stupenda mysteria! ille quem mundus universus non capit; cujus thronus caelum et terrae scabellum pedum ejus est; ille qui extendit orbes caelestes et stellis ornat, qui format cam-

pos et floribus vestit; ille qui dat soli lucem et lunae pulchritudinem : diversatur in vili stabulo, conclusus angustiis duri ac frigidi praesepis, involutus vilibus panniculis, et stramine foenoque tectus. Describit S. Cyprianus hanc pueri Jesu paupertatem serm. de Nativ. his verbis: *Nulla domus* (ubi Filius Dei in mundum nascitur) *ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in foeno, Filius in praesepio. Tale elegit mundi fabricator hospitium; hujusmodi habuit delicias sacrae Virginis puerperium.*

Atque ut dignum hujus mysterii sensum habeamus, considerare oportet, hanc infantis paupertatem non fuisse fortuitam, sed ab aeterno decretam in consilio Dei, ab ejusque infinita Bonitate ac Sapientia ordinatam consentanee fini, propter quem Christus in mundum venit, ut nimirum salvaret illum, et destrueret avaritiam, superbiam et voluptatem corporalem, quae eum in statu perditionis detinebat. Eaque de causa Angeli pastoribus in signum, unde ipsum agnoscerent, dederunt pauperes panniculos, quibus erat involutus, et vile praesepe, in quo erat reclinatus: ut constaret paupertatem voluntariam signum esse, ex quo hic Dominus cognoscendus esset Salvator mundi.

Atque haec est prima lectio, quam e praesepii cathedra nos docet Christus infans, perfectionis magister: paupertatem aestimare, divitias contemnere, incommoda et rerum etiam necessariarum defectum libenter sustinere, commoda et superflua devitare; quod si ab hoc magistro caelesti didicerimus, erimus veri ejus discipuli uniceque dilecti ejus socii.

II. Magister castitatis.

II. Altera lectio, quam infans Jesus docet nos, est castitas. Ante Christi Domini adventum grassabantur omnis generis scelera, castitati contraria, apud Judaeos aeque ac gentiles. Gentiles quidem tanquam heroica facinora falsorum deorum suorum Jovis, Veneris, Apol-

linis libidines proponebant et passim imitabantur, existimantes se hoc modo deos colere et rem gratam illis facere; Judaei quoque scatebant his sceleribus, ut ex prophetis colligimus (Os. 4, 2), *furtum et adulterium inundaverunt,* instar diluvii cujusdam, et (Jer. c. 23, 10) *adulteris repleta est terra;* et (ib. 9, 1): *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrimarum?... Derelinquam populum meum, et recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt, coetus praevaricatorum.* Imo virginitas, et si quis sterilis esset et absque haeredibus, erat ipsi opprobrium. Unde cum (Judic. c. 11, 30 sqq.) Jephthe vovisset immolare quod primum e domo sua occursurum esset, filiaque occurrisset ac immolanda duceretur, petiit: *Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam.* Haec virtus erat in exiguo honore, paucissimi castitatem virginalem servabant, ipsi etiam S. patriarchae et prophetae matrimonium inibant, et sterilitas magnum opprobrium reputabatur. Ad haec scelera carnalia passim grassabantur, non solum ante diluvium, quando omnis caro corruperat viam suam, et communi cataclysmo mundus ab his sordibus mundari debuit; verum etiam post, tempore prophetarum; unde propheta Oseas c. 4, 2: *Et furtum, et adulterium inundaverunt,* instar fluvii aggeres perrumpentis et omnia longe, lateque inundantis. Ut igitur Salvator mundi mundum salvaret et ab his sceleribus carnalibus purificaret, ipse exemplo praeivit, virginalem castitatem tanquam sponsam dilectissimam amplexus est: ut facilius mundum convertet, ostendendo se non quaerere delicias et voluptates carnales, sed gloriam Patris sui et salutem animarum, atque ita fidem inveniret apud homines, et obedientiam Evangelii sui illis persuaderet.

1. Amorem castitatis Redemptor noster ostendit, nosque exemplo docuit, cum nostra natura assumpta in mundum veniens, statum assumpsit perfectissimae casti-

tatis in supremo ejus gradu, qui est status purissimae virginitatis. Et hic status eum decebat, qui simul erat Deus et homo, qui ad emendandos sanguine suo homines ab omnibus peccatis, et ad eosdem donis suis sanctificandos atque ad danda omnium virtutum exempla veniebat. Hoc Spiritus Sanctus manifestavit S. Joanni Apostolo in quadam revelatione: dum Christum vidit *in medio septem candelabrorum aureorum praecinctum zona aurea* (cf. Apoc. 1, 13), quae ex mente S. Gregorii significat munditiam et castitatem cordis. Moral. l. 34, c. 15, al. 13, vel 8 (ML. 76, 733) habet haec: *Zonam vero auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere* (1).

2. Ostendit amorem castitatis ejusque exemplum dedit, dum nasciturus matrem elegit mundissimam et voto castitatis obstrictam, relinquens illam virginem, juxta Isaiae vaticinium, dicentis : *Ecce Virgo concipiet*, manens Virgo, *et pariet Filium*. Considerat hoc S. Augustinus serm. 17 de temp. n. 4 (nov. ord. serm. 125 in App. inter dub. vel spur. ML. 39, 1994) : *Dominus noster ideo per castae Virginis membra venit ad terras, ut ostenderet Deum castitatis esse auctorem*, eamque docere et in cordibus operari.

3. Ostendit amorem castitatis eamque docuit, dum S. Josephum elegit nutritium, et cui obediret tanquam parenti. Qui, ut scribit S. Hier. tom. 2, contra Helvid., castus fuit et perpetuam virginitatem coluit, ut decebat futurum Sanctissimae Virginis sponsum et socium et virginitatis ejus testem. Huic homini obedivit ac servivit mundi Redemptor, ab infantia usque ad vicinam triginta annis aetatem, cum eo amanter familiariterque conver-

(1) S. Gregorius M. haec scripsit ex ea opinione, quod Apc. 1, 13 agatur de visione *Angeli* in persona Christi loquentis.

satus est, ostendens per hoc, quantopere amaret et aestimaret castitatem. *Magna virginibus* dignitas est praerogativa, *quod Christus duobus virginibus, Matri scilicet suae et S. Josepho, factus est subditus.*

4. Quotquot ad se postmodum vocavit ut Apostolos, statim singularem castitatis amorem inspiravit, et cum Apostolorum aliqui uxores haberent, inspiravit illis, ut eas relinquerent ; et quia hoc citra uxorum consensum suaviter fieri non poterat, his quoque eundem continentiae amorem, propositum curamque illius servandae inspiravit. Et quia inter illos S. Joannes non solum castitatem, verum etiam virginitatem servavit, singulariter a Christo dilectus fuit, ut seipsum nominet : *Discipulus quem diligebat Jesus.* Et hac de causa cum Dominus penderet in cruce, et suam benedictam Matrem, tanquam Virginem virgini unice commendavit. Quae inspiratio adeo fuit efficax, ut exacte servarint castitatem ; legitur enim de Apostolis, quod ambitione, ira, zelo vindictae laborarint, in materia castitatis nullus de eis defectus vel minimus uspiam legitur.

Discamus igitur et hanc secundam lectionem a Christo, ut castitatem amore singulari prosequamur, et tanquam Societatis Jesu pupillam, illaesam conservemus. *Portemus ergo et nos*, ait S. August. serm. 17, de temp. l. c. *Dominum casto corpore, quem Virginis casta membra portaverunt. Christus enim magister est castitatis ; et ideo qui castitatem non habet, Christum portare non potest.*

III. Tertia lectio, quam Christus natus Magister optimus nobis proponit, est obedientiae. Cumque non solum Adam primus parens noster peccasset inobedientia, verum etiam ante Christi adventum omnia scelera et mandatorum divinorum transgressiones invaluissent, totusque mundus in maligno positus esset : tunc venit Dei Filius implevitque illud ad Hebr. 10, 7 : *In capite*

III. Magister obedientiae.

libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam... Tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Ecce venio in stabulum ; ecce venio ad circumcisionem ; ecce venio in templum, ut me offeram ; ecce venio in AEgyptum ; ecce venio in crucem. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quae verba declarans S. Augustinus L. 1. de Incarn. Verb. c. 18 (op. spur. ex Originis scriptis coll. ML. 42, 1186) : *Filius Dei, qui erat Verbum et Sapientia Patris, cum esset in gloria apud Patrem, quam habuit antequam mundus esset, exinanivit semetipsum* (in tempore), *et formam servi accipiens efficitur obediens usque ad mortem, ut obedientiam doceret eos, qui non aliter, nisi per obedientiam, salutem consequi potuerant, in semetipso prius complens, quod ab aliis volebat impleri.*

Quae cum ita sint, charissimi, tanquam obedientes discipuli Magistrum nostrum audiamus, et triplicem elctionem de paupertate, castitate et obedientia bene apprehendamus. Has virtutes magni aestimemus, tanquam media salutis aeternae convenientissima, tanquam hostes debellandi instrumenta potentissima, scilicet concupiscentiam carnis, oculorum, et superbiam vitae. Has virtutes amemus, veluti Christus amavit et complexus est ; et illarum effectus experiamur, et actus exerceamus : ita victoriam et coronam aeternum obtinebimus.

EXHORTATIO

IN FUNERE R. PARTIS P. L.

IN NOVITIATU ANNO 1698 DIE 17e APRILIS PIISSIME DEFUNCTI

Ostendit mortem ejusdem, uti et aliorum in Societate Jesu morientium, esse pretiosam.

THEMA: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* (Ps. 115, 15).

Ecclesiastes, dum vanitatem rerum omnium terenarum cunctis ob oculos ponit, inter caetera de morte agens, ait c. 2. *Unus est interitus.* Moritur itaque doctus similiter ut indoctus; moritur saecularis similiter ut religiosus; moritur dives similiter ut pauper; moritur improbus similiter ut probus, justus et sanctus, Cain ut Abel, Esau ut Jacob, Saul ut David, epulo ut Lazarus. Secundum speciem exteriorem videtur mors esse similis omnium, imo mors peccatorum nonnunquam lenior suaviorque accidit, quam justorum, dum illi placida et facili, hi vero dura molestaque morte decedunt. Quemadmodum de S. Joanne a Capistrano legimus, qui toto triduo supremo luctam agonemque difficillimum perpessus fuit; quod ipse precibus a Deo flagitarat, ut vicem ignis purgantis lucta illa suppleret. Non absimile exemplum praebuit nobis R. P. Petrus in hac probationis domo defunctus; qui licet vitam egerit a puero innocentia, pietate, omniumque virtutum splendore illustrem, luctam tamen duorum dierum et noctium longe difficillimam cum morte inire coactus fuit. Moritur igitur injustus similiter ut justus in oculis hominum; at in oculis Dei, pro, quantum intercedit discrimen! nam *mors peccatorum pessima* (Psal. 33, 23), at *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* (Psal. 115).

Quam vero pretiosa fuerit mors R. P. Petri, et aliorum pie in Societate morientium sit, in praesenti dilucidabimus.

I. Mors est echo vitae ; neque enim, magno Augustino teste, potest mori male, qui vixit bene. Ac proinde si vita religiosi pretiosa sit in conspectu Domini, mors non potest non esse pretiosa. Explanat id Doctor mellifluus serm. 24, ex parvis, dum ait : *Pretiosa in conspectu Domini mortem sanctorum ejus facit aliquando vita, aliquando causa, aliquando simul vita cum causa. In confessoribus, qui in Domino moriuntur, facit pretiosam vita. In martyribus, qui pro Domino moriuntur, facit eam pretiosam aliquando sola causa, aliquando causa pariter et vita. Et illa quidem mors pretiosa est, quam commendat vita; pretiosior autem, quam facit causa; pretiosissima vero, quam praevenit vita simul cum causa.* Cum igitur mortem R. Patris nostri vita commendet, non potest non esse mors pretiosa.

1. Mors pretiosa ob virtutes et bona opera.

I. Igitur pretiosa fuit vita ejus ob favores et gratias, quas Christus Dominus, sicut omnibus, ita et illi sanguine infiniti valoris meruit. 1 Petri 1, 18: *Scientes, quod non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis..., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Ejusmodi gratiae fuere gratia sanctificans in baptismo infusa, gratia vocationis ad veram fidem, ad religiosum Ordinem, et in iis perseverantiam usque ad mortem, aliaeque gratiae complures. Quis igitur de morte ejus pretiosa vitae parallela ambiget?

2. Pretiosa fuit vita ejus ob ejus insignem virtutum thesaurum, quem tota vita collegit et in anima sua velut area reposuit. Tales fuere fides viva, et vivida spes robusta, charitas accensa, devotio singularis, pietas tenerrima, paupertas evangelica, obedientia apostolica, sapientia et prudentia insignis cum septenis Spiritus sancti donis, imo et cum ipso Spiritu sancto, qui non

solum est dator, sed et donum, ut docet Doctor Angelicus 1, q. 38, a. 1 et 2, ac proinde cum tota sanctissima Trinitate, quae in justis tanquam in templo habitat. Quaenam vita pretiosior?

3. Pretiosa fuit vita ejus, ac proinde mors quoque, ob plurima bona opera in gratia Dei, ut spes est, peracta et vitae aeternae meritoria. Quid autem fuit aliud vita R. Patris nostri a puero ad juventutem, et a juventute ad senectutem annorum in Societate, maxima innocentia et devotione transacta, nisi series et catena aurea omnis generis operum bonorum? Sive enim juventutem literas humaniores et philosophiam docuit ; sive in collegiis magna humilitate et charitate ministerium gessit; sive Novesii et Confluentiae collegii clavum Rector tenuit, sive domesticos intra parietes collegas exquisitis aptissimisque exhortationibus ad perfectionem excitavit, sive aliis functionibus in Societate occupatus tempus suum exegit: quid egit, nisi opera vitae aeternae meritoria cumulare, et vita pretiosa ad mortem in conspectu Domini pretiosam sese disponere?

4. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, et R. Patris nostri, ob securitatem vitae praeteritae, in innocentia magna et bonis operibus transactae. Ea de causa sanctus Martinus confidenter humani generis hostem increpabat : *Quid adstas cruenta bestia, nihil in me funesti reperies,* et sanctus Ambrosius nec mori timebat, nec vivere recusabat. Secura ergo et laeta illis advenit mors : *Respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra* (Lc. 21, 28). Hujusmodi piis sanctisque viris mors est liberatio ab hujus vitae miseriis, et ad veram vitam transitus. Recte sanctus Maximus Centuria 5, cap. 76. *Non puto,* inquit, *justum esse hujus vitae mortem appellare mortem ; sed recessum a morte, separationem a corruptione, liberationem a servitute, et a turbatione querelarum, bellorum ablatio-*

nem, tenebrarum subductionem, remissionem laborum, fervoris tranquillitatem, velamentum pudoris, afflictionum fugam, et in summa dicam omnium consummationem malorum. Unde Seneca ad Marciam scribens, bene mortem optimum naturae inventum nuncupat.

5. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ob illius praenotionem et praevisionem, Deo eam indicante, ut accidit S. Chrysostomo, S. Joanni Eleemosynario, S. Antonio, S. Ignatio, S. Aloysio Gonzagae, aliisque innumeris. R. P. Petrus aliquot ante morbum et obitum diebus vesperi orans, aut ad meditationem diei insequentis se comparans, pulsum, utique ab Angelo sancto excitatum, secuturae mortis indicium, ut ipse interpretatus est, audivit. Denique pretiosa mors Sanctorum piorumque virorum ob Christi Domini auxilium, quod servis suis fidelibus in hora mortis exhibet; ob subsidium Virginis beatissimae, quod eximiis cultoribus suis sub vitae exitum praestat; ob fidelem operam solatiumque S. Angeli tutelaris aliorumque SS. Patronorum, quod clientibus suis in agone supremo impertiunt.

Quanta autem ea est gratia, pretiosa ejusmodi morte defungi? Quanta gratia cum viva fide, spe, charitate, magnaque ob vitam probe exactam securitate atque in Deum fiducia vitam claudere? Quanta gratia animam virtutibus et meritis ornatam (velut navem ex Indiis auro argentoque onustam) salvam sospitemque ad littus aeternitatis felicis appellere? Quanta gratia ab omnibus peccandi deinceps periculis eximi, daemones calcaneo insidiantes detriumphare, et victoriae palma relata in caeleste capitolium invehi?

II. Mors pretiosa ob revelationes et vaticinia.

II. Omnium quidem Sanctorum, justorum proborumque hominum obitus in conspectu Domini est pretiosus; sed in primis perseverantium in Societate Jesu, regulas ejusdem observantium, saluti et perfectioni propriae aeque ac alienae strenue incumbentium, quis pretiosam

mortem esse ambigit? potissimum si varias revelationes Sanctis diversis concessas de morientibus in Societate expendat?

1. Pretiosa mors in Societate Jesu obeuntium, ob revelationem factam Sancto Francisco Borgiae, quam recenset P. Nadasi in pretiosis occupationibus morientium cap. 16. R. P. Vincentius Matrezius, Barcinonensi proregi a confessionibus, religiose contestatus est saepiusque narravit, se a Marco S. Francisci Borgiae socio coadjutore, (viro, cujus mores religiosi fidem non invitam mereantur) audivisse: ipsum Romae ad S. Borgiam pro more in cubiculum ingressum reperisse virum sanctum amoenissima quadam hilaritate simulque lacrimis tenere perfusum; ausum confidentia consueta quaerere semel iterumque hilaritatis illius adeo sanctae causam, responsum tandem ab illo accepisse: Scito Frater Marce, Deum impense amare Societatem, eique concessisse beneficium, quod olim Ordini S. Benedicti, nimirum ut trecentis primis annis nemo, qui in ea ad mortem perseveravit, damnetur; quod pie credi potest (1).

2. Pretiosa est mors in Societate decedentium, ob elogium seu vaticinium de Societate S. Philippi Nerii. R. P. Vincentius Ficherellus Collegii Pistoriensis Rector anno 1657 27 Aprilis datis ad Patrem Nadasi literis enucleate narrat, quomodo, antequam Romae anno 1620 17 Novembris Societatem ingrederetur, ad Julium Salsedonium Grosseti Episcopum, virum sapientia, scriptis, aetate, virtute, abdicatoque ut aeternitati quietius vacaret episcopatu dignum S. Philippo Nerio magistro discipulum, ductus, praeclara de Societate audierit, impense hortante, perpetuas Deo grates referret, quod ab illo ad Societatem vocatus esset, de cujus religiosis S. Philippus Nerius (quocum diu ac familiariter se egisse

(1) Confer hac de re, quae dicta et notata sunt Tomo I pag. 128.

gloriabatur) dicere solebat : *Filii Ignatii, qui perseverant in Societate, ibi moriuntur sancte;* id est, obeunt mortem sanctam.

3. Pretiosa mors in conspectu Domini vitam in Societate finientium ob testimonium S. Theresiae, de qua idem P. Nadasi (ex Imagine primi saeculi Societatis l. 5. c. 8. pag. 648) recenset sequentia : Videbat post sumptam Eucharistiam S. Theresia triumphalem et frequentem animarum e purgatorio ad caelum procedentium pompam. Ibat prima, nescio quid magis augustae gloriae atque Majestatis praeferens et quasi antesignana reliquarum. Veniebat, Angelorum corona comite, illis obvius, explicata ad omnem gratulationem fronte amabili, dulcis Jesus et primae isti animae amplexum et pacis aeternae osculum laetus dabat, pignus amoris et honoris perennis. Laetae stupentique, et quid festiva haec gloria sibi vellet interroganti Theresiae una ex illorum contubernio anima, de prima illa anima loquens : Dux, ajebat, noster est e Societate Jesu Frater unus ; nos duci gratulamur, cujus virtuti ac precibus debemus, quod hodie liberemur. De omnipotentis adventu nil mirum, nil novum : scilicet hoc est hominum Societatis Jesu privilegium, ut pie credimus, ut mortuum Jesuitam obvius Jesus excipiat. Historia Provinciae Boeticae putat, Fratrem illum fuisse Sebastianum de Malagon 15 Julii Anno 1578 defunctum post magnos dolores vultu hilari toleratos. M. S. p. 2, num. 5, 8, 9.

4. Pretiosa in conspectu Domini mors in Societate perseverantium, ob visionem S. Alphonsi Rodriguez, viri e Societate notae sanctitatis, de quo R. P. Gabriel Alvarez Majoricensis Collegii Rector, utpote de illius Collegii alumno veterano, ita scribit : Hic vir in triclinio Anno 1599, in Octobri post coenam, inter agendas de more gratias, vidit omnes praesentes fore salvos, nec illos duntaxat, sed omnes praeterea, qui tunc temporis

degebant in Societate, modo in illa perseverarent. Qua notitia utebatur, quando aliquem in vocatione nutantem, confirmare studebat. Haec omnia habentur ex ipsomet Fratre Alphonso, et ad nos quasi per annorum gradus pervenere. P. Josephus Ramus, Alphonsi Rodriguez conscientiae arbiter, praedicta confirmat, asserens omnes domesticos ab se conspectos tanquam Angelos Dei, et exarsisse desiderio eos videndi in caelo : cumque ea de re ageret cum Deo, ibidem inter egrediendum e cubiculo, responsum accepisse, se voti compotem fore. Hac revelatione audita R. P. Didacus Monterius Ulyssiponensis domus Professae Praepositus dicere solebat aliam, illa recentiore, super ea re habitam revelationem de salute illorum, qui in Societate perseverarent ; seque nosse, cui ea facta sit. Idem ajebat Venerabilis P. Balthasar Alvarez, vir cui sine levitate cordis omnino credi possit.

5. Pretiosa in conspectu Domini mors in Societate vita defungentium, testimonium cujusdam ex alio Ordine celebri religiosi. Decumbebat e sacro Capucinorum asceterio quidam jam caelo, quam terris vicinior ; hic advocato a se Patre Vincentio Matrezio, de quo ante meminimus, et cubiculum aegri ingredienti acclamavit : Felicem te, Pater, cui contigit socium esse ejus Ordinis, in quo, quicunque decedit, vita fruitur sempiterna. Haec mihi jam nunc Deus ostendit : haec palam omnibus nuntiare mandavit. Eadem de Instituto morientis interpretante Matrezio, multos de suis salvari dixit moriens, homines autem Societatis omnes omnino, si ad mortem usque in ea constiterint, esse salvandos ; addiditque : Pater, res se habet ut dixi, et Deus mihi mandat ut dicam, et idcirco te accersivi. Atque ita non sine fama sanctitatis excessit e vita. Vide Imaginem 1, saeculi pag. 650.

Praeterea hoc idem Patris Capucini cum P. Vincentio Matrezio colloquium, in quadam mentis abstractione

Anno 1631, sibi repraesentatum esse, manu sua et sigillo Societatis testatur P. Antonius Beatillus Anno 1632, 21 Febr. Quae tamen omnia nos religiose ac sobrie ut accipiamus, par est, ad fervorem, non ad tepiditatem et praefidentem languorem : spem habent ista, non infallibilitatem.

6. Pretiosa in conspectu Domini mors in Societate vitam pie claudentium : uti et in aliis Ordinibus ; ob infallibilem et certissimam aeternae Veritatis ore prolatam revelationem ; et a duobus Evangelistis Matthaeo et Marco tanquam testibus ac Scriptoribus, omni exceptione majoribus, chartis consignatam : Matth. 19, et Marci 10. *Omnis, qui reliquerit patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Quid clarius ? Quid certius ? Ac proinde quid securius ? *Impossibile est Deum mentiri :* inquit Chrysostomus L. 1, de Provid. coll. 1. *Promisit autem ille vitam aeternam ista relinquentibus ; reliquisti tu omnia ista et abjecisti : quid igitur prohibet de hujusmodi promissione confidere et esse securum ?*

Quocirca, dilectissimi, R. P. Petro, in hac probationis domo piissime defuncto, ex animo, velim, congratulemini ; quod in Societate tot annis pie virtuoseque vitam traduxerit, in ea perseveraverit, ac morte in conspectu Domini pretiosa, ut speramus, decesserit. Pretiosa extitit, ut vidimus, ejus vita, cui mors pretiosa, velut echo voci, non potuit non respondere. Pretiosa vita fuit ob tot catenatis laboribus comparata merita ; virtute Sanguinis pretiosa fuit, quia tot pretiosis virtutum cimeliis, et gemmis condecorata. Pretiosa fuit, quia pretioso tot operum bonorum thesauro ditata ; pretiosa fuit, quia magna vitae beatae spe, ac praemii caelestis exantlatis laboribus correspondentis securitate transacta. Quam mors pretiosa, mors felix et bene auspicata, non potuit non tandem coronare. Desideratisne, charissimi, non absimilem obi-

tum ? Optatisne cum nonnemine : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia ?* Facite quod P. Petrus in itinere cuidam e Societate reponebat ex S. Bernardo, ni fallor : vivat prius anima tua vita justorum et morietur dein morte justorum. Imitemini vitam, et voti compotes reddemini : Imitemini vitae innocentiam, devotionem teneram, laborum pro Dei gloria et animarum salute exantlationem, bonorum operum coacervationem, solidarum virtutum exercitationem : hac ratione, non secus atque ille in Societate Jesu perseverabitis, et vitam pretiosam morte aeque pretiosa concludetis, juxta S. Francisci Borgiae, S. Philippi Nerii, S. Theresiae, B. Alphonsi Rodriguez etc. revelationem, imo et ipsiusmet Christi Domini testimonium ac promissionem infallibilem : *Amen dico vobis, quod vos, qui* reliquistis omnia et *secuti estis me,... sedebitis et vos super sedes duodecim...* et centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis : Quod omnibus nobis largiatur Sanctissima Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

EXHORTATIO
AD NOVITIOS IN OBITU

Cujusdam Novitii G. E. in Tirocinio Anno 1700, 17 Novembris pie defuncti.

THEMA : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* (Apoc. 14, 13).

Evangelistarum Aquila Joannes in Apocalypsi sua l. c. refert allapsam sibi de caelo vocem : *Et audivi,* inquit, *vocem de caelo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam, dicit Spiritus* (Sanctus), *ut requiescant a laboribus suis ; opera enim illorum* (id est, praemium et merces operum) *sequuntur*

illos. Dicta S. Evangelistae verba, varie a variis Doctoribus ac Patribus exponuntur. 1. S. Ambrosius et Haymo explicant: *Beati qui* pro Domino, seu propter Dominum, *moriuntur*, quemadmodum Martyres. 2. Alii intelligunt: *Beati mortui, qui in Domino*, id est, ex amore Domini, *moriuntur*, veluti B. V. Maria, S. Maria Magdalena, S. Franciscus Seraphicus, S. Carolus Borromaeus, S. Stanislaus Kostka, qui ex amore videndi et fruendi Dilecto mortui sunt. 3. Alii interpretantur: *Beati mortui, qui in Domino*, id est, in commemoratione, invocatione, et amore Domini moriuntur, et in actu charitatis animam efflant: Sic S. Aug. in actibus contritionis; S. Hieron. in exhortatione ad charitatem Dei et proximi; S. Ambrosius in suavibus cum Dilecto colloquiis; S. Thomas in pronuntiatione verborum Cantici: Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum; S. Petrus Coelestinus in verbis: Omnis Spiritus laudet Dominum; S. Xaverius in istis: O Jesu Deus cordis mei! 4. Denique plenius et planius alii sic exponunt: *Beati mortui, qui in Domino*, id est, in fide, charitate, gratia et amicitia Dei *moriuntur*. Ita Primasius, Beda, Richardus et alii. Unde S. Bernardus ait: *Mori pro Domino Martyrum est, in Domino autem mori Confessorum.*

Nos praesenti exhortatione charissimum Fratrem nostrum ante mortem, in morte, post mortem esse beatum ostendemus, quia in D^no^ mortuus est.

1. Beatus fuit ante mortem.

I. *Beati mortui*, ante mortem, *qui in Domino moriuntur*. S. Ambrosius et Alcazar, per mortuos hic intelligunt, non mortuos corpore, sed mundo, non mortuos physice, sed mystice et spiritualiter: qui enim physice mortui sunt, amplius mori nequeunt; quod putant de mortuis hic asseri [?] cum dicantur *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Unde Aureolus haec refert ad religiosam Monachorum disciplinam, in monte Cassino, anno Christi 716, quando ibidem Carlomannus frater

Pipini regis Francorum, statum religiosum amplexus est, uti et Childericus rex Francorum, aliique regum et principum filii. Religiosi enim sunt mystice et civiliter mortui : tum quia saecularibus negotiis sunt defuncti : tum quia mortificationem Jesu, cum S. Paulo, semper in corpore, et magis in animo circumferunt : de qualibus ait idem Apostolus ad Coloss. : 3, 3. *Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Hi proinde duplici fructu gaudent : prior est, quod jugi pace et laetitia conscientiae fruantur, ut experientia constat, et vox divina hic promittit, dicens : *Ut requiescant a laboribus suis ;* posterior est, quod *opera illorum sequantur illos :* quia cum firma sua resolutione mortem quasi devorarint, hac de causa, in opere ipso non deficiunt, sed stabiles potius, in actibus suis efficaces, constantes, patientes, fideles, omnibusque virtutibus conspicui, Christi amatores inveniuntur.

Si hoc priore modo accipiamus *Beati mortui,* id est mystice, charissimus Frater noster beatus fuit : fuit enim mortuus mundo, dum patriam, parentes, amicos, mundumque deseruit, statum religiosum elegit et in hac probationis domo amplexus est. In quo fuit saecularibus negotiis defunctus ; et semper mortificationem Jesu cum Apostolo in corpore suo circumtulit ; ac proinde pace et solatio conscientiae suae fruitus est, et in operibus bonis virtutibusque constantem se exhibuit. Itaque si beati sunt, qui mortui mundo ; vere et noster charissimus hic Frater felix est et beatus. Et quidem agnoscit ipse, apertis in alia vita mentis oculis, suam istam beatitudinem longe clarius ; et si ad hanc lucem redire liceret, et meo loco hic peroraret, quanta emphasi et energia verborum, quanta affectuum vehementia suam nobis felicitatem contestaretur? diceret haud dubie:

O mei charissimi Fratres! quanta mea est felicitas, quod ad Societatem Jesu vocatus in eadem vita functus

fuerim? hoc unum è maximis fuit beneficiis, quae Divina Bonitas in me immeritum in omni vita mea contulit; si enim in saeculo mortem oppetiissem, forsan ignibus aeternis addictus fuissem, aut saltem non adeo bene ad mortem dispositus ac praeparatus. Benedictus Deus, per quem vocatus sum in Societatem Filii ejus. Felix sum ac beatus, quod exhomologesi de tota vita animum expiarim, octiduumque integrum in eam rite peragendam insumpserim; quod in saeculo minime praestitissem; adeoque praeteritorum delictorum veniam obtinuerim: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Ps. 31. Felix sum et beatus, quod, dum vixi in Societate, ab ejusmodi criminibus, per gratiam Dei, sim praeservatus, quae in mundo toties, tamque leviter perpetrari solent, ad quae in hac domo sancta occasiones defuerunt, adeoque immunis fui. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ps. 118. Felix fui et beatus, quod tot menses in tirocinio potuerim Deo servire, in paupertate, castitate, obedientia, et humilitate; ac multa opera bona peragere, quae in mundo minime peregissem. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Matth. 5. Felix fui et beatus, quod inter vos tanquam frater inter fratres degens, in tanta pace et charitate vixerim, tot piis colloquiis aedificatus, tot bonis exemplis in omni virtutum genere excitatus a vobis fuerim, pro quibus gratias immortales refero: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. 5). Felix denique et beatus fui ante mortem, quod extremis Sacramentis ad mortem rite dispositus, inter fratrum meorum in Christo charissimorum astantium preces pias ac suspiria ferventia in Domino pie obire licuerit. Vere igitur *beati mortui, qui in Domino moriuntur:* magna haec est felicitas, beatitudo ac misericordia, quam in aeternum cantabo et praedicabo in saecula.

II. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* et physice mortem obeunt: et hic est alter titulus felicitatis ac beatitudinis, qui religiosis mundo mortuis advenit, quod sint *beati*, quando *in Domino moriuntur* hoc est, qui in fide, charitate, gratia et amicitia Dei vitam claudunt: hi enim moriuntur quasi in manu Domini, aut potius in sinu Domini moriuntur, id est dormientes requiescunt, quomodo de S. Stephano Protomartyre Actorum 7 dicitur: *Obdormivit in Domino;* quod etiamnum pii in morte fidelium usurpant, et obdormivisse asserunt. *Beati ergo mortui, qui in Domino moriuntur.* Nam illis 1. Mors est finis laborum: *Amodo jam, dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis,* l. c. *Omnibus laborantibus,* ait S. Chrysostomus hom. 48 ex imperf. *dulcis est finis: viator libenter interrogat ubi est mansio: Mercenarius libenter computat quando annus completur: Agricola tempus messis exspectat: Mercator die ac nocte thecae suae discutit rationem: Mulier praegnans semper de decimo mense cogitat: sic et servi Dei libenter de consummatione saeculi requirunt, scriptum est enim, ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Qui ergo finem laboris, et thesaurum labore reperit in morte, beatus est. 2. Mors est finis tentationum, peccatorum, periculorum, quibus tanquam procellis et fluctibus in hac misera vita jactamur; quorum omnium portus securus est mors. *Justis mors est quietus portus,* ait S. Ambrosius Lib. de bono mort. *Mors,* ait S. Chrysostomus, *est portus tranquillus, vera requies, somnus, ad meliora transitus, a malis liberatio, migratio e terra ad caelum, ab hominibus ad Angelos et ad ipsum angelorum Dominum. Quid est mors,* inquit Sanctus Ambrosius l. c. c. 4, n. 15, *nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio?* (ML. 14, 547.)

II. Beatus in morte.

Quis igitur neget beatum esse, qui in Domino moritur, ab omnibus hisce malis liberatur, et bona ista omnia assequitur, ut de pie defuncto charissimo Fratre confidi-

mus: eo beatior quod non in mundo, sed in Religione; non in saeculari consortio, sed in Societate Jesu, in qua cum securitate et hilaritate mortem oppetimus? Doctissimus juxta ac religiosissimus P. Franciscus Suarez, ut vita ejus tractatui de Angelis praefixa memorat, in agone plenus gaudio caelesti: non putabam, inquiebat, tam suave esse et tam dulce mori in Societate. R. P. Henricus de Habspruck, ut Annuae Belgicae Duacenae Anno 1612 recensent, in ultimo morbo rogatus, num in Societate mori jucundum esset? respondit: Superat hoc omnem cogitationem. Beneficium est beneficiorum; nemo credit, nemo credit. Similia asseruit quidam novitius annorum octodecim anno 1602, ut in Literis annuis refertur, qui extremum jam inunctus ad Fratres, quos Angelos rebatur, conversus, non possum, inquit, vobis verbis explicare, quam solida voluptas, quam secura et tranquilla quies, quam profusum atque ad sensum pertingens gaudium sit animo cogitare, se mori in Societate; qua una cogitatione dolores omnes et mortem suavem duceret. An non igitur felix et beata ejusmodi mors est? An non Beati mortui, qui in Domino ita moriuntur? Haec quoque sors et mors cecidit in praeclaris charissimo Fratri nostro, modo defuncto, qui per mortem peccatis, periculis et tentationibus ereptus, tanquam per januam in felicis aeternitatis domum est ingressus.

III. Beatus post mortem.

III. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur,* etiam post mortem. Ratio est, quia mors, ut ait S. Cyprianus, *aperit viam ad patriam et amicos;* unde ait: *Quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, et parentes salutare possimus? Ad horum autem aspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in communi laetitia est?* Si loqui daretur charissimo Fratri nostro defuncto, quibus verbis suam a morte felicitatem ac beatitudinem nobis depraedicaret? An non diceret: Felix sum et beatus, quod statim a morte tot pro me oblata

sint sacrificia et coronae D. Virginis, non solum in his tribus domibus Societatis in hac urbe Trevirensi, sed etiam per totam provinciam; imo per Hispaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, universamque Societatem; qui si apud parentes obiissem, pauculis sacrificiis et precibus acquievissem. Felix sum et beatus, quod ad beatitudinem caelestem admissus (ut nobis spes est), in qua cum tota Societate Jesu triumphante et curia caelesti tota Deo fruor, et fruar in aeternum: hic video facie ad faciem SS. Trinitatem, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, illam cum summo gaudio et satietate intueor, amore complector, et fruor, in quo beatitudo mea sita est. Hic video Christum Dominum Redemptorem meum, Beatissimam Virginem, SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Virginum gloriosos choros. Quae tanta est laetitia, ut verbis exprimi nequeat. Vere igitur felix sum et beatus a morte, quae mihi fuit transitus ad vitam. *O vita vitalis, vita sempiterna, et sempiterne beata! Ubi gaudium sine moerore, quies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate.* (S. Aug. Manuale c. 7 ML. 40, 955 in app.) Vere ergo beati mortui qui in Domino moriuntur, et ex his miseriis ad ista gaudia et bona transeunt, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt.

Charissimi, quemadmodum defunctus noster suam depraedicavit felicitatem ac beatitudinem, ita si liceret ipsi, vestram quoque vobis ob oculos poneret: et si daretur loqui, diceret:

Beati estis dilectissimi Fratres mei, quod ad eandem Societatem Jesu vocati estis, et in ea etiammet tempus habetis operandi bonum, coronasque vestras augendi; mihi pauci solum menses concessi fuere: quidquid in illis acquisivi meritorum, hoc solum habeo, nec quid-

quam amplius tota aeternitate acquirere valebo, vos autem plurima; ergo dum tempus habetis, operamini bonum. O si annum vel unicum habere possem, libenter omnes mundi totius thesauros expenderem. Beati estis, si Regulas vestras ad omnem perfectionem ducentes omni diligentia servaveritis; ego, si scivissem, quae modo scio, nec apicem illarum praetermisissem. Beati estis, si vitia et passiones strenue mortificaveritis, quia vivetis. Beati estis, si omnia quae mundus offert, perfecte contempseritis, et paupertatem spiritus dilexeritis; quia sicut ego, ita et vos praeter linteamina pauca et asseres quaternos nihil hinc auferre poteritis. Beati estis, si strenue studueritis castitati; quid enim juvat blandiri corpori, quod brevi in pulverem revertetur? Divina autem et inexplicabilia sunt praemia castitatis in caelo. Beati estis, si sedulo et sincere solum Deum quaesieritis et ex corde dilexeritis; reliqua omnia non satiant, non juvant; sed velut umbra, somnium, et vanitas vanitatum praetervolant.

Vidimus, charissimi, *Beatos* esse, *qui in Domino moriuntur*. 1. *Ante mortem:* quae beatitudo, ut charissimo Fratri nostro defuncto obtigit, ita et vobis evenit. Haec beatitudo consistit in vita religiosa, vita abscondita in Christo, tranquillitate conscientiae, et bonorum operum ac meritorum accumulatione. Agnoscite felicitatem hanc et ea fruimini. 2. *In morte:* Beatus fuit dilectus nobis in Christo defunctus, quia a labore ad requiem, de exilio in patriam, de fluctibus in portum aeternae tranquillitatis invectus est. Eadem nos sors et felicitas manet, si fideliter in Societate Deo militaverimus. 3. Denique *post mortem* vere beatus fuit, quia tot sacrificiis et precibus adjutus, ut speramus, visione beatifica SS. Trinitatis potitus, gaudet nunc cum Angelis et Sanctis laetitia inennarabili. Tenetne vos desiderium hujus beatitudinis? Mortificationi studete, virtutes comparate, regulas obser-

vate, mundum et mundana contemnite, Deum super omnia amate, et in vitae religiosae disciplina usque ad mortem perseverate: *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* Felix et beatus; tantaque gloria et honore ac laetitia coronandus, ut eam nulla mens concipere, nulla lingua effari valeat. *Effugit omnem sermonem,* inquit S. Augustinus, *excedit omnem sensum decus illud atque majestas. Quod Deus praeparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria et vota transgreditur: acquiri potest, aestimari non potest. Beati* igitur, *mortui,* et terque quaterque beati, *qui in Domino,* in Societate Jesu, *moriuntur.*

EXHORTATIO

PRO RENOVATIONE VOTORUM AESTIVA.

Cor soli Deo offerendum.

THEMA: *Soli Deo* (1 Tim. 1, 17).

Seneca L. 1, de beneficiis c. 8 scribit: *Socrati cum multi multa pro suis quisque facultatibus offerrent; Aeschines pauper auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare possim invenio: et hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod unum habeo, meipsum: hoc munus rogo, qualecunque est, boni consulas: cogitesque alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Acceptavit benevole Socrates hoc munus, et habiturum se curam spopondit, ut illi meliorem, quam acceperit, ipsum restitueret. Aeschinem imitantur Religiosi, qui cum maximis, innumeris et infinitis Dei O. M. beneficiis non inveniant munus dignum, quod rependant; seipsos et omnia sua per tria vota religiosa offerunt, idque tanto animi fervore, ac liberalitate tanta praesertim mox a

peracto tirocinio, ut nihil de mundo possidere, soli Deo corpus, animam, et omnia sua consecrare aveant. Quodnam vero luculentius veri amoris et gratitudinis signum dari potest, aut testimonium, quam nihil sibi de se suisque rebus reservare, ac cor suum et seipsum soli Deo in holocaustum immolare? *In omni creatura*, inquit Hugo Victorinus, L. 1, de anima c. 7 (v. ML. 184, 498 cum not. 485), *quae sub sole mundi vanitatibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius reperitur*. Quare nihil aliud a te petit Creator tuus, quam cor tuum: non victimas arietum et sacrificia, non vestes tuas pretiosas et peripetasmata, non villas et praedia, non inaures et monilia, non divitias et cimelia, aut quaecunque alia mundi bona, sed te solum et cor tuum sibi soli dedicari, offerri et consecrari per vota religiosa postulat.

Qua igitur ratione cor nostrum per vota *soli Deo* offerre penitus et immolare valeamus, in praesentiarum declarabimus: ut si quid forte per negligentiam, ipsi decerptum, nobis retribuerimus aut resumpserimus, in votorum instauratione Deo integre restituamus.

I. Perfecta paupertas.

I. Neminem nostrum latet per vota nos Deo holocaustum immolare, ut Div. Thomas cum reliquo Patrum senatu tradit: per quod quis tum se, tum omnia sua penitus soli Deo designet. Quidquid enim in orbe universo possidemus, ad tria reducimus: aut enim bona sunt exteriora, possessiones scilicet et divitiae et haec voto paupertatis Deo consecramus; aut bona et voluptates corporis, et haec voto castitatis abnegamus unique Deo offerimus; ac demum bona interiora animae, et haec obedientiae voto Deo substernimus, dum voluntati atque intellectui proprio renuntiamus, ut Superiori Dei locum tenenti ea subjiciamus, quo amorem nostrum erga Conditorem supremum demonstremus, ipsi soli deinceps victuri ac famulaturi.

Venerabilis Pater Vincentius Caraffa, septimus Societatis nostrae Praepositus Generalis, in libro, quem « Seraphinum » nuncupat, Consideratione 22. ait: Vis hieroglyphicum veri amantis? Pinge cor et illi inscribe *soli*. In omnibus nimirum ejus potentiis et affectibus: in intellectu *soli;* in memoria *soli;* in voluntate *soli;* in sensibus externis et internis *soli;* deinde ad illa progredere, in quae cor suos spargit amores omnibusque inscribe *soli;* in facultatibus *soli;* in recreationibus *soli;* in honoribus *soli;* in officiis *soli;* in studiis *soli;* in paupertate *soli;* in castitate *soli;* in obedientia *soli;* in caelo *soli;* in terra *soli;* in domo *soli;* in cubiculo *soli;* in gymnasio *soli;* in omnibus *soli;* et conclude, *sola soli:* habeo solam animam, hanc *Deo soli* dabo, et hoc erit donum longe nobilissimum.

Dum primum vota nostra, absoluto tirocinio, Deo nuncupavimus, collecto in probationis decursu fervore, cordi nostro inscripsimus *soli* : *soli Deo* honor et gloria ; *soli Deo* obsequia mea ; *soli Deo* cogitationes, verba et opera, amores, affectus ac desideria ; creatis deinceps nihil nummis et pecuniae, nihil possessionibus, agris, vineis, hortis ac bonis terrae. At paulatim remittente fervoris primaevi calore, pristini quandoque affectus recalescunt, redeunt rerum terrenarum vota, reviviscunt desideria mundana, ita ut jam non solum Numen cor possideat, sed locum nonnullum res terrena occupare moliatur. Quid hic consilii? In ascesi triduana cor et affectus inspice ; et si illud, quod ante inscriptum erat *soli Deo*, nonnihil obfuscatum obliteratumque repereris, renova ac denuo inscribe *soli, soli, soli*.

S. Bernardus Doctor mellifluus, a quopiam interrogatus, quidnam a nobis Deus O. M. requireret? epist. 353 [vid. ep. suppossit. de doctrina vitae agendae ML. 184, 1185] respondet : *Cor nostrum nihil dignius perficere potest, quam ut ei se* (totum) *restituat, a quo factum est ;*

et hoc a nobis Dominus expetit dicens: Fili, da mihi cor tuum. Verum Doctor melliflue quid est cor suum totum Deo soli tradere? Respondet ibidem: *Tunc siquidem cor Deo datur* (totum soli), *quando omnis cogitatio terminatur in Deum, gyratur et reflectitur super eum; et nihil vult possidere penitius praeter eum.* Nos, dilectissimi, in prima votorum oblatione cor nostrum Deo totum obtulimus, eumque in finem reliquimus omnia, ut omnis cogitatio nostra terminaretur et gyraretur in Deum, nihilque in mundo possideremus praeter eum. Jam tamen successu temporis accidit nonnunquam, ut donationis a nobis factae ex parte obliviscamur, et nonnullum in corde nostro creaturae locum assignemus, eamque amore inordinato complectamur. Ea de causa animum triduo recolligimus, cordis sinus excutimus, affectus et cogitationes examinamus, visuri utrum etiamnum omnis cogitatio, omnis affectio, omnis amor noster terminetur in solum Deum, ita ut nihil penitus praeter eum possidere cupiamus; et si forte deprehenderimus quidquam aliud praeter Deum subintrasse locumque licet exiguum occupasse, extemplo inde ejiciamus ac proscribamus. Ut vero negotium hoc generosius aggrediamur, ea quae nunc producemus, movere nos atque impellere valebunt.

1. Cor nostrum nimis parvum est Deum et creata simul capere nequit; cogitate amorem manum, inquit Augustinus, quae dum unum tenet et capit, alterum tenere et capere non potest, quia occupata est. *Cor parvum est*, ait Hugo L. 3 [?] de anima, *et magna cupit: vix ad unius milvi refectionem sufficere posset, et totus mundus ei non sufficit:* quid igitur frustra illud rebus parvis replere conamur? Solus Deus ei sufficit, ille solus replere potest. Quid est, obsecro, res creata Conditori comparata, nisi gutta ad fontem, atomus ad aerem, arena ad montem, nihil ad omnia? Ut quid ergo gravi corde diligimus vanitatem, et quaerimus mendacium?

2. Cor nostram nimis angustum est, Deum et creaturam simul non capit: *Coangustatum est stratum*, ait Isaias c. 28, adeoque alter decidat necesse est. Soli sponso locus est, non alteri; solus sponsus caelestis omni et solo amore tuo est dignissimus; pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tam nova, omnia pulchra, omnia bona eminentissimo modo in se complectens. O summa Bonitas! o infinita Majestas! qua fronte alium praeter te in corde meo adeo angusto collocare audebo? Omnium corda hominum, qui fuerunt, sunt, et erunt; omnes voluntates Seraphinorum et Cherubinorum, ac reliquorum spirituum beatorum non sufficiunt, ut in te uno occupentur; et ego pusillum cor meum alia re terrena occupabo? Quod si aliud habeam in corde praeter te Deum, nec aliud plene possideo, nec te Deum; si vero nihil habeam in corde praeter te Deum, tantum possideo te Deum meum, sed fruor Deo et omnibus, Deus meus et omnia!

Soli itaque tibi cor meum pateat, *soli* tibi amor et affectus consecretur, ut merito cordi meo inscribere valeam *soli* in signum sinceri amoris. Imitabor hac in parte Virginem beatissimam Dei matrem, quae cordi suo inscripserat *soli*, nulli creaturae aditum praebens: *Dilectus meus mihi et ego illi*, ac nulli alteri, corde super omnia terrena instabilia elevato: *Luna sub pedibus ejus*. Imitabor S. Paulum, qui inscripserat cordi suo *soli: soli Deo honor et gloria*, reliqua omnia arbitrabatur ut stercora; quae nemo nisi stultus cum gemmis et unionibus eadem includit capsula. Imitabor S. Ignatium, solum Dei amorem desiderantem ac possidentem: *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dona, et dives sum satis*. Imitabor Xaverium Indiarum Apostolum, amore Dei solius cor occupantem: *Amo te solum quia rex meus es, et solum quia Deus es*. Imitabor S. Theresiam, quae *soli* cordi suo insculpserat, ita ut nec iconem Christi

Domini elegantiorem, paupertatis amore, retinere sustinuerit, nec solius Dei amori vel minimum decederet.

II. Perfecta castitas.

II. Per votum castitatis abjecimus voluptates carnis, ut totum amorem nostrum in Deum solum transferremus, nec in ullo delectationem quaereremus, praeterquam in uno Deo atque ita cordi nostro inscripsimus *soli :* et simul a grege bestiarum et jumentorum ad societatem Angelorum transivimus, ut non delectemur deinceps illis, in quibus oblectantur bruta, sed iis, in quibus occupantur Angeli, scilicet solo Deo. B. Albertus M. in paradiso c. 6. asserit *praecipuum castitatis conservativum esse delectari in Domino ; tunc enim omnia vitia vilescunt ; gustato enim spiritu, desipit omnis curo.* Unde S. Gregorius L. 18. Moralium c. 9, al. 8 vel 6 (ML. 76, 46) : *Esse quidem sine delectatione anima numquam potest, aut enim delectatur infimis aut summis, et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima ; quantoque acriore cura inardescit in infimis, tanto tepore damnabili frigescit a summis.* Qui ergo vult delectari in solo Deo, omnes alias oblectationes a se rejiciat ; non tantum quae sunt contra castitatem, sed etiam contra temperantiam : atque ita cordi suo inscribat *soli.*

Eapropter D. Augustinus L. 50. Homiliarum hom. 35 (nov. ord. in app. serm. 315 n. 3 ML. 39, 2350) omnium sensuum custodiam vehementer commendat. *Si virginitatem animae,* ait, *integram servare desideras, quantum potes observa blandimenta draconis ; ne forte si incautus fueris, quinque sensus, qui in te sunt quasi quinque virgines, permittas a serpente corrumpi. Quidquid enim pulchrescit visu, quidquid dulcescit gustu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid mollescit attactu ; in his omnibus, si incauti fuerimus, subrepentibus concupiscentiis malis, animae virginitatem corrumpi permittimus ; et impletur in*

nobis illud, quod per prophetam dictum est: Intravit mors per fenestras vestras (Jer. 9, 21). Id ne fiat, claudantur creatis, *soli Deo* pateant.

Quare 1. Visui nostro inscribamus *Soli*, ut nihil videamus, quod animae noceat, exemplo nostri S. Fratris Alphonsi Rodriguez, Venerabilis Patris Ludovici de Ponte, et aliorum complurium, qui foedus pepigere cum oculis, ut intra annos plurimos feminam non intuerentur. 2. In gustu quoque scribamus *Soli*. *Ante omnia*, inquit S. Basilius, *adversus gustum virgo tota intentione pugnabit, fontesque voluptatum ventris et impudicitiae fomitum inde manantium, a principio castitatis studio siccabit: virginem enim esse et gustum virginis convenit, nullique suaviter oblectandi illecebrae obnoxium*. Cf. Lib. de Virg. n. 6 et 7 (MG. 30, 681). Praeluxere nobis S. Ignatius, S. Franciscus Borgias, P. Bernardus Colnago, S. Franciscus Regis, S. Franciscus Assis., S. Clara, qui gustum amaritie castigantes in solo Deo gustum ac delectationem quaerebant. 3. Auditui etiam et odoratui inscribendum *Soli;* sed vel maxime tactui, ex mente S. Basilii l. c., sensuum omnium perniciosissimo, et saevissime blandienti. *Bonum est homini mulierem non tangere*, ait Apostolus: *malum est ergo tangere*, infert S. Hieronymus, *nihil enim bono contrarium est nisi malum*. Quamvis enim bona sit terra, bona quoque sit pluvia, tamen ex earum mixtione lutum efficitur: pari modo, et si bona sit manus viri, bona quoque manus feminae, ex contactu tamen illarum nonnunquam lutosa cogitatio vel affectio generatur; etenim qui tangit picem, manum utique sordidabit. *Soli* igitur inscribamus sensibus, et castimonia tuta erit. Ut enim vere ait S. Laurent. Justinianus ligno vitae, de continentia c. 5: *Custodia sensuum pudicitiam servat..., et violatio castitatis est sensuum curiositas.*

III. Perfecta obedientia.

III. Denique voluntati etiam nostrae, quam per obedientiae votum Deo obtulimus, inscribendum est

soli, ut nimirum omne illud et solum velimus ac desideremus, quod vult Deus, et Superior, Dei locum tenens ; omne et solum nolimus, quod Deus ac Superior non vult. S. Ignatius suos vult voluntatem propriam exuere, ut divinam induant. Nisi enim id praestemus, et vel in unico voluntati et voluptati propriae adhaerescamus, libere evolare et perfectionis apicem attingere nequibimus. Similes enim erimus passeribus, quos pueri filo ligatos tenent, qui emissi se liberos autumant alacresque ad funiculi spatium provolant, sed mox misere decidunt. Elias raptus ad caelum pallium reliquit; neque religiosus tuto ad vitam caelestem evolabit, nisi propriae voluntatis pallium reliquerit. Rescindat ergo omnia, dimittat omnia, *Soli Deo* se consecret et permittat ; Non est liber canis, qui longam catenam habeat, etsi per intervallum ludat ; rumpenda est omnis catena, ut ad Deum libere evolare, illique *soli* integre inhaerere liceat ; et si quod fortasse filum voluntatis propriae aut affectionis inordinatae aliquem constrictum teneat, hac renovatione praecidere allaboret.

Quae cum ita sint, ut infinitis summisque Dei in nos beneficiis gratum animum rependamus, nos totos ei penitus devoveamus atque in primis cor nostrum ei consecremus et per votorum oblationem ac renovationem in holocaustum perfectum offeramus. Primo quidem relictis, abscissis et contemptis omnibus terrenis bonis, cordi nostro *soli* inscribamus, omnem amorem a terrenis avulsum in Deum unum transferendo. Deinde omnibus carnalibus abscissus, cor *soli Deo*, ejusque gustui ac oblectationi transcribamus. Denique amori proprio voluntatique, quae Deo aut Superioribus discordet, penitus renunciemus, et illi quoque *soli* insculpamus, nimirum *soli Deo*, deinceps obtemperaturae. Quod si quid difficultatis occurrerit, strenue id perrumpamus. Fertur thesaurorum genus esse, quod sub magico

artificio ab horribilibus spectris ac manibus custodiatur, at si quis audeat solum, spectacula illa subito evanescant ac facessant, nec unquam amplius compareant, atque ita secure thesauris istis frui liceat. Ita nobis non majore labore opus est, quam animo ; fortiter duntaxat audeamus et rem aggrediamur, ac fugatis repente difficultatum spectris, spiritualibus thesauris potiemur et absque magna molestia arcana vitae spiritualis dulcedine perfruemur.

A. M. D. G.

FINIS.

CORRIGENDA

Tomus I, pag. 391-397 loco inscriptionis : de abnegatio, *lege:* de abnegatione.
Tomus III, pag. 182 reg. 30, cardinale, *lege :* cardinali.

Livres Utiles

AUX PRÊTRES DANS LE MINISTÈRE.

ÉCRITURE SAINTE — THÉOLOGIE.

V. Coornaert,, S. Th. L. *Concordantiae Veteris ac Novi Testamenti.* 1 vol. gr. in-8° à 2 colonnes, fr. 7,50, relié 9 50

Merz. *Thesaurus Biblicus*, hoc est dicta, sententiae et exempla ex SS. Bibliis collecta et per locos communes distributa lexicorum ordine alphabetico ad usum concionandi et disputandi. In-8°, fr. 7,50 ; rel. dos flexible. 9 50

P. Michel, des Pères Blancs. *Questions pratiques* sur le Mariage, le Baptême et la Confirmation dans les missions. 2 vol. in-8°. 4 50

Victorius ab Appeltern. *Manuale Missionarium* pro solvendis Casibus moralibus in regionibus infidelibus frequenter occurentibus maximo opportumum. Cart. 4 00

J. Antonelli, Nat. Scient. Doct. ac Prof. *Medecina Pastoralis* in usum confessariorum, cui accedunt tabulæ anatomicæ explicativæ. 3 vol. gr. in-8° avec planches, 24 fr. ; rel. 27 00

Dr **Capellmann.** *La Médecine Pastorale*, refondue par le Dr Bergmann, revue par le P. Lehmkuhl, S. J., traduite par le P. Fr. de Bénejac, 5 fr. ; rel. 6 50

Dr **Gemelli**, O. F. M. *Non Mœchaberis*, Disquisitiones medicæ in usum Confessariorum, 4 fr. ; rel. 6 00

Id. *De Scrupulis* psychopathologiae specimen, 5 fr. ; rel. 7 00

Dr **Surbled.** *La Morale dans ses rapports* avec la médecine et l'hygiène. 4 vol. in-18° 16 fr. ; rel. 21 00

Tome I. Célibat et mariage. — Tome II. La vie sexuelle. — Tome III. La vie organique. — Tome IV. La vie psycho-sensible.

Génicot et Salsmans, S. J. *Theologia Moralis* editio VI, 1912. 2 vol. in-8°, 12 fr. ; rel. 15 00

Id. *Casus Conscientiae.* 2 vol. in-8°, ed. III, 10 fr. ; rel. 13 00

Noldin, S. J. *Theologia Moralis.* 5 vol. in-8°, fr. 20,75 ; rel. 26 75

Methodus *excipiendi Confessiones* ordinarias in 20 variis linguis, cartonné. (Le latin en regard des langues). 4 00

J. Dirckinck. *Semita perfectionis*. 1 vol. in-32. 1 00

Reuter. *Neo-Confessarius* practice instructus seu methodus rite obeundi munus Confessarii, 5 fr. ; rel. 7 00

Vigouroux. *Traité complet* de médecine pratique à l'usage des personnes du monde 4 vol. gr. in-8° ill., 32 fr. ; rel. 42 00

Ouvrage très utile au clergé.

Ojetti, S. J. *Synopsis Rerum moralium et juris Pontificii* alphabetico ordine digesta et novissima SS. RR. Congregationis decretis aucta in subsidium praesertim sacerdotum. 3 vol. in-4°, 35 fr. ; rel. dos flexible. 50 00

Card. **Gennari**. *Consultations de Morale, de Droit canonique et de Liturgie*, adaptées aux besoins de notre temps. Première partie : Morale, 2 vol. in-8°, 10 fr. ; rel. en un vol., 12 fr. Deuxième partie : Droit canonique, 2 vol. in-8°, 8 fr. ; rel. en un vol., 10 fr. Troisième partie : Liturgie (avec tables générales) 1 vol. in-8°, 4 fr. ; rel. 6 00

Id. *Questions de Morale, de Droit canonique et de Liturgie*, adaptées aux besoins de notre temps, 6 vol. in-8°, 24 fr. ; rel. 30 00

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, seu decreta instructiones, rescripta, pro apostolicis missionibus. 2 vol. in-4°, 20 fr. ; rel. 26 00

SERMONNAIRES.

Augier. *Vade mecum du conférencier* contenant plus de 1400 traits, pensées, paroles célèbres, 2 vol. 2 00

Mgr **Gibier**. *Conférences* sur les objections contre la religion. 2 vol. 8 fr. ; contre l'Église, 2 vol. 8 fr. ; rel. 11 00

Berthier. *Le Prêtre dans le Ministère de la Prédication* ou Directoire du Prédicateur en Chaire et au S. Tribunal. Sermons pour les Missions, Retraites, Dimanches, Fêtes, Panégyriques et Sermons de circonstance. 2 vol. 12 fr. ; rel. 18 00

Chan. **D'Hoop**. *Sermons et Homélies* pour les Dimanches et Fêtes. Sermons de circonstance. 12 vol. in-8°, 24 fr. ; rel. 33 00

Plat. *208 Prônes du Dimanche*, sur le Symbole, sur le Décalogue, sur les Sacrements, sur la Prière, 4 vol. le volume 4 fr. ; rel. 5 75

Quarante Instructions courtes, simples et pratiques sur la Sainte Vierge pour les réunions des Congréganistes, par un chan. 2 50

Toublan. *Le Directeur des Mères chrétiennes.* 175 sujets pour instructions, 3 fr. ; rel. 4 50

Van den Bosch, S. J. *Instructions* sur les douze promesses du Sacré-Cœur, 2 fr. ; rel. 3 50

Devloo. *Volledige Sermoenen* voor al de Zon- en Feestdagen van het jaar, Feestdagen der Heiligen en van O. L. V. en andere gelegenheden, 23 vol. 22 fr.

Afzonderlijk: de Zondagen, 14 deelen, fr. 11,50 ; op de Feestdagen, 2 deelen, 2 fr. ; op de Feestdagen der Heiligen, 2 deelen, 2 fr. ; op het Bitter Lijden, 2 fr. ; voor de Geloovige Zielen, 1 deel. 1 00

UNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA

QUAM IN COLLEGIO LOVANIENSI S. J. TRADIDERUNT :

L. De San, G. Lahousse, A. Vermeersch, S. J.

Modo prodierunt :

I. **Tractatus de Poenitentia**, in-8°, p. 700, auctore L. De San, S. J., 7 fr. ; rel. 9 00

II. **Tractatus de Sacramentis in genere**, de Baptismo, de Confirmatione et de Eucharistia, in-8°, p. 822, auctore G. Lahousse, S. J., 8 fr. ; rel. 10 00

III. **Tractatus de Virtutibus Theologis**, in-8°, p. 412, auctore G. Lahousse, S. J., fr. 4,50 ; rel. 6 50

IV. **Tractatus de Gratia Divina,** in-8°, p. 708, auctore G. Lahousse, S. J., 9 fr. ; rel. 11 00

V. **Tractatus de Traditione et Scriptura,** in-8°, p. 508, auctore L. De San, S. J., 7 fr. ; rel. 9 00

VI. **Quaestiones morales** ad hodiernum usum scholastic disputatae, ab A. Vermeersch, S. J. Vol. I. **Quaestiones de Virtutibus Religionis** et pietatis a vitiis contrariis, 3 fr. ; rel. fr. 4,75. — Vol. II. **Quaestiones de Justitia et Jure**, editio II, in-8°, p. 76 7 fr. ; rel. 9

1) De virtute justitiae ejusque partitione. — 2) De legali et distri tiva justitia. — 3. De jure suffragii et de tributis. — 4. De vi injustitiae et restitutione. — 5) De socialismo et de privata bor rum possessione. — 6) De possessoris privilegiis. — 7) De c tractibus in universum. — 8) De justa permutatione et de pretio. — 9) De mutuo et usuris. — 10) De locato-condu rarum. — 11) De aequitate. — 12) De gratia seu grato 13) De feminarum jure et loco in civitate. — 14) D morali quae est civitas.

VII. **Tractatus de Deo Creante et Elevante,** auct G. Lahousse, S. J., 768 pp. fr. 9,50 ; rel. 11

VIII. **Tractatus de Ecclesia et Romano Pontifice,** auc L. De San, S. J., in-8°, p. 584, 8 fr. ; rel. 1

060.23
D629
6344
DIRCKINCK, S.J., JOANNIS
AUTHOR
Exhortationes Domesticae
TITLE Vol. III

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Ue Lucchi	

6344